This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

1837
ARTES VERITAS SCIENTIA
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
TUEBOR
SI QUAERIS PENINSULAM AMOENAM
CIRCUMSPICE

BV
4824
.A524

W. E. G.

EUSEBII AMORT

CANONICI REGULARIS ET DECANI POLLINGANI

DEDUCTIO CRITICA

QUA

JUXTA SANIORIS CRITICÆ LEGES MORALITER
CERTUM REDDITUR

VEN. THOMAM KEMPENSEM

LIBRORUM DE IMITATIONE CHRISTI

AUTHOREM ESSE.

CUM RESPONSIONE

AD

OPPOSITIONES GERSENISTÆ SCHYRENSIS
FRIVOLAS

EO MODO SCRIPTA,

UT

PRO GENERALI *FORMULA* CIRCA CONTROVERSIAS HISTORICAS DE SCRIPTIS, DOCUMENTIS, MONUMENTIS, VEL ACTIS PUBLICIS VETERUM HABERI POSSIT.

CUM PERMISSU SUPERIORUM.

AUGUSTÆ VINDELICORUM,

SUMPTIBUS JOAN. CONRADI WOHLERI, Bibliop. Ulmenſis

MDCCLXI.

REGULA CRITICA S. AUGUSTINI PRO DIGNOSCENDIS VETERUM LIBRORUM AUTHORIBUS.

„Quid vobis (Manichæis) faciam, quos ita obſurdefecit iniqui-
„ tas, ut quidquid adverſum vos (ex ſcripturis) probatum
„ fuerit, non eſſe dictum ab Apoſtolo, ſed à neſcio quo falſario
„ ſub ejus nomine ſcriptum eſſe dicere audeatis? - - - Infelices animæ!
„ de quo libro certum erit, cujus ſit, ſi litteræ, quas Apoſtolorum
„ dicit Eccleſia, ab ipſis Apoſtolis propagata, per omnes gentes de-
„ clarata, utrum Apoſtolorum ſint, incertum eſt? In litteris ſæcu-
„ larium ſub authorum nominibus multa prolata ſunt, & ideo repu-
„ diata, quia vel his ſcriptis, quæ ipſorum eſſe conſtabat, minimè
„ congruerunt; vel eo tempore, quo illi ſcripſerant, nequaquam
„ innoteſcere & per ipſos familiariſſimos eorum in poſteros prodi
„ meruerunt. Ut alios omittam, ſub Hippocratis nomine quidam
„ libri prolati ſunt, & in authoritatem à medicis recepti non ſunt, quan-
„ do comparati eis, quos verè Hippocratis eſſe conſtabat, impares
„ judicati ſunt, & quòd ab eo tempore, quo & cætera ejus ſcripta, non
„ innotuerunt, quòd verè ejus eſſent. Hos autem libros, quibus
„ illi comparati reſpuuntur, ſi quis neget eſſe Hippocratis, non re-
„ fellitur, ſed ridetur. Cur? *Quia ſic eos ab ipſo Hippocratis tempo-*
„ *re uſque ad hoc tempus, & deinceps ſucceſſionis ſeries commendavit, ut*
„ *hinc dubitare dementis ſit.* Platonis, Ariſtotelis, Ciceronis, Var-
„ ronis, aliorumque ejuſmodi authorum libros unde noverunt ho-
„ mines, quod ipſorum ſint, niſi eadem temporum ſibimet ſucce-
dentium conteſtatione continua? *S. Aug. lib. 33. contra Fauſtum. Cap.* 6. Textum totum & integrum vide §. 41.

PRÆ-

PRÆFATIO
AD LECTOREM.

ANDABATARUM more, *Caſſide infra oculos depreſſa*, ad exhilarationem populi Romani ſecum invicem congredientium, ludicrum orbi exhibere ſolent ſpectaculum, qui circa Controverſias Hiſtoricas abſque *peritia Artis Criticæ*, aut abſque notitia *Hiſtoriæ Litterariæ* in Arenam deſcendunt: Hæc enim diſceptantium circa Quæſtiones Actorum veterum duo oculorum lumina ſunt. Feſtivum ludum renovat Gerſeniſta novellus. Anſam illi duo Opuſcula præbuere, á me in cauſa *Ven. Thomæ Kempenſis* anno 1726. & 1729. defenſivè edita. Priori Titulum *Plena ac ſuccincta Informatio de Statu Controverſiæ Kempiſianæ &c.* Alteri: *Polycrates Gerſenſis exauthoratus* &c. præfixi. Anno 1728. in nova editione omnium Operum Ven. Thomæ Colonienſi *Scutum Kempenſe* inſerui, cura ſolertiori diſtenſum, ad quod ea de cauſa Lectorem in Compendiario *Polycrate &* octies remiſi. Eodem anno 1728. Cl. *Schelbornius*, cujus eximia talenta Eminentiſſimus Cardinalis QUIRINUS clar. mem. Benedictini Ordinis illuſtriſſimum Sydus, ſuo commercio Epiſtolico olim honorat, Epiſtolam meam Criticam de hac ipſa materia Tomo VIII. ſuis *Amænitatibus litterariis* intulit. Gerſeniſta noſter fatetur; ſe legiſſe primum meum Opuſculum anni 1726. & ultimum anni 1729.; de intermediis duobus, in quibus vana ſuppoſita & ratiocinia ſua in auras diſploſa contueri potuiſſet, tacendo conſentit, ea à ſe viſa non eſſe, *Caſſide* videlicet *infra oculos depreſſa*. Hinc illa ad paſſus ſingulos poſt triginta annorum inducias reſtauratis tanto tempore viribus novi Gerſeniſtæ, ceſpitationes, prolapſiones, offenſiones, lethales cauſæ Gerſenianæ vulnerationes. Quæ illæ, inquis? Habeto Summarium. Diſſertator, Pſeudo-Criticus, quinque potiſſimum modis impingit.

1. Argumentum moraliter certum ex teſtimonio ſeptuaginta ſeptem coævorum Teſtium ſolvere conatur ex eo, quia ſinguli fallere poſſunt. Solutionem eſſe peſſimam *Ars Critica* monſtrat.

2. Argumentum plusquam moraliter certum ex convenientia Styli Kempiſiani in NB. quadringentis Idiotiſmis Styli Kempiſiani ſolvere conatur ex eo, quia unus alterius Idiotiſmos ſingulos imitari poteſt. Verùm *Ars Critica* monſtrat, id ab orbe condito nec factum eſſe unquam, nec *contingenter* fieri poſſe, ut quis conſtanter per decurſum vitæ nonagenariæ in omnibus ſuis Operibus imitari voluerit quadringentos Idiotiſmos ſeu peculiares modos loquendi, præſertim à via recta latinæ linguæ devios, alteri Authori in parvo libello corruptæ latinitatis proprios.

3. Ex defectu Hiſtoriæ Litterariæ allegat Acta tanquam certa, quæ ex teſtibus oculatis conſtat eſſe falſa.

4. Ex defectu ſanæ rationis præfert meras præſumptiones Gerſenianas morali certitudini Kempiſianæ, ex 77. Teſtibus ſynchronis & ex identitate Styli per quadringentos Idiotiſmos demonſtratæ, quod etiam repugnat Arti Criticæ & *Regulæ juris*, præcipienti; ut *præſumptio cedat veritati* demonſtratæ.

5. Ex quatuor diſtinctis veris perſonis conſuit unam perſonam fictam, videlicet *Joannem Gerſen, de Canabaco, Abbatem Vercellenſem, Decretorum Doctorem.*

Has quinque Propoſitiones luce meridiana clarius demonſtrabo in ſequenti *Deductione Critica*, cui *Principia Artis Criticæ* ab Eruditis *præſtabilita*, inſtar *Poſtulatorum* in Demonſtrationibus Geometricis uſitatorum, præmitto; Errata perſonalia Gerſeniſtæ Schyrenſis, ad caput Controverſiæ per modum ineptiarum extravaſantium vel deviantium adiaphora, in folia ultima reſervo. Novum certamen, Benevole Lector, ſi vacat, ſpecta; & ſive *Kempiſius*, ſive *Gerſenius*, ſive *Entellus*, ſive *Dares* primas mereatur, Victori coronam impone.

PARS

Fol


SEPTENTRIO
MAPPA
Geograph:
KEMPI=
SIANA
Scala.
Milliaria Germanica Com:
5
10
Milliaria Gallica Com:
5
10
15
20
OCCIDENS
ORIENS
FRIESLAND DOM:
Harlingen
Hindelopen
Woreum
Slooten
Steenwick
Wieringen
DESERTA
Meppel
Gers
Alemar
Horn
ZUYDER ZEE
Kempen
Zwol
Mons S. Agnetis
Windesheim
HOLLANDIA
Harlem
Amsterdam
Utrecht
Leyden
PROVINCIÆ UNITÆ
Arnheim
Deventer
Zutphen
Doesburg
Brefort
Rhenen
Rotterdam
Leck Fl.
Tiel
Goreum
Dortrecht
Waal Fl.
Emmerick
Huesden
Ravestein
Rees
Cleve
DUC: CLIVIA
S. Gertrudenberg
Hertzogen Busch
Dom:
Wesel
Lippe Fl.
Breda
Recklinghausen
Rhinberg
Duysburg
ZELAND
Berg op Zoom
Eyndhoven
Camp
Blerick
DUCAT: GELDRIA
Geldern
Kempen
ARCHIEPISCOP: COL
DUCAT: BRABANTIÆ
Antwerpen
Ruremond
Axel
Hulst
S. Philipp
Gent
Herrentals
Brecy
Horn
Hardenberg
Düsseldorf
DUC: BERG
WESTPHAL
Escaut
Masick
CIRCUL.
Dendermonde
Aerschot
EPIS
Aloste
Mechelen
Sichen
Diest
Stochem
Mastricht
Duc. Juliacens:
Roldue
Julia
Cöln
Vilvorde
Loeven
Halem
Oudenarde
Brüssel



PARS I.

VITA
ACTA ET SCRIPTA
I. JOANNIS GERSON,
CANCELLARII PARISIENSIS.
II. JOANNIS DE KEMPIS,
III. THOMÆ DE KEMPIS,
FRATRUM GERMANORUM.
QUATENUS CAUSAM KEMPISIANAM RESPICIUNT,
IN TABULA CHRONOLOGICA
PROPONUNTUR. (a)

(a) Ex vita Gerſonis T. I. Operum edit. 1728. & ex Chron. Windesh. l. 2. & ex Chron. Montis S. Agnetis; & ex Biographis Kempiſii, Jodoco Badio Aſcenſio, & Franciſco Artopæo Tolenſi, lingua batava de Backer dicto.

Anno	
1363.	Naſcitur in viculô Rhemenſis Diœceſis prope Rhethelium, cui viculo nomen *Gerſon*, corrupte *Jarſon*, ac *Gerſen*.
1365.	
1379.	
1380. 1384.	Duo Fratres Gerſonis, Joannes & Nicolaus recipiunt Lugduni Ordinem Cœleſtinorum, tertius fit Benedictinus Rhemis
1387.	Fit Baccalaurêus in Academia Pariſienſi
1388.	
1392.	Fit Cancellarius Academiæ Pariſienſis.
1399.	
1400.	

Naſcitur Joannes de Kempis in oppidô Kempen, Territorii Coloniensſis.	
[illegible]	Naſcitur Thomas de Kempis Germanus Frater Joannis. ibidem.
Fit Diſcipulus Gerardi Magni, & D. Florentii Daventriæ.	
Emittit profeſſionem Can. Reg. in noviter conſtructo monaſteriô Windesheim & fit unus ex primariîs Viris Congregationis Windesheimenſis.	
	Studet Daventriae octo annis ſub directione D. Florentii, cum quo frequentat Chorum.
In Monte S. Agnetis domum exiguam aliquot Clericorum ſimul cohabitantium incipit convertere in Monaſterium.	
Recipit ſecum Thomam fratrem Germanum	Aſſociatur Clericis in Monte S. Agnetis ſub directione Fratris

1422.	
1429.	Moritur Lugduni. In eius Epitaphiô legebatur Sæculo XV. *Gerſen* loco *Gerſon.* (a)
1432.	
1471.	
1679.	

(a) In Codice Padolironenſi.

	Fit iterum Supprior & Novitiorum Magiſter.
	Concionator celebris.
Moritur ſanctè	Scribit varia.
	Moritur Senex anno ætatis nonageſimo ſecundo nondum completo
	Rege Galliæ & Epiſcopo Colonienſi victricia arma protendente in Oſtfriſiam, ejus Sacra Oſſa inter templi diruti rudera exhumantur & Coloniam transferuntur. (§. 258.)

PARS II.
PRINCIPIA ARTIS CRITICÆ PRÆSTABILITA.

§. 1.

In Rebus hiſtoricis nihil credibile eſt; quod caret teſte idoneô, nec quidquam incredibile, quod habet teſtem idoneum.

§. 2. Teſtem idoneum voco, de quo meritò præſumendum, eum in punćto atteſtationis nec falli nec fallere.

§. 3. Ubi teſtis contra teſtem eſt circa idem atteſtationis punćtum, neuter cæteris paribus eſt teſtis idoneus; quia de neutro meritò præſumendum, eum nec falli nec fallere.

§. 4. Teſtis de re, quæ præceſſit duobûs aut tribûs Sæculîs, ſine allegatione teſtis ſynchroni non eſt teſtis idoneus.

§. 5. Teſtis de aćtis in regione diſſitâ non eſt teſtis idoneus ſine documentô idoneô.

§. 6. Teſtis de famâ incerti authoris *tranſeunte* non eſt teſtis idoneus. Econtrà teſtis de famâ patriâ integræ nationis circa aćta publica ſynchrona *permanente*, nullo eorum, quorum intereſt, reclamante, eſt teſtis idoneus, quia in millionibûs caſuum ſimilium vix ſemel fallit.

§. 7. Teſtis ſemel deprehenſus de ſtudioſâ fallaciâ non eſt teſtis idoneus.

§. 8. Teſtis de credulitate propriâ vel alienâ non agit partes teſtis, ſed partes judicis, vel teſtem de judiciô alienô.

§. 9. Judicium authoris informe ſine produćtione idoneorum teſtium non meretur quidem nomen teſtis idonei, ſi tamen judicium unius idonei judicis in quæſtione fatti recentis notorii ſynchroni fuerit

rit confirmatum à centumvirali Judiciô Judicum vel Dicaſteriorum diverſorum locorum patriorum & temporum, à quibus documenta inſpici poterant, id moraliter certum eſt.

§. 10. Defectus teſtium de actis publicis ſolennibus, omnium attentione dignis, agit teſtem idoneum de non exiſtentiâ objecti.

§. 11. Itaque *argumentum negativum* ex univerſali ſilentio authorum continuato per duo, tria, vel quatuor ſæcula, circa præfata acta publica admittendum eſt in claſſem idoneorum teſtium.

§. 12. Codices Manuſcripti Veteres, quamvis Anonymi, repræſentant teſtem idoneum circa acta ſuorum temporum, donec non revocentur in dubium documentô contrariô ſynchronô. In teſte enim idoneô non exigitur impotentia fraudis, aut deceptionis, ſed juſta præſumptio veracitatis in teſtandô, & cautionis in credendô.

§. 13. Manuſcripti Codices variantes inter ſe circa Acta ſuorum aut vicinorum temporum repræſentant tantùm teſtem de credulitate privatâ, aut famâ publicâ incerti authoris, niſi dent aliam rationem ſcientiæ.

§. 14. Teſtis idoneus omni exceptione major etiam unicus, fundat moralem certitudinem.

§. 15. Quilibet teſtis idoneus, quamvis non ſit omni exceptione major, fundat gravem præſumptionem pro veritate atteſtati.

§. 16. Teſtis de ſolâ credulitate aut famâ fundat præſumptionem ſolùm tenuem, aut omninò nullam. Frequenter enim falluntur aut fallunt.

§. 17. Quævis præſumptio vincitur præſumptione fortiori oppoſitâ. Præſumptiones autem etiam graviſſimæ, niſi coaleſcant in certitudinem moralem, vincuntur veritate teſtimoniô moraliter certô demonſtratâ. Inde Axioma: *Præſumptio cedit veritati.*

§. 18. Illæ præſumptiones ſolæ & omnes coaleſcunt in certitudinem moralem, quarum aggregatum, comparativè ad teſtimonia

 oppo-

oppoſita ſpectatum, conſideratô etiam numerô ac qualitate teſtium, nec falli nec fallere moraliter certum eſt.

§. 19. Univerſim rectiſſima Idea certitudinis moralis hæc eſt, ut illa dicantur moraliter certa, quæ in tota ſerie caſuum ſimilium ferè nunquam fallunt. *Totam* Seriem, ſeu inductionem adæquatam voco, quæ ab expertis, vel in re hiſtorica eruditis circa caſus proximè ſimiles reperiri poteſt.

§. 20. Hinc patet, certitudinem moralem in ratione numericâ eorum caſuum, qui fallunt, aut ſeriem caſuum non fallentium, hôc modo exprimi poſſe. $\frac{1}{10}$, $\frac{1}{100}$, $\frac{1}{1000}$, $\frac{1}{10000}$, $\frac{1}{100000}$, $\frac{1}{1000000}$.

§. 21. In hoc Schemate, in quo intra ſeriem caſuum ſimilium decem, ſemel tantum, hoc eſt, reſpectivè rarò, fallor, certitudo moralis minima (ſi tamen hoc nomen mereatur) exprimitur: in exemplò autem ultimô, in quo intra millionem caſuum ſimilium, tantùm ſemel fallor, certitudo moralis maxima, aut maximæ vicina exprimitur.

§. 22. Exempla realia habentur innumera, v. g. in reô per decem teſtes convictô ac damnatô ad mortem; in Suſanna per duos teſtes omni exceptione majores convicta adulterii, de fabulâ Johannæ Bapiſſæ olim à ducentis Scriptoribus defensâ; de ſecuturâ pluviâ manè rubente polo ac deſcendente in gradum infimum mercuriô, de jactu uniformi ac repetito ſenarii per ſex aleas; de victoria unius contra decem, aut contra centum millia; in cauſa poſſeſſoria vel petitoria fundata in centum teſtibus vel inſtrumentis ſolennibûs. & In infinitîs ejusmodi exemplîs reperitur moralem certitudinem fundatam in longa ſerie caſuum ſimilium aliquando falli.

§. 23. Itaque cum certitudine morali etiam in rebus hiſtoricis ſtat poſſibilitas oppoſiti.

§. 24. Immo etiam cum exſtat rariſſimum contingens oppoſitum.

§. 25.

§. 25. Vanæ proin ſunt eorum contra moralem certitudinem exceptiones, qui meras poſſibilitates oppoſiti, aut contingentia oppoſita rariſſima objiciunt.

§. 26. Econtra rectè faciunt, qui in rebus hiſtoricis certitudine morali ſemel demonſtratis ad præſumptiones oppoſitas meram poſſibilitatem, aut contingens contrarii reponunt. Omnis enim præſumptio, necdum evecta ad gradum moralis certitudinis, cedit veritati, morali certitudine demonſtratæ. (§. 17.)

§. 27. Argumenta probabilia conglobata, præſumptiones multiplicatæ, adminiculantia argumentorum & confirmatorialia præſumptionum demonſtrata, non tollunt moralem certitudinem oppoſitam, niſi coaleſcant & conflentur in unum argumentum ſeu *aggregatum* circumſtantiarum, cauſarum, finium, &c. quod in tota ſerie caſuum ſimilium ferè nunquam fallit.

§. 28. Hinc demonſtrationes articulorum præciſè adminiculantium confundendæ non ſunt cum demonſtratione cauſæ principalis, vel articuli deciſorii litis.

§. 29. Circa quæſtiones facti antiqui omnia pro incertis habenda ſunt ſine teſte ſynchrono, aut proximè coævô, idoneô.

§. 30. Sola *conteſſeratio* idoneorum teſtium (prout Tertullianus loquitur) res facti antiqui certas facit. *Conteſſerationem teſtium* Tertullianus vocat traditionem moralem teſtium ſynchronorum ſeniorum in ſuos diſcipulos juniores, & horum ſeneſcentium in alios coætaneos juniores, & ſic ulterius uſque ad noſtra tempora (§. 40.) Talis contabulatio teſtium dabatur in lege naturæ ante diluvium inter Adamum ſenem nongentorum annorum, Lamech ſenem ſeptingentorum annorum, Noëmum ſenem octingentorum annorum, ejus filium Sem ſenem ſexcentorum annorum, uſque ad patrem Abrahæ. *Gen. c.* 5. 10. 11.

§. 31. Similis *conteſſeratio* obſervatur etiam in primis teſtibus Evangelii, v. g. S. Joanne Evangeliſta, S. Ignatio Martyre, S. Simeone Jeroſolymitano, S. Polycarpo, S. Irenæo, &c.

§ 32. Circa Authentiam veterum Codicum etiam S. Auguſtinus ſimilem conteſſerationem requirit. (§. 41.)

§. 33. Authores genuini librorum non ſolum ex conteſſeratione teſtium, ſed etiam ex complicatione perpetua contingente Idiotiſmum quadringentorum, præſertim à puritate aut familiari uſu Latini Sermonis recedentium, morali certitudine dignoſci poſſunt. Per leges enim contingentium & combinationum rerum caſualium *Bernoullianas* impoſſibile eſt, ut conſtanter eadem tot proprietatum differentialium conbinatio fiat, niſi ex uno eodémque phantaſiæ habitu, tanquam modulo contingenter fuſo, procedant. Iis, qui leges contingentium conbinatorias *Bernoulli* non intelligunt, hanc regulam ſic probo. A mille annis & ultra non poteſt afferri unicum exemplum, quod duo authores in ſuis Scriptis in Idiotiſmis quadringentis, *præſertim à puritate ac more Latini Sermonis recedentibus*, conſtanter ac contingenter conveniant. Ergo moraliter certum eſt, illam convenientiam ſtyli perpetuam ex ejusdem authoris ingeniô tanquam modulô contingenter fusô procedere.

§. 34. *Dixi* 1. *Idiotiſmis quadringentis*, ſumendô ingentem numerum determinatum pro ingenti indeterminatô. In paucis enim Idiotiſmîs facilê duo authores contingenter conveniunt. *Dixi* 2. *conſtanter & contingenter*. Siquis enim ſtudiosè ac debitâ operâ imitari velit barbariem, aut exoleta verba Scriptoris Latini, id præſtare poterit; ſed non præſtabit id conſtanter. *Dixi* 3. *ut duo conveniant*. Diverſitas enim ſtyli non probat diverſitatem Authoris. Idem enim Scriptor ex variîs causîs in ſtylo ſæpe variat.

§. 35. In Manuſcriptis Codicibûs Achronîs, quibus nullus determinatus annus adſcriptus eſt, ex forma ſcripturæ ætas Codicis intra latitudinem centum annorum quoad confinia ſæculi præcedentis ac ſubſequentis *probabiliter*, quoad decennia, vicennia, aut tricennia; intermedia *nequidem probabiliter* ſtatui poteſt. Id patet inſpicienti formularia ſcripturarum in Opere MABILLONII *De Re Diplomatica* impreſſo Pariſiis 1709. fol. 373. *Lexico Diplomatico Waltheri* impreſ-

impreſſo Gœttingæ 1745. BARINGII *Clave Diplomatica* impreſſa Hanoveræ. *Nouveau Traité de Diplomatique* PAR DEUX RELIGIEUX Benedictins, à Paris 1750. Tom. I. & Anno 1755. Tom. II. & 1757. Tom. III. & Tom. IV. TROMBELLI Digniſſimi Generalis Abbatis nunc Congregationit Can. Reg. Salvatoris, ſeu Rhenanæ *Arte di conoſcere l'Età de Codici in Bologna* 1756. Ipſus luſtravi compluræ millia Manuſcriptorum cum peculiari attentione ad ætatem eorum Codicum, & hanc Regulam eſſe *veram* deprehendi.

§. 36. Variatio ſcripturarum non ſimul eodem tempore, nec ſimul eodem modô incipit in diverſis regionibûs, v. g. Italiâ, Galliâ, Germaniâ &c. immò idem variandi modus eodem tempore nequidem obſervatus fuit in iisdem regionibûs à diversîs civitatibûs, aut in eadem civitate à diversîs Scriptoribus, prout rectè in omni genere eruditionis verſatiſſimus TROMBELLIUS in præfatô Opere C. 12. obſervat. Quis enim Notarios, Doctores, Aſcetas &c. ætate graves, in ſenectute ſua, ab aſſuetô ante ſexaginta annos modo ſcribendi recedere compellat?

§. 37. Hinc ſequitur, judicium Eruditorum *indigenarum* circa ætatem Manuſcriptorum patriorum præferendum eſſe judicio *exterorum.*

§. 38. Sequitur etiam, *judiciis Eruditorum circa ætatem Manuſcriptorum Codicum, cùm intra latitudinem centum annorum gradum probabilitatis non tranſcendant, argumenta oppoſita moraliter certa præferenda eſſe.*

§. 39. Ipſa inſcriptio Manuſcriptorum Codicum in primô foliô, ſupra frontem tituli, extra contextus lineam, poſſeſſoris potiùs quàm authoris nomen indicat. Sicut enim poſt ortum Typographiæ Poſſeſſores libri in tituli ſupremâ parte extra contextum ſuum nomen adſcribere conſueverunt, cujus rei in noſtrâ Bibliothecâ ultra ducenta habemus exempla, ita idem ante ortum Typographiæ Poſſeſſoribus commodum fuiſſe, non ſolùm veroſimile eſt, ſed etiam interdum placuiſſe conſtat.

§. 40.

§. 40. Textus *Tertulliani* & S. *Auguſtini* de conteſſeratione teſtium ſunt ſequentes. TERTULLIANUS in L. *Præſcriptionum contra hæreticos* C. 20. „ Chriſtus præcipuos lateri ſuo adlegerat, „ deſtinatos Nationibus magiſtros. Hi eandem doctrinam nationi„ bus promulgaverunt, & Eccleſias ad unamquamque civitatem „ condiderunt, à quibus traducem fidei cæteræ Eccleſiæ mutuatæ „ ſunt, & quotidie mutuantur. Itaque tot ac tantæ Eccleſiæ una „ eſt illa prima: communicatio pacis & conteſſeratio hoſpitalitatis „ &c. Et C. 36. Videamus quid Petrus Apoſtolus cum Africanis „ Eccleſiis conteſſerârit.„

§. 41. S. AUGUSTINUS Lib. XXXIII. *contra Fauſtum* Cap. 6. „Quid vobis, inquit, faciam, quos contra teſtimonia Scriptu„ rarum ita obſurdefecit iniquitas, ut quidquid adverſum vos indè „ prolatum fuerit, non eſſe dictum ab Apoſtolo, ſed à neſcio quo „ falſario ſub ejus nomine ſcriptum eſſe dicere audeatis? Uſque adeò „ à Chriſtiana doctrina apertè aliena eſt, quam prædicatis doctrina „ dæmoniorum, ut eam ſub Chriſtianæ doctrinæ nomine defendere „ nullâ ex parte poſſitis, niſi dicatis falſas eſſe Scripturas Apoſtolo„ rum. Infelices inimici animæ veſtræ, quæ umquam litteræ ullum „ habebunt pondus auctoritatis, ſi Evangelicæ, ſi Apoſtolicæ non „ habebunt? De quo libro certum erit cujus ſit, ſi litteræ quas A„ poſtolorum dicit & tenet Eccleſia ab ipſis Apoſtolis propagata & „ per omnes gentes tantâ eminentiâ declarata, utrum Apoſtolorum „ ſint incertum eſt; & hoc erit certum ſcripſiſſe Apoſtolos, quod „ huic Eccleſiæ contrarii hæretici proferunt auctorum ſuorum nomi„ nibus appellati, longè poſt Apoſtolos exiſtentium? Quaſi verò „ & in litteris ſæcularibus non fuerunt certiſſimi auctores, ſub quo„ rum nominibus poſtea multa prolata ſunt, & ideo repudiata, quia „ vel his quæ ipſorum eſſe conſtaret minimè congruerunt, vel eo „ tempore quo illi ſcripſerint, nequaquam innoteſcere, & per ipſos „ vel familiariſſimos eorum in poſteros prodi commendarique me„ ruerunt. Nonne, ut alios omittam, ſub Hippocratis medici no-

„ biliſſimi

„ biliſſimi nomine quidam libri prolati, in auctoritatem à medicis „ non recepti ſunt? Nec eos adjuvit nonnulla ſimilitudo rerum at- „ que verborum, quando comparati eis quos vere Hippocratis „ eſſe conſtaret impares judicati ſunt; & quod ab eo tempore, quo „ & vetera ſcripta ejus, non innotuerunt, quod veré ejus eſſent. „ Hos autem libros, quibus illi qui de tranſverſo proferuntur com- „ parati reſpuuntur, unde conſtat eſſe Hippocratis, unde ſi quis „ hóc neget, nec ſaltem refellitur, ſed ridetur, niſi quia ſic eos „ ab ipſo Hippocratis tempore uſque ad hoc tempus & deinceps „ ſucceſſionis ſeries commendavit, ut hinc dubitare dementis ſit? „ Platonis, Ariſtotelis, Ciceronis, Varronis, aliorûmque ejusmo- „ di auctorum libros, unde noverunt homines quod ipſorum ſint, „ niſi eadem temporum ſibimet ſuccedentium conteſtatione conti- „ nuâ? Multi multa de litteris Eccleſiaſticis conſcripſerunt, non „ quidem auctoritate canonicâ, ſed aliquô adjuvandi ſtudiô ſive „ diſcendi. Unde conſtat quid cujus ſit, niſi quia his temporibûs „ quibus ea quisque ſcripſit, quibus potuit inſinuavit atque edidit, „ & indè in alios atque alios continuatâ notitiâ latiúsque firmatâ ad „ poſteros, etiam uſque ad noſtra tempora pervenerunt, ita ut in- „ terrogati cujus quiſque liber ſit, non hæſitemus quid reſpondere „ debeamus? Sed quid pergam in longè præterita? Ecce iſtas litte- „ ras quas habemus in manibus, ſi poſt aliquantum tempus vitæ „ hujus noſtræ, vel illas quiſquam Fauſti eſſe, vel has neget eſſe „ meas, undè convincitur; niſi quia illi qui nunc iſta noverunt, „ notitiam ſuam ad longè etiam poſt futuros continuatis poſterorum „ ſucceſſionibûs trajiciunt? Quæ cùm ita ſint, quis tandem tantô „ furore cæcatur, niſi dæmoniorum mendaciloquorum malitiæ at- „ que fallaciæ conſentiendo ſubverſus ſit, qui dicat hoc mereri non „ potuiſſe Apoſtolorum Eccleſiam; tam fidam, tam numeroſam „ fratrum concordiam ut eorum ſcripta fideliter ad poſteros trajice- „ rent, cum eorum cathedras uſque ad præſentes Epiſcopos certiſ- „ ſima Succeſſione ſervaverint, cum hoc qualiumcumque hominum

„ ſcriptis, ſive extra Eccleſiam, ſive in ipſa Eccleſiâ, tantâ facili-
„ tate proveniat?

PARS III.

ARGUMENTA THOMÆ KEMPISIO OPPOSITA DISSOLVUNTUR.

ARGUMENTUM I.

Ex Collationibus Divi BONAVENTURÆ.

§. 42.

Divus *Bonaventura* in ſuis *octo collationibus* ad *Fratres Toloſanos* citat devotum *libellum de Imitatione D. N. J. Chriſti*, ex eóque integram Collationem ſeptimam deſumit. Ergo libellus de Imitatione jam extitit ducentis fermè annis ante Kempiſium.

§. 43. Gerſeniſtæ deeſt notitia Hiſtoriæ litterariæ. Illas enim *octo Collationes* non eſſe D. Bonaventuræ, certum eſt. *Collatio prima* integra de verbô ad verbum deſumpta eſt ex Ubertinô de Caſalis, quod Author harum Collationum apertè conteſtatur hîs ad finem Collationis *primæ* appoſitis verbis: *Hæc Ubertinus*. Jam verò Ubertinum non potuiſſe citari à D. Bonaventurâ, ex actis utriusque conſtat. *S. Bonaventura* obiit annò 1274. *Ubertinus* hôc ipſiſſimô annô ingreſſus eſt Novitiatum in Ordinem S. Franciſci, agens annum ætatis *decimum quartum*. Annô autem ætatis ſuæ quadrageſimô ſextô, Chriſti 1304. ſcribere cœpit librum, cui titulus: *Arbor vitæ crucifixæ*, ex cujus *librô primô*, *capitulô undecimô* tota *Collatio prima* ſuppoſita D. Bonaventuræ, deſumpta eſt.

§. 44. Unde tam exactam Chronotaxin actorum & ſcriptorum Ubertinianorum habeam, quæres? Eam habeo ex teſtimoniô ipſius

Uber-

Ubertini. In *Prologo primo*, & in *libro quinto*, *capitulo octavo* ſui Operis, cui Titulus: *Arbor vitæ crucifixæ* ſic ſcribit: „ Univerſis fi-
„ delibus Frater Ubertinus Ordinis B. Franciſci profeſſus proponit,
„ Chriſtum JEſum, & Mariam JEſu Matrem fideliter imitari. - Ex
„ decimo quarto anno vitæ meæ ad Ordinem per Seraphicum Virum
„ *Franciſcum* inſtitutum Chriſtus me adduxit, à patre & matre ob-
„ latum. Licet autem inter vanos ſtudentium cuneos fuerim ſæpe
„ philoſophicis ſtudiis deditus, Spiritus tamen JEſu me impulit iſta
„ contemnere. - Quaſi per quatuordecim annos circa forinſeca JE-
„ ſu me ſuus Spiritus occupabat nondum me introducens ad altas ſuæ
„ mentis perfectiones, & cordis ſui dolores. Sed tunc ad ſanctiſſi-
„ mum Joannem de Parma deveniens ab ipſo confortatus intravi Ec-
„ cleſiam de Portiunculâ. - Ad Provinciam Tuſciæ veniens ſub titu-
„ lô ſtudii inveni in multis viris Spiritum JEſu. Affuit tunc cum præ-
„ dictis Magiſtris frater *Joannes Olivi*, qui nunc, ut ſpero, regnat
„ in cœlis. (a) Is modico tempore me Spiritu JEſu præveniente in-
„ troduxit ad altas perfectiones animæ JEſu & ſuæ Matris & ad
„ profunda Scripturæ, & ad intimà tertii Statûs mundi, ut jam ex
„ tunc in novum hominem mente tranſiverim. - Novem annorum
„ ſpatio, quibus legi & Pariſiis fui, totam primam reformationem
„ fœdaveram. Vigeſimo quinto anno ætatis meæ ad reverendæ
„ Matris Angelæ de Fulgineô adduxit me notitiam, cui ſic cordis
„ mei defectus revelavit JEſus, ut dubitare non poſſem, illum eſ-
„ ſe, qui loquebatur in illa. Circa quadriennium tantùm legi. Poſt
„ hæc omnia tempora prædicationi intendi, in qua propter teſtimo-
„ nium veritatis, quam coram Clerô & populi multitudine Peruſina
„ pluries prædicandò expoſui, ſub perſecutionis titulô prædicationis
„ impoſito ſilentiô ad ſolitudinis locum ſacrum deductus ſum, qui
„ dicitur Mons Alverne, quem nunc adhuc indignus habitator com-
„ maculo. Ibi ſublimiores transformationes in JEſum ſuſcepi, & in

(a) Erat ex parte Franciſcanorum abnegantium Chriſto & Apoſtolis dominium in communi circa res uſu conſumptibiles.

„ novum Statum quaſi continuò tranſferor. - In his varietatibûs totum annum primum in ſacro monte tranſegi, multoties moleſtatus à diverſis, quod aliqua ſcripturarum exponerem, aliîs petentibûs, quôd prædicabilia componerem; aliîs, quòd Apocalypſin exponerem, aliîs flagitantibûs, quòd Chriſti vitam & cordiales ejus paſſiones deſcriberem, ſed novit JEſus, qui librum iſtum complebit, quod tantùm eram extraneus ab iſtis in corde meo, ſicut modò mihi videor extraneus ab ædificio manuali. Hujus difficultatis ratio mihi ab infantiâ infuit, quia vix unquam potuí unam modicam diſtinctiunculam, vel aliquid aliud ſcriptitare, vel cuicunque ſcribenti dictitare, quantumcunque utile vel devotum. De quibus experientiam plenam habuit, qui mihi præerat Quardianus, cujus importunis moleſtiis ſæpiùs iteratis illius manu hoc modo liber iſte incepit. Nam uterinus meus (Johanninus) minor tempore, quem ad Ordinem adduxi, moleſtabat me continuè & Quardianum prædictum, ut de cordialî paſſione JEſu ſcribenti Quardiano loquendô edicerem, quia neuter ſperabat, meam adhuc nimiam duritiam ad amplius emolliri. Qui magis motus moleſtia, quàm complacentia, acceptavi, ſolùm verſiculos intendens transcurrere. Nam eos ex aliorum dictis, & à Chriſto mihi immiſſis compereram (utiles) ad vitæ Chriſti faciliorem recolligendam memoriam, & præſentis Status miſeriam cordialiter deplorandam. Suadente vero mihi prædictô ſcriptore, quòd breviter eorum intellectum exponerem; illud intendi (mihi prælectum attendi) vix alicubi mediam lineam pro expoſitione verſiculi ponens. Cùm veniſſem autem ad primum verſiculum (l. 4. c. 9.) *JEſus futura prævidens*, (a) fortiſſimè mihi fuit immiſſum à Spiritu JEſu, ut cordiales dolores JEſu exponerem tam pro prædicto Fratre *Johannino* parvulo, quàm pro omnibûs volentibûs in

(a) Iſti verſiculi, ſeu Summaria Capitum continentur in aureo Opuſculo D. Bonaventuræ, cui Titulus: *Arbor Crucifixi.* Sed in noſtra editione loco terminorum *futura prævidens* legitur: *præfiguratus.*

„ in Chriſti paſſionibûs exerceri. Quô factô inſtigabar à JEſu,
„ quòd ſuæ Paſſionis deſcriberem totum curſum; & dum in his pro-
„ cederem; immiſſum eſt mihi, quod totam vitam JEſu transcurre-
„ rem, & parvulum ex Evangelica Sylva tranſcriberem, quem di-
„ lecti JEſu *Myrrhæ Faſciculum* appellarem (a). Sed cum perſeve-
„ rarem in gemitibus, immiſſum eſt mihi fortiſſimo impulſu Spiritus
„ JEſu, ut præſentis Eccleſiæ mala deſcriberem, & vitæ Chriſti ve-
„ ritatem impugnantium vitia confutarem, & ab æternitate JEſu
„ inchoando uſque ad ſuam & ſuorum (b) gloriam membrorum ex-
„ plicarem, quidquid ipſe JEſus immitteret. Et in quinto libro
„ apparet aliquantulùm Apocalypſis intelligentia litteræ, propter
„ quod liber incomparabiliter plùs exceſſit in longitudine, quam
„ ipſe æſtimaveram. Nec miretur Lector, ſi diverſis modis vitia
„ hujus temporis prolixiùs repetantur: quia vix credet futura na-
„ tio, quantùm in his diebus ſubmerſa fuerit veritas Eccleſiæ &
„ adulterata veritas vitæ Chriſti. Et quia ſingulariter paupertas
„ Chriſti vitæ, & ejus paupertatis uſus verſutis machinationibûs
„ multipliciter diſſipatur; idcirco ubique pungit Spiritus JEſu in
„ hoc libro (c) pauperes falſos, & Capitulum illud libri tertii: *JE-*
„ *ſus pro nobis indigens* prolixiùs ampliavit, quod etiam in pluribus
„ aliis Capitulis idem Spiritus JEſu feciſſe monſtratur. Vix etiam
„ credet, quicunque hæc leget, cum quanta impulſione Spiritûs
„ JEſu ipſe, ut indubiè teneo, mihi immittebat deteſtationem præ-
„ ſentis temporis & præteriti, & ad ſcribendum ipſe ſine cogitatio-
„ ne præambulâ impellebat: nam in monte ſolitudinis (Alverniæ) cùm
„ librorum penuria, ubi poſſem dubia revidere non plùs quam trium
„ menſium & ſeptem dierum, vel circa, ſpatium temporis in ſcriben-

 do

(a) Ubertinus *primo* ſcripſit de doloribus Chriſti internis. *Dein* de paſſione Domini. *Tertio* de vita Chriſti uſque ad paſſionem Chriſti. *Quarto* de ejus Gloria. *Quinto* de ſeptem Statibus Eccleſiæ & Apocalypſi: Sed in Editione ſecundum librum poſuit quarto loco, & *Thymeum* vocat.

(b) Hoſtes Evangelicæ paupertatis impugnat l. 3. c. 9.

(c) l. 3. c. 9. l. 1. c. 1. & l. 2. c. 4. & & l 4. c. 1. &c.

„ do totum hunc librum, de quo ſcribendo vix unquam cogitave-
„ ram, occupare permiſit, & hunc etiam, niſi quandò dictabam,
„ vel ab aliis libris (a) accipiebam, valdè parùm cogitare ſinebat.
„ Quod ſi præcogitabam aliquandò, dum poſteà dictarem ſcriptori,
„ id ſæpiùs JEſus totaliter alterabat, & aliô modô formabat conce-
„ ptum. - Dum vix tertiam libri partem feciſſem, (Angela de Ful-
„ ginio) mihi prædixit, quæ eram poſiturus in alia; & dum infir-
„ marer de febre, ſic ad ejus promiſſionem convalui ſubitò, quod,
„ mihi ſtatim præparatô optimi fratris & nuntii auxiliô, ferè medie-
„ tatem hujus libri (reſiduam) & quaſi totam difficultatem, in ultimô
„ trium prædictorum menſium compilavit Spiritus JEſu Chriſti: &
„ juxta quod ipſa prædixit dans mihi terminum Septembris; illo
„ menſe terminavi in Vigilia Michaëlis Archangeli anni præſentis
„ MCCCV., à meâ converſione (hoc eſt, ingreſſu in Ordinem)
„ annô XXXII. „ Hucuſque *Ubertinus* in Prologô. Idem eundem ſcriptionis annum confirmat in fine Operis l. 5. c. 8. Ubi poſtquàm retulerat reſignationem Papatûs factam à *Cœleſtino* Papa, & miſeram mortem ejus Succeſſoris, *Bonifacii* VIII., addit; Benedictum ſucceſſiſſe Bonifacio VIII., quod contigit anno 1304.

§. 45. Ex hoc ergò propriô teſtimoniô Ubertini duo luculenter demonſtrantur. Primò; quòd Ubertinus hunc librum annò 1304. & 1305. ſcripſerit, hoc eſt, triginta annis poſt mortem D. Bonaventuræ. *Secundò*, quod Ubertinus nullum priùs alium librum ſcripſerit. Itaque pariter demonſtratum erit, ex Ubertino integram Collationem *primam* aut partem illius à D. Bonaventurà, qui anno 1274. obiit, deſumi non potuiſſe.

§. 46. Ex abundantia in *Confirmationem* prædictorum & majorem confuſionem Gerſeniſtarum nunc oſtendam, adeò certum eſſe, *Bonaventuram* in ſuppoſitis *Collationibus* non potuiſſe allegare *Ubertinum*,

(a) Ex Opuſculis Bonaventuræ, ante triginta annos mortui, præſertim ex ejus libro, cui titulus: *Lignum* ſeu *Arbor Crucifixi*, quem *Ubertinus* fuſiùs amplificat.

tinum, ut potiùs ex oppoſitô poſitivè conſtet; Ubertinum magnam partem ſui Operis ex Opuſculo *Bonaventuræ*, cui titulus: *Lignum Vitæ*, vel prout in aliis exemplaribus inſcrîbitur, *Arbor Crucifixi*, & ex alio ejusdem Opuſculô, cui titulus: *Apologia pauperum* deſumpſiſſe. Adduco ipſa verba *Ubertini*. In l. 3. part. 2. c. 9. ſic ſcribit: *Ex prædictis authoritatibus Frater Bonaventura ſic concluſit c. 7. Apologiæ ſuæ &c.* Et l. 3. part. 3. c. 9. iterum Bonaventuram ſic allegat. *Attende, quòd Frater Bonaventura in Apologiâ ſuâ non qualemcunque paupertatem defendit, ſed penurioſam &c.* Et l. 3. part. 4. *Conſtat, quod ſicut Frater Bonaventura dicit &c.* Ex his patet, quod *Ubertinus* ſæpiùs Bonaventuram, eo tempore necdum canonizatum, alleget. Ex BALUZIO conſtat, Ubertinum adhuc vixiſſe, & Apologiam Papæ obtuliſſe anno 1330. (a) Reſtat, ut oſtendam, *Ubertinum* ſui Operis partem ex Bonaventura deſumpſiſſe. Id monſtrant *Summaria* varia Capitulorum in Ubertinô & Bonaventurâ eadem, quamvis ab Ubertinô diverſo ordine diſpoſita, & fuſiús amplificata v. g. *JEſus orans proſtratus*, *JEſus felle potatus*, *JEſus translanceatus*, *JEſus intumulatus*, *JEſus reſurgens beatus*, *JEſus decor præcipuus*, *JEſus orbi prælatus*, *JEſus Doctor exercitùs*, *JEſus cœlò levatus*, *JEſus largitor Spiritus &c.* Hæc omnia Summaria Capitulorum, quæ D. BONAVENTURA in ſuô *Lignô Vitæ*, ſeu Arbore Crucifixi breviter expedivit, UBERTINUS in ſuo *quarto libro* fusè explicuit

§. 47. Somniabunt fortè Gerſeniſtæ, etiamſi convictiſſimi ſint in hoc, quod Ubertinus citari non pòtuerit à D. Bonaventura; ac proin Collationes octo ipſi adſcriptas eſſe ſuppoſititias; præſumendum tamen, eâs in veteri aliquo Exemplari ad tempora Kempiſiana anteriori reperta fuiſſe, ut mererentur non temerè adſcribi Doctori Seraphico.

§. 48.

(a) Miſcellan. T. I. Textum vide inter Documenta probatoria §. 246.

§. 48. Reſpondeo; etiam hoc ſomnium diſpelli luce Hiſtoriæ litterariæ. Cùm enim in Italiâ, Galliâ, Angliâ & Germaniâ reperiantur Manuſcripta innumera præferentia nomen *Bonaventuræ*, nullum tamen reperitur antiquius ætate Kempiſiana Exemplar Collationum iſtarum. Manuſcripta Anglicana ènumerantur in catalogis Manuſcriptorum Angliæ & Hiberniæ impreſsis *Oxoniæ* anno 1697. Manuſcripta Gallicana recenſet B. *Montfaucon* Benedictinus in ſua Bibliothecâ Manuſcriptorum impreſsâ Pariſiis 1739. In Germaniâ habemus varios Manuſcriptorum Catalogos v. g. *Lunælacenſem*, *Mellicenſem*, *Emmeranum*, *Vindobonenſem*, Catalogos Manuſcriptorum aſſervatorum in omnibus Monaſteriis Bavariæ, qui etiamnum extant, in Bibliothecâ Electorali, quos ante tringinta circiter annos â principiô uſque ad finem totos perlegi. Nullibi comparet Exemplar Collationum ſuppoſititiarum Bonaventuræ, nec in impreſſis antiquis. Ergo, cùm nullius alterius tam pertinacis per duo ſæcula ſilentii, circa opus ſuppoſititium celeberrimi alicujus authoris, habeatur exemplum, per Regulas Criticas præſtabilitas (§. 11.) moraliter certum eſt, nec ipſum librum, nec ejus ſuppoſitionem ætatem Kempiſianam præceſſiſſe.

§. 49. Plura de hac re legi poſſunt in OUDINO de *Scriptoribus Eccleſiaſticis*, qui longam texit Diſſertationem de genuinis Operibus *D. Bonaventuræ* (a) Quòd verò ipſam perſonam *Ubertini* attinet, monendos cenſeo eos, ut *feſtinent lentè*, qui eum nimis properanter uſque ad cœlum, quin immò *intra* vel *ſupra* cælos extollunt. Legant priùs, quæ de illo ſcribit RAYNALDUS ad annum 1325. n. 20. Et ad annum 1328. n. 11. Immò legant ipſummet *Ubertinum l. 5. cap. octavo.* Agnoſcent haud dubiè, *D. Bonaventuram*, ſi vitam uſque in annum 1304. protraxiſſet, nunquam commendaturum fuiſſe ejusmodi hominis ſcripta, qui ll. cc. non diffitetur, *librum ſuum Romæ cremandum*, *ſi Papæ innoteſceret.* Certè annô 1318.

(a) Tom. III.

1318. quatuor ex Ordine Minorum pertinaciter inſiſtentes articulis in Ubertini l. ult. contentis fuerunt concremati, ut hæretici (a). Hinc etiam veroſimile eſt, librum ab *Ubertinô* & ejus Confratribus non fuiſſe extra domeſticos parietes publicatum, donec tandem annô 1485. typis publicis per *Andream de Bonettis* lucem aſpexerit Venetiis, cujus editionis exemplar olim vidi Auguſtæ in Bibliothecâ Canonicorum Regularium ad S. Georgium. Aliud Exemplar continetur in Bibliothecâ Electorali Monachii. Extat etiam Ulmæ in Bibliotheca Exemptæ Canoniæ S. Michaëlis ad Inſulas Wengenſes.

ſ. 50. Reſtat, ut ſpecificè confutetur miſerrimum effugium, quô Waddingus dormitans, & ex eo Gerſeniſta Schyrenſis cæco modo inſecutus, declinare ſe poſſe argumentum convincens exiſtimant. Ajunt; Collationi primæ D. Bonaventuræ iſtas duas voculas; *Hæc Ubertinus*, alienâ manu adſcripta fuiſſe, ſicque octo Collationes manere Divo Bonaventuræ in ſalvô. O cæcum effugium! deleantur hæ ſanctæ, & veriſſimæ duæ voculæ; deleantur *contra fidem* omnium, quotquot ubivis hactenùs comparuerunt, Manuſcriptorum Codicum; deleantur *gratis* ſine ullâ aliâ poſitivâ ratione, niſi quia non favent cauſæ Gerſenianæ. Deleantur impudenter & effronter contra morem ab ingenuis Scriptoribus erga conſenſum unanimem Manuſcriptorum Codicum obſervatum. Quid tum? num ipſa Collatio integra, quæ explet fermè tertiam partem reſiduarum ſeptem Collationum, negare poterit, ſe eſſe genuinam prolem Ubertini? An non de verbò ad verbum, à periodô ad periodum, exſecta eſt ex vaſtô Opere Ubertini? An non ſic Ubertinus frontem? ſic oculos? ſic ora ferebat? An ullum in Ubertino ex alienô pannô ſuturæ indicium? An Ubertinus tam ingenuus, ut quævis Bonaventuræ ramenta nonniſi præmiſſa honorificâ authoris mentione in ſuam Arborem Crucifixi aſſumat, Collationem integram de verbô ad verbum illaudatô authore pro ſuô venderet? Res in tota ſerie honeſtè contingentium ſine exemplô, ſenſu, mente, probabilitate caret. Q. E D.

(a) Baluzius l. c.

ARGUMENTUM II.

Ex ingenio & moribus Kempiſii.

§. 51.

Thomas K. annô 1400., ætatis ſuæ vigeſimô, receptus eſt in *Tertiarium* ſui Monaſterii. Tertiarium agere debuit integrô ſexenniô, donec tandem admiſſus fuerit in Novitiatum. In Novitiatu hæſit bienniô; poſt Novitiatum exſpectare debuit pro receptione Sacerdotii uſque ad annum ætatis trigeſimum quartum, Chriſti 1414. Quæ cauſa tantæ dilationis ad Novitiatum, dein ad Sacerdotium? An defectus ingenii, vel morum? Neutra cauſa congruere poteſt genuino authori *Librorum de Imitatione.* Ergo *Thomas K.* non eſt horum Author. Ita ratiocinatur novus Gerſeniſta.

§. 52. RESPONSIO. Gerſeniſta tripliciter errat. 1. Quòd petulanter, contumelioſè, & ſtupidè Ven. Thomam in claſſem Tertiariorum, qui ſolùm ad ſtatum Laicorum regularium aſpirant, inſcribat, 2. Quòd in ſuis Lectoribus temerè ſuſpicionem moveat de probitate morum & de conſtanti fervore Kempiſii; dein verò ſuſpicionem ſtatim in judicium abſolutum invertat, eámque practicê pro fundamento abſolutæ reprobationis Kempiſianæ aſſummat. 3. Quòd in conjicienda vera cauſa dilationis Kempiſianæ totô cœlô aberret. Triplicem hunc craſſum errorem recenſio Actorum ſincera, quam duo oculati teſtes, Kempiſius ipſemet in Chronicô ſui Monaſterii, & Buſchius in Chronicô Windesheimenſi exhibent, inſtar nebulæ diſpellet.

§. 53. Refero paucis actorum ſeriem. Monaſterium Kempiſii in vaſtâ ſolitudine conſtrui cœptum eſt anno 1398. Nulla fundatio aderat, nullus fundus fertilis, nullus benefactor inſignis, nullum ædificium, niſi exigua domus, & unius altaris Capella, quam duo ſæculares presbyteri & tres Clerici, ſocialis vitæ ac ſolitudinis amantes

tes, ante triennium, nempe 1395. ſibimet ex bonis patrimonialibus conſtruxerant. Numerus Aſſociatorum brevi in octonarium, nempe in quatuor Sacerdotes & in totidem Clericos excrevit. Cùm autem adverterent, ſocialem vitam ſine vinculô ſtabili diù perſiſtere non poſſe, accedente aſſenſu Epiſcopi domum ſuam in Monaſterium convertere, & ſe Congregationi Canonicorum Regularium Windesheimenſium recenter exortæ ſubdere anno 1398. cœperunt. Ut eorum votis fieret ſatis, anno ſequente 1399. Ex Monaſterio Windesheim acceperunt in Superiorem JOANNEM DE KEMPIS, germanum Fratrem, natu majorem, noſtri Thomæ Kempenſis. Vir hic animi fortis, & vaſtæ comprehenſionis, ſtructionem novi Monaſterii, quamvis in ſummâ rerum omnium penuriâ, molitur, in eúmque finem divendit anno 1402. aſſentiente Thomâ domum in Urbe Kempenſi ſibi & ſuo germano Fratri hæreditate relictam (a) ſtructuram pro Regularium exercitiis tam feliciter proſecutus eſt, ut habitacula pro novis Religioſis anno 1406. abſolverit, Eccleſiam verò Monaſterii, pro ejus conſecratione primùm anno 1412. abſolvendam, adhuc imperfectam reliquerit, ad regimen plurium aliorum ſucceſſivè Monaſteriorum recenter erectorum vel aggregatorum avocatus. Quamvis autem ab anno 1400 uſque ad annum 1406. pro majori numero & ſuſtentatione Religioſorum ſufficientia cubicula regularia ac media temporalia defuerint, pro ordinatione verò Sacerdotum uſque ad annum 1412. etiam Eccleſia deeſſet, ſuſcepit tamen anno 1400. ſuum germanum Fratrem, Thomam Kempenſem, tanquam bonum Scriptorem, in actuale membrum Collegii inſtar familiarium Conventûs, ut ſub ſua directione emendationi Manuſcriptorum Codicum, Bibliæ, SS. Patrum, Officiorum Eccleſiaſticorum, aliorúmque utilium librorum cum aliis pariter idoneis in eundem finem ſuſceptis Scriptoribûs incumberet, ſicque te-

D 2 nuem

(a) Inſtrumentum authenticum de venditione hujus domus, à Magiſtratu & Notario Urbis Kempenſi ſubſcriptum, & ex Archivio Urbis deſumptum, repetitur infra inter *Documenta probatoria*. §. 256.

nuem licet victum ſcriptione librorum lucraretur, donec ſtructione plurium cubiculorum, & cultione novalium completa ſine ſubſidio bonorum patrimonialium in Novitiatum, dein verò poſt completionem ſtructuræ templi, quod anno 1412. abſolutum eſt, etiam ad Sacerdotium congruenter admitti poſſet. Hæc ſeries facti eſt, quam partim ipſemet Ven. Thomas in Chronico ſui Monaſterii, partim *Buſchius* teſtis ſynchronus in Chronico Windesheimenſi deſcribit; & quam etiam acta authentica ex Archivio Kempenſi confirmant. (a)

§. 54. Kempiſius in præfato Chronico ſic ſcribit: „ Domus „ Montis S. Agnetis, quæ extra muros oppidi Zwollenſis (in diſtan- „ tia unius horæ ſpatio) ſita eſt, talem habuit ortum. Erant in „ civitate Zwollenſi quidam viri (per Gerardum Magnum) ad Deum „ integrè converſi; inter quos præcipuus fuit Joannes de Ummen, „ cum quo quatuor aut quinque alii, deſiderium ſecretioris vitæ „ concipientes extra oppidum morari volebant. Acceptâ itaque „ poteſtate ab iis, ad quos collatio fundi pertinebat, ad radicem „ Montis Rimel (nunc Agnetis) exiguam ſtatuerunt domunculam, „ ipſis à quadam Matrona anno 1386. traditam. Hæc de lignis & „ glebis compacta vilibus tantummodò ſtraminibûs tecta erat. Adve- „ nientibûs autem perſonîs valentioribûs, & propria in communi defe- „ rentibûs in vineam Domini excrevit pulchriorem. Primis ſex Fra- „ tribus hujus pauperculæ domûs incolis paulatim ſe aſſociarunt plu- „ res devoti Clerici cum Laicis ex vicinîs oppidîs & remotîs parti „ bûs de manuum laboribus victum ſibi quotidianum extorquentes. „ Clerici libros Sacræ Scripturæ diligenter ſcribebant. Alii varia „ opuſcula pro domus utilitate arbitrio præſidentis faciebant. Cibus „ erat groſſus, tenuis potus, habitus ſimplex & rudis. Labor fre- „ quens & eſuries, caules & pultes dulces faciebat. Raro piſces, rariùs

(a) Huc referendum, quod *Soliloq.* C. 25. num. 11. ſcribit: *Tua ſancta vocatione ereptus ſum de* (mundi) *naufragio & ad ſerviendum tibi etiam tuo merui ſociari Collegio. At ne retro iterum abirem, voto me ſponte conſtrinxi.* Hæc, ſi conferantur cum iis, quæ ſcribit l. c. C. 16. rectius intelliguntur de voto non ſolemni tempore probationis.

„ rariùs & ova in communi dabantur. Defuerunt interdum inſtru-
„ menta coquendi, interdum alimenta opportuna. Annô 1395.
„ conſecrata eſt prima Capella in Monte S. Agnetis, & primum al-
„ tare in ea conſecratum. Ab hac die ſacra Myſteria ibidem à pres-
„ byteris & Clericis agebantur. Poſt hæc tribus fermè annis decur-
„ ſis (hoc eſt 1398.) omnium voluntas fratrum ad fundandum
„ Monaſterium exarſit, & præcipuè ſeniorum. Videbant enim, ſine
„ monaſtica diſciplina Statum Domini in debitô regimine perſeve-
„ rare non poſſe. Igitur licet adhuc pauperes forent, nec apta re-
„ quiſita in ædificiis & libris cantualibus haberent, de miſericordia
„ tamen Dei confiſi, & bonorum virorum ſubventione animati, ag-
„ grediuntur incœpta. Dicente autem quodam & mirante, quod
„ tam pauperes vellent Monaſterium conſtruere, & religionem non
„ reddituati acceptare reſpondit Pater Joannes de *Ummen*, quod
„ paupertas ſit omnium bonorum cauſa. Anno 1398. obtenta ab
„ Epiſcopô Trajectenſi licentia conſtruendi Monaſterium Canonico-
„ rum Regularium in locò ſuæ Diœceſis idoneo, primitùs quidem
„ conſtruxerunt parvam Eccleſiam cum modicis ædificiis in Weſter-
„ hoh ibique à Windesheimenſibûs aſſumpto habitu Canonicorum
„ Regularium emiſerunt profeſſionem hujus Ordinis, quatuor Sacer-
„ dotes cum quatuor Clericis, quamprimùm autem cives Swollen-
„ ſes contulerunt licentiam Monaſterium hujus Ordinis in vicinia
„ urbis in ſuo territorio erigendi; redierunt in Montem S. Agnetis
„ adhuc eodem anno 1398. Sequente anno 1399. acceperunt ex
„ Windesheim Superiorem, videlicet Joannem Kempis (germanum
„ Fratrem Thomæ Kempenſis) Hic primus Prior Statum domus no-
„ vem annis ſtrenuè ac religiosè gubernavit, & tam in ædificiis,
„ quàm in libris & aliis neceſſariis bona Monaſterii melioravit, mu-
„ ros Eccleſiæ pro majori parte fabricari fecit, & plura ligna pro
„ conſummatione tecti (Eccleſiæ) præparavit. Hortum pomiferum
„ plantare cœpit. Temporibus ejus montes & colles humiliati ſunt,
„ & vallium concava repleta. Maximus & longus labor extitit,

„ cùm locus pro Cœmeterio & Eccleſia parabatur; quia mons ibi
„ ſteterat, qui tamen paulatim in nihilum redactus eſt non ſine
„ admiratione multorum. Ædificavit inſuper Refectorium Fratrum,
„ Refectorium Laicorum, coquinam & cellarium, cellas pro hoſ-
„ pitibûs, Sacriſtiam pro divinis. Ipſe inter laborantes primus af-
„ fuit, tenens trullam cæmentarii, nec non ſarculô fodiens terram,
„ & projiciens ſuper carrucam. Tempore vacante lectionibus ſacris
„ inſiſtebat, & ſæpè libris ſcribendis vel illuminandis operam dedit.
„ Plures libros pro Chorô & pro Armariâ ſcribi fecit, & nihilomi-
„ nus, quia pauperes adhuc erant, aliquos Fratres pro pretio ſcri-
„ bere ordinavit, ſicut ab antiquis temporibus conſuetum erat.
„ Quod multi Fratrum ſtudioſè fecerunt. Alii autem laboribus ex-
„ ternis ſe viriliter dederunt. Anno 1399. Ego Thomas Kempis,
„ Scholaris Daventrienſis ex Diœceſi Colonienſi natus, veni Zwol-
„ lis pro Indulgentiis, quas Bonifacius Nonus ad fabricam Eccleſiæ
„ (contribuentibus) verè pœnitentibus conceſſit; deinde proceſſi
„ ad Montem S. Agnetis, & feci inſtantiam pro manſione in eo-
„ dem loco: & fui miſericorditer acceptatus. Temporibus primi
„ Ven. Prioris Joannis Kempen fuerunt ſeptem Clerici inveſtiti.
„ Anno 1401. Joannes Drik, qui ante fuit & Vicarius in Steenvick,
„ & Wilhelmus Henrici, qui ſtetit Daventriæ cum Clericis devotis
„ in communi viventibus; & quem D. Florentius adhuc vivens in
„ Montem transmiſit. Anno 1402. Gerardus Gideman, qui plu-
„ res libros pro domo & pro pretio ſcripſit. Anno 1405. Alardus
„ Presbyter 46. annorum, quondam curatus in Pilſum, & Joannes
„ Benevolt. Anno 1406. Thomas Hemerken de Kempis, civitate
„ Diœceſis Colonienſis, germanus Frater Joannis Kempenſis, primi
„ Prioris, quorum Pater Joannes, Mater Gertrudis vocabatur. Item
„ Oetbertus Wilde de Zwollis. Anno 1408. Joannes Kempis ad
„ quatuor alia Monaſteria Windesheimenſia ſucceſſive regenda &
„ inſtituenda translatus eſt, cui in Monte S. Agnetis Wilhelmus
„ Hornik in Prioratu ſucceſſit. Anno 1412. conſecrata eſt Ec-

clesia

„ cleſia noſtra per ſuffraganeum Epiſcopi Trajectenſis cum quatuor
„ altaribus. Sunt præterea in Eccleſia duo alia altaria, prioribus
„ temporibus in Weſterhof conſecrata, ſed huc transvecta. Anno
„ 1423. murus per circuitum Monaſterii noſtri eſt conſummatus
„ cum novâ portâ C. 17. Anno 1427. fuerunt adhuc hujus loci
„ Fratres in magna paupertate, C. 21. Hucuſque Thomas Kempenſis in Chronico ſui Monaſterii, ſequenti annô 1413. ordinatus in presbyterum & paulò poſt aſſumptus in Subpriorem ſeu Decanum ſui Conventûs, prout colligitur ex C. 22. ejus Chronici.

§. 55. Teſtimonio proprio Kempiſii annecto teſtimonium Buſchii, teſtis ſynchroni ex Monaſteriô ſolùm unâ hora diſſitô à Thoma Kempenſi. In Chronico Windesheimenſi L. 2. C. 35. ſic ſcribit:
„ Joannes Kempenſis (germanus Frater Thomæ Kempenſis, & Superior in Monte S. Agnetis ab annô 1399. uſque ad annum 1408.)
„ Specialem gratiam ſuſcepit à Deo, libros corrigendi, & benè
„ ſcribendi, diverſâque Exemplaria inter ſe repugnantia ad invicem
„ concordandi, & ea in formam propriam componendi. Unde librorum Eccleſiæ noſtræ, *Miſſalium*, Lectionariorum, Martyrologii &c. &c. Ipſe præcipuus una cum collegis ad id ſibi deputatis factus eſt Emendator authenticus. Hic Joannes in Monte S.
„ Agnetis (anno 1399.) in Priorem conſtitutus dictum Monaſterium
„ novem annis in bona diſciplina gubernans ſeptem Clericos (inter
„ quos Thomas K.) & tres Converſos ſuſcepit. - Nunquam fuit
„ otioſus temporibus intermediis à ſacris Lectionibus, Fratrum eruditionibus, & novis libris ſcribendis & emendandis operam diligenter impendit; & quia pauperes tunc erant, fratibus ſuis pro
„ pretio ſcribere indulſit. Ita *Buſchius*. In quo autem illa emendatio librorum, puta Manuſcriptorum Typographiâ necdum inventâ, conſtiterit, diſtinctè explicat L. 1. Chronici C. 26 his verbis: „Divinorum officiorum libris ad unguem correctis Patres noſtri de
„ Windesheim ad utiliora proceſſerunt. Omnes enim Veteris ac
„ Novi Teſtamenti Libros Originales ad primam S. Hieronimi ex
„ Hebræô

„ Hebræô in Latinum translationis formam juxta exemplaria emendatiora adipiſci ſibi poſſibilia conati ſunt reducere. Variis igitur „ Bibliothecarum Diœceſium diverſarum & Monaſteriorum Codicibus „ in unum recollectis ac diligenter examinatis tot penè, notabiles „ ſenſuum & verborum Bibliæ immutationes & in certis locis diſcrepantias invenerunt, quot Codices. Ideoque ferventiori zelo ad „ hujusmodi veritatis indaginem juſtè permoti omnem circumquaque „ regionem perluſtrantes tria tandem ingentia totius Bibliæ volumina vetuſtis olim litterarum figuris exarata, de Pariſiis, de Bethlehem propè Dotinchen, de Monaſteriô S. Joannis Jeroſolymitarum, ac de aliis locis in unum congregaverunt. In ultima Biblia, „ quæ erat Johannitarum, ſic in margine ſcriptum repererunt: Iſta „ Biblia fuit conteſtata ex Bibliothecâ S. Hieronymi. His igitur „ libris antiquis ſæpè perlectis, diligenter pervolutis, & ad ſe invicem diù multúmque calculatis tandem Bibliam noſtram in Windesheim corrigere ſunt aggreſſi, quam Bibliæ correcturam optimam Capitulum generale ſuſcipiens authoritate ſuâ, Papali, & „ Epiſcopali, admiſit, & authenticavit, & ut omnes Bibliæ Monaſteriorum noſtri Capituli ad eandem formam corrigi debeant, imperavit. Similí modo omnes Sermones, Homilias, Libros, & „ Tractatus quatuor Eccleſiæ Doctorum aliorúmque Patrum Orthodoxorum ad primum ſui fontis originem, quantum in Exemplaribus emendatioribus habere potuerunt, fideliſſimè reduxerunt. - „ Vidimus etiam ultra centum Codices magnos & notabiles Doctorum Orthodoxorum per ipſos pro Librariâ noſtra in bonâ litterâ „ in pergamenô ſcriptos. - Ultra triginta quinque magna volumina „ pro divinis celebrandis ipſi NB. cum Clericis ſui temporis „ conſcripſerunt &c. Ita Buſchius. L. 1. C. 26, ubi agit de primis Fratribus ſui Monaſterii Windesheimenſis. Inter hos Joannes Kempenſis, germanus Frater Thomæ Kempenſis ac primarius author hujus artis atque ſolertiæ correctoriæ, anno 1399. in Priorem Monaſterii in Monte S. Agnetis noviter cœpti aſſumptus, uſquedum

Mona-

Monaſterii communia ædificia, v. g. Chorus, Dormitorium, Refectorium, Capitulum, Eccleſia &c. perficerentur, & cultura agrorum hactenùs incultorum fructus ferret, uſque ad annum 1406. ſuum Germanum, hactenùs Scholarem Daventrienſem, & actualem Clericum in domò probatoriali D. Florentii in ejusmodi ſcriptione & emendatione Codicum exercuit tanquam Novitium, licèt necdum inveſtitum. (a)

§. 56. Ex his patet, Gerſeniſtam temerariè & petulanter Ven. Thomam noſtrum, cujus patientiam & venditionem domus & conſtantiam admirari debuerat, ob dilationem religioſi habitûs & ſacerdotii in ſuſpicionem defectûs in genere morum vel ingenii traxiſſe, eúmque ad Tertiariorum laicalia munia detruſiſſe. Memorem eſſe oportuerat hunc Schyrenſem actorum in proprio ſuo Monaſteriô recentium, cujus Reverendiſſimus Abbas, vir ſancti propoſiti, mihi benè notus, non ob improbitatem morum, aut hebetudinem ingenii, ſed radicandæ magis *humilitatis*, *obedientiæ & patientiæ* causâ; complures ſuorum annis compluribûs à ſacerdotiô diſtulit (quos inter forte eſſet - - - -)

ARGUMENTUM III.

Ex Conditione Monachali Authoris.

§. 57.

Liber de Imitatione ſcriptus eſt à Monachô, non à Canonico Regulari. Author enim L. 3. C. 56. ſcribit: *Vita boni Monachi*

Euſeb. Amort. C. R. Deduct. E *crux*

(a) Non obſtat; quod Joannes erga veteranos jam Sacerdotes, & diu in cura animarum, vel in Collegio D. Florentii diu exercitatos, & ſufficientia congruæ ſuſtentationis media ſecum afferentes, nova longa probatione uſus non ſit. At vero juvenem vividum, conſanguineum in primo gradu, bonis patrimonialibus tenuibus inſtructum communitati cum periculo murmurationum contra ſe, tanquam carnis & ſanguinis mancipium ſine longa probatione, qua ſe omnibus probaret, non erat conſultum.

crux eſt. Et L. 1. C. 25. *Attende diverſæ religionis Monachos & Moniales*, qualiter omni nocte ad pſallendum aſſurgunt.

§. 58. RESPONDEO. Non eſt bona argumentatio. Author libri in Exemplum Monachos proponit, ergò fuit Monachus; alioquin debuiſſet etiam eſſe Monialis, Carthuſienſis, Ciſtercienſis, Eremita Thebaidis, & diverſarum religionum Monachus, cum in eodem Capitulo etiam Moniales, Ciſtercienſes, Carthuſienſes &c. in exemplum proponat. Ne ullus ſerupulus remaneat; Thomas Kempenſis in aliis ſuis indubitatîs Opuſculîs non ſolùm eum perpetuum morem obſervat, ut ad exempla ſtrictiorum ordinum provocet, ſed etiam in latiori ſenſu, prout genericè pro *perſona regulari* ſumitur, nomen *Monachi* non erubeſcat. Statim in primô *Sermone* ſuos Novitios ſic alloquitur: *Cœnobium Monachorum eſt ſicut ſalſum mare, quod corpora mortua projicit.* Et in Sermone 8. ad Fratres: *Sic Antonius Monachorum Pater, ſic Benedictus Abbas, ſic Bernardus fecit. Horum vitam ſi inſpicis, invenies, quid imitari debeas.* Et *Serm.* 9. p. 2. *Certaverunt Eremitæ, certaverunt Monachi, - nil quietius, quàm ut Religioſus devotus, & profeſſus Monachus Prælato ſuo obediat.* In Opuſculo, cui Titulus: *Vallis Liliorum* C. 18, n. 5. ſcribit: *Monachus pronus ad loquendum facilè excedit loquendi menſuram.* Ibidem totum C. 23. inſcribit: *De bonis moribus humilis Monachi.* In Tract. *De Diſciplina Clauſtrali* C. 6. n. 4. ſcribit: *Accipe exemplum bona operandi à S. Antonio, S. Auguſtino, à S. Benedicto, à S. Franciſco, à S. Dominico, qui regulas Monachorum ſcripſerunt, & religionem inſtituerunt.* Et C. 7. n. 3. *Acedia & otium expellunt Monachum de Cella.* Ex his patet, à Kempiſio terminum *Monachi*, more illorum temporum, ſumi in latiori ſenſu, declaratô ex ſubjecta materiâ, prout ſumitur pro *quovis Regulari* vivente ſeorſim à conſortio mundanorum in communi. In confirmationem addere poſſem, quod tempore Kempiſii Canonici Regulares Windesheimenſes auſteritate vitæ rigorem Monachorum æquarint vel ſuperarint, & quod Gerardus M. eorum protoparens, ab iis legi voluerit D. Auguſtini *Speculum Monachorum*

rum (a) Per hoc tamen Canonici Regulares non poterunt unquam ſimpliciter loquendo ſecundùm rationem ſpecificam confundi cum Monachis, poſtquam eos Jus Canonicum L. 3. Tit. *De Statu Monachorum & Canonicorum Regularium* ſolenniter & invariabiliter diſtinxit. Vis noſſe diſcrimen ſpecificum? Accipe! Monachis *accidit Status Clericalis*; econtra Canonicis Regularibus *accidit Status Monachalis.* Si Status Monachorum reducatur ad morem anteriorum temporum, quem habuit per fermè decem ſæcula, in quo communitas conſtabat majori parte ex Laicis, remanebunt veri Monachi Ordinis S. Benedicti, vel S. Baſilii, vel S. Bernardi. Econtra ſi in communitate Canonicorum Regularium majori ex parte extinquatur Status Clericalis, non remanebit ampliùs ibidem Ordo Canonicorum Regularium. Hoc diſcrimen aſſignat D. THOMAS 2. 2. q. 189. a. 8. ad 2. ubi aſſerit, Canonicos Regulares differre à Monachis, quòd ſint *per ſe* Clerici.

§. 59. DIXI, *more illorum temporum.* Sic enim etiam *Thomas* Kempenſis vocatur *Monachus* à R. P. *Georgio Pirkamer* in præfatione ad editionem omnium Operum Kempiſii: anno 1494. *Fuit*, inquit *Thomas de Kempis profeſſus Monachus Fratrum Ordinis Canonicorum Regularium.* Eodem modô loquitur Author *Speculi Exemplorum* his verbis: *Erat quidam Monachus, dictus Thomas de Kempis.* In Conciliô Conſtantienſi Patres univerſim omnes Religioſos quorumcunque Ordinum comprehenderunt ſubgenerico terminô & ideâ Monachorum, prout patet legenti Acta Concilii apud *Van-der-Hardt*, vel ſcripta *Gerſonis* Concilium reſpicientia.

§. 60. Quin immò jam antiquis temporibus hæc copulatio *Monachatus* & *Clericatus* in Canonicis Cathedralibus ſine offenſione invecta eſt. D. AMBROSIUS Serm. 15. de Laudibus S. EUSEBII Vercellenſis Epiſcopi, ſui optimi amici, ſcribit: *Ut cætera taceam, illud quàm admirabile eſt, quod in hac ſancta Eccleſia* (Vercellenſi)

(a) Thomas Kemp. in Vita Gerardi. C. 18. n. 11.

eosdem Monachos inſtituit eſſe, quos Clericos. Et in *Epiſt.* 25. ad Eccleſiam Vercellenſem, ubi Clerum adhortatur ad eligendum dignum Succeſſorem ait: *Si in aliis Eccleſiis tanta ſuppedit ordinandi Sacerdotis* (Epiſcopi) *conſideratio, quanta cura expetitur in Vercellenſi Eccleſia, ubi duo pariter exigi videntur ab Epiſcopo, Monaſterii continentia & diſciplina Eccleſiæ. Hæc enim primus in Occidentis partibus diverſa inter ſe Euſebius ſanctæ memoriæ conjunxit, ut in civitate poſitus Inſtituta Monachorum teneret, & Eccleſiam regeret ſobrietate jejunii.* Hæc S. AMBROSIUS de S. EUSEBIO, qui non ſolùm S. Benedictum ultra centum annos, ſed etiam S. Auguſtinum fermè quadraginta annis præceſſit.

§. 61. In Regula Canonicorum *Aquisgranenſi*, quam etiam Pollingæ ſecuti ſumus, prout patet ex *Bavaria ſancta Raderi* in Vita B. *Gerbobi*, ſtatim primo Capitulô explicatur, in quo vita Canonicorum convenire debeat cum vita Monachorum, & in quo differre. *Quanquam Canonicis*, inquit, *liceat linum induere, carnibus veſci, dare & accipere proprias res* (ſub dominiô ligatô) *habere, quod Monachis penitus inhibitum eſt, non tamen in cavendis vitiis & amplectendis virtutibus eorum à Monachorum diſtare debet vita.* Ita præfata Regula. An propterea, quod Monachorum multi rigorem veſtimentorum & eſculentorum diminuerint, econtra Canonicorum Regularium multi per ultroneam abdicationem *dominii ligati* rigorem ſui Status auxerint, quaſi per confuſionem prodiiſſe dicamus Statum tertium Monacho-Canonicum? Abſit. *Natura, Status, radices, eſſentiæ*, utrinque manent; ſemper verum erit; *Statui Monachorum Clericatus*, econtra *Statui Canonicorum Monachatus accidit*; nec, ubi ex intentione loquentium per ſubjectam materiam vel per circumſtantias declaratâ, non de accidentali adjuncto, ſed de natura rei ſermo eſt, nec Canonicus Regularis *ſimpliciter, ex genere ſuo*, ſeu *vi Status*, erit Monachus; nec Monachus ex genere ſuo, vi Status erit Clericus. Hæc noſſe Gerſeniſta poterat ex mea *Hermeneutica* inſertâ *Arti Criticæ.* Id ipſum noſſe poterat ex uſu loquentium; neque enim

enim in quæſtione *quid ſit* res? adjunctum accidentale, vel ignobilius prædicatum reddimus, ſed fixum ac dignius; ſic de ruſticô, fabrô, ſartore, evecto in *Nobilem*, *Principem*, *Imperatorem*, quærentibus de *Statu*, honeſtiora efferimus. Vide Conſtitutionem Benedicti XIV. (a)

ARGUMENTUM IV.

Ex Citatione S. Franciſci in *præſenti.*

§. 62.

Author libri de Imitatione vixit tempore S. *Franciſci*, quia tanquam de virô præſentis temporis L. 3. C. 50. v. ult. ſcribit: *Ait humilis S. Franciſcus.*

§. 63. Novus Gerſeniſta non erubuit *fol.* 85. recoquere hoc Gerſeniſtarum anteriorum argumentum, planè puerile *Rudimentiſtarum*, preſſè ad litteram tempori præſenti vel præterito inſiſtentium. Quis enim ignorat, uſitatiſſimô more loquendi, eorum dicta aut facta, quæ perenni ſcripturarum monumentô, ſive proprio ſive alieno calamô poſteritati relicta ſunt, tanquam præſentia ſpectari & allegari. Sic etiam Apoſtolus *Hebr.* 11. *v.* 4. teſtatur. *Abel muneribus ejus teſtimonium* (in Scripturis) *perhibente Deo defunctus adhuc loquitur.* Econtrà eorum dicta vel facta, quorum nulla Scriptô publico relicta eſt memoria, verbô temporis præteriti vel imperfecti referuntur. Hinc etiam S. Bonaventura in Vita S. Franciſci, cum ejus *dicta* prius ſcripto conſignata non forent, c. 6. ejus verba referens, non *præſenti*, ſed *præterito*, aut *imperfecto* utitur: v. g. *repleverat*, *erat*, *cùm eſſet*, *ſtuduit*, *didicerat*, *dicebat*, *ſtudebat*, ſed & verbum hoc dicere ſolitus *erat*. *Quantum homo eſt in oculis Dei, tantum*

(a) *Apoſtolici.* Impreſſa cum Notis haberi poteſt Auguſtæ apud Veithium.

tum eſt & non plus. - *Gaudebat - triſtabatur &c.* Hinc potius inverto argumentum: Iſte modus loquendi: *ait humilis Sanctus Franciſcus*, non fuerunt ſcripta antequam ejus *dicta* & *facta* per D. *Bonaventuram* fuerant orbi publicata, & priuſquam Franciſcus fuerat Sanctis adſcriptus. Canonizatio autem S. Franciſci contigit anno 1228. & vita illius â S. Bonaventura ſcripta eſt poſt annum 1240. Itaque Libri de Imitatione ſcripti non ſunt à fictitiô Joanne Gerſene, quem ejus ſculptores ad confinia anni 1226. vivente adhuc S. Franciſco, vi præſentis argumenti collocant.

§. 64. Si dicatur, nonnunquam etiam vivos fuiſſe adeptos, nomen *Sancti*. Sic enim D. Tkomas Aquinas dum Pariſiis viſeret Bonaventuram, & reperiret occupatum in ſcribenda vita S. Franciſci dixiſſe fertur: *Sinamus Sanctum pro Sancto laborare*: Et THOMAS Vercellenſis vocabat ſuum Diſcipulum, Antonium Paduanum, *Sanctum*, dum adhuc erat in vivis.

§. 65. RESPONDEO; in primo caſu ſumi terminum *Sancti* ADJECTIVE ad exprimendam ſanctitatem morum, quod in privatis colloquiis, vel Epiſtolis nec à vero abſcedit, nec à decoro. At vero in Libro publico non admittit Eccleſia tribui cuiquam *antonomaſticè* ac per excellentiam, prout importat perſonam cultu publico per Canonizationem, aut pietate fidelium honoratam, denominationem Sancti ſine Decretô ſummi Capitis Eccleſiæ De *Thoma* Vercellenſi infra demonſtrabitur (§. 240.) eum obiiſſe anno 1446. D. *Antonium* autem in Sanctos relatum eſſe annô 1232. Itaque potius firmatur regula, in libris publicis non tribuendum cuiquam per excellentiam *Epithetum Sancti*, niſi Canonizato per Eccleſiam.

ARGU-

ARGUMENTUM V.

Ex ætate Kempiſii minus habili.

§. 66.

Libri de Imitatione gravitate Sententiarum referunt virum religioſum grandævum, in omnibus vitæ internæ tentationibûs diù exercitatum, ac propria experientiâ in rebûs Aſceticis per omnia doctum. Hæc autem non conveniunt Kempiſio, vix annum ætatis trigeſimum ſuperanti, quô librum de Imitatione ſcripſiſſe prætenditur; idque eo incredibilius fit, cùm primum anno ætatis ſuæ trigeſimo quarto ad Sacerdotium admiſſus ſit.

§. 67. RESPONSIO. Thomas *Kempenſis* naſcitur anno 1379. Ad Novitiatum recipitur in monaſteriô S. Agnetis recenter conſtrui cœptô, pauperrimô, & ædificiis vixdum completis miſerrimô, anno 1406. Profeſſionem emiſit anno ſequente 1407. Sacerdotiô initiatus eſt anno 1413. vel 1414. Sequenti bienniô in ordinem digeſſit partim lumina propria in ſuis meditationibûs per duodecim annos hauſta, partim Sententias primorum Patrum Windesheimenſium ſcriptô relictas, & magnâ parte à ſemetipsô annotatas. In Chronicô ſui Monaſterii Part 2. C. 11. de dilectiſſimô ſuô Florentiô, à quo fuerat pro receptione commendatus, ſcribit: *Quadam vice viſitationis gratiâ venit ad Montem S. Agnetis. Rogatus à fratribus collationem facere, breve verbum eis de humilitate & charitate fecit. Quidam devoti verba ab ipſo dicta ſcripſerunt in tabulis & libellis.* Id contigit anno 1414. vel 1415. ætatis ſuæ 34. vel 35. Hinc non temeré Scriptum eſſe exiſtimandum, dùm *Hermannus de Hallis*, qui ſe in Capitulo generali 1454. cum Thoma Kempenſi locutum eſſe teſtatur, eum *Compilatorem libri de Imitatione* vocat, aſſeritque, eum compilaſſe hunc librum (a). Compilator enim vocatur, qui Sententias Patrum

(a) Vide §. 1:0 Bene etiam notandum eſt, quod non ſolum Joannes ejus frater ſenior principia aſcetica practica ex D. Bernardo in Cantica conſcripſerit teſte *Buſchio* L. 2. Chron., ſed etiam ipſemet Thomas teſte *Tolenſi* complura D. Bernardi Opuſcula deſcripſerit.

Patrum aut Virorum illuſtrium apte colligit & colligat.

§. 68. Anno 1414. Sacerdotii primo, aptè congruunt illa authoris L. 4. C. 5. verba: *Ecce Sacerdos factus es, non alleviaſti onus tuum. Vide nunc, ut te irreprehenſibilem exhibeas.* Quæ verba non Sacerdoti jubilæo, ſed Neo-Myſtæ, præſertim in Religioſo Statu aptê conveniunt, in quo Clerici adepto Sacerdotio à variis oneribûs eximi, & honoratiùs in omnibûs tractari ſolent.

§. 69. Quid in hac tota re inſolitum aut incredibile? *D. Antonius de Padua*, qui anno ætatis ſuæ 36. obiit, jam anno ætatis ſuæ vigeſimo quinto totam Scripturam, quam memoriter ſciverat, antequam Concordantiæ *Hugonis* Cardinalis exiſterent, in locos communes intermixtis Sententiis Patrum tam ordinatè digeſſerat, & digeſta menti impreſſerat, ut eò dein coram Pontificè perorante *Arca Teſtamenti* vocari meruerit. De D. *Bonaventurá* ejus Biographus *Marcus Ulyſſiponenſis* & *Waddingus* ſcribunt, quod natus ſit anno 1221., & quod anno 1243., ætatis ſuæ 22. Ordinem ingreſſus ſit. Dein addit Waddingus: *Librum, quem Pharetram dixit, in ipſo religionis ingreſſu ex operibus contexit Sanctorum Doctorum, Gregorii Papæ, Ambroſii, Auguſtini, Hieronymi, Cypriani, Chryſoſtomi, Iſiodori, Anſelmi, Bernardi, Caſſiodori, aliorúmque multorum.* D. THOMAS AQUINAS, prout *de Rubeis* in præclaro Opere *De Geſtis & Scriptis* D. Thomæ oſtendit Diſſert. 1. C. 9. & Diſſert. 10. C. 2. num. 2. jam anno ætatis 30. compilavit Commentaria in Libros Sententiarum. SCOTUS obiit anno ætatis 33. vel 34. & tamen iam ſcripſerat multos Tomos combinatorios Sententiarum philoſophicarum & theologicarum. Ut omittam duos Picos Mirandulanos, Toſtatum &c. &c. Quid ſunt à centum annis omnes fermè juniores Profeſſores, niſi meri Summiſtæ ſeu Compilatores opinionum receptarum à ſuis Anteceſſoribus? Immò liceat ciſcitari (a) ex ipſo novô Gerſeniſtâ; *Heus! quot annorum es tu?* Catalogus Benedictinus *viginti*

(a) Sic ipſemet alloquitur ſuum Lectorem fol. 18, *Heus! Amice Lector.*

ginti novem aſſignat. Itáne triginta annos nondùm habes, & in re, ubi magnô Eruditionis & Librorum apparatû opus, *Diſſertationem Criticam* moliris; econtrà Kempiſio noſtro non permittis, ut annô ætatis ſuæ trigeſimo quinto, in materia, ſolùm ingenii & ſpiritûs religioſi indiga, circa generales veritates chriſtianas perſpicuas quotidiana ſuorum Directorum ſpiritualium monita in ordinem ac velut totidem *locos communes*, quot *Capitula*, digerat?

§. 70. DIXI; *Suorum Directorum*. Primorum enim Patrum Windesheimenſium Dicta & Scripta familiaria coincidere ſenſu, phraſi, ac vi cum collectaneis Kempiſianis præſertim *de Imitatione Chriſti*, *de contemptu omnium vanitatum mundi*, *de amore ſolitudinis*, *recollectionis*, *Crucis*, *& pacis internæ &c.* quivis intelliget, qui legere voluerit directiones ſacras Kempiſio traditas â *D. Florentio*, *D. Joanne Huesden*, *D. Luberto Bernero*, *Henrico Mande*, *Fr. Joanne Cacabo*, quorum vitas & monita partim ipſemet, partim *Buſchius* in *Chronico Windesheimenſi* deſcribit. JOANNES HUESDEN, cui Kempiſius morienti adſtitit, in articulô mortis conſtitutus adhuc ſuis commendavit *Libellum aſceticum* dudum pro ſuorum directione conſcriptum. Hunc reperies in fine L. 1. *Chron. Windesh.* De *Henrico Mande*, qui priùs erat aulicus Wilhelmi Bavari, Ducis Hollandiæ, & annô 1392. Inſtitutum Windesh. ſuſcepit, in *eodem Chron.* L. 2. C. 43. ſcribitur: *Quatuordecim de Vita ſpirituali, mentis devotione, & interna in Deum contemplatione edidit libellos ſub his titulis. Liber I. Quomodò veterem hominem cum actibus ſuis exuere debemus, & Chriſto nos unire. II. De intimis D. N. J. Chriſti viis, & ſeptem viis, quibus itur ad ea. III. De perfecta amoris altitudine, & de viis ad eam perveniendi. IV. De ſapidà Sapientià. V. Speculum veritatis. VI. De Luce Veritatis. VII. De tribus Statibus hominis converſi. VIII. In quibus conſiſtat perfectio vitæ ſpiritualis. IX. Amoroſa querela animæ amantis Deum pro liberatione tenebrarum & defectuum ſuorum.* X. *Allocutio brevis amantis animæ cum amatô ſuo. XI. De Præparatione internæ habitationis noſtræ. XII. De Vita ſpirituali & devota, & in*

quibus conſiſtit? & ejus impedimenta. XIII. De Vitâ contemplativâ; in quibus conſiſtit? & puncta, quibus impeditur. XIV. Dialogus ſive Collocutio devotæ animæ cum amato ſuo, & reſponſio ejus ad animam devotam. Hos omnes libros in Francæno, & Teutonico propria manu pulchrè deſcriptos Librario Teutonicorum librorum in Windesheim reliquit, cuſtodiendos, cunctisque petentibus Fratribus & externis benignè commodandos. Qui hæc omnia legerit vel perpenderit, videbit Kempiſio non fuiſſe difficilè, annô ætatis ſuæ trigeſimô quintô, ſuſcipere partim verſionem partim ordinatam compilationem tot inſtructionum immediatè ad ſe, ſuóſque Confratres pertinentium.

§. 71. Certè libri de Imitatione nil aliud ſunt, quàm veritatum, luminum, & illuſtrationum generalium, quæ in meditatione quotidiana animo à terrenis diſtractionibus libero divinitùs immittuntur, quotidiana annotatio & in locos communes ſine methodô ſcientificâ, ſine connexione aut coordinatione Capitulorum & Sententiarum digeſtio. (a) Ejusmodi Sententiarum ac veritatum collectio capacitatem anni trigeſimi quinti in homine inter perſonas & allocutiones aſceticas enutrito longè minùs repugnat, quàm in Philoſophiæ, Theologiæ, Juris &c. Profeſſoribus, in Hiſtoricis. in Ducibus militaribûs, Conſiliariis Principum &c. rerum ad ſe pertinentium, ordinata comprehenſio. Colligere quidem dicta & cogitata ſapientum labor Grammaticorum judiciô, ſolertiâ, & elegantiâ ſtyli præſtantium eſt: at verò cogitare, colligere, ordinatè diſponere, ac ſine eloquentiæ fucô ſcribere, quæcunque in mundo interiore vera, modeſta, pacifica, fortia, meritoria, ac conſolatoria ſunt, etiam humilium Chriſti Diſcipulorum eſt, quos dum multis annis Deo ſibi ſoli intus loquenti attendunt, in vaſa ſuæ Sapientiæ eligit.

(a) Hinc nemo ſatis mirari poterit, quomodo Gerſeniſtæ cum P. Bucelino librum de Imitatione opus eruditiſſimum vocare voluerint.

ARGU-

ARGUMENTUM VI.
Ex Spiritu Librorum Kempiſiorum.

§. 72.

Ex Libris *De Imitatione* longè alius ſpiritus elucet, quàm ex Operibus Thomæ Kempenſis. Hæc enim ſpiritu languent, & ideò uſque ad annum 1600. jacuerunt in pulvere ab orbe neglecta, & vix ſemel impreſſa ſunt, dum illi centies prodierunt in lucem. Ita fol. 123.

§. 73. Aut orbis terrarum fallitur, aut Gerſeniſta juvenis errat. Hactenus omnia reliqua Aſcetica Opera Kempiſii tantâ æſtimatione à viris in ſpiritu expertis excepta ſunt, ut jam pluries quam duodecies recuſa ſint. PONTASIUS in celebri ſuo Dictionario Caſuum edito Pariſiis anno 1726. In Tabula præliminari Authorum, enumerat editiones ſequentes: Pariſienſem annis 1493. 1520. 1521. 1523. 1549. Norimbergenſem 1494. Venetam 1535. 1568. 1576. Antwerpienſem 1574. 1600. 1607. Colonienſem 1660, Pontaſius fatetur, prodiiſſe plures alias editiones. Recentior prodiit Coloniæ anno 1728. ſumptibûs Henrici Romerskirchen Bibliopolæ, qui etiam meum *Scutum Kempenſe* inſeruit. Ex hoc patet, jam ante annum 1600. prodiiſſe decies omnia Opera Aſcetica Kempiſii. Novum Schyrenſis cum ſuis Ducibus præbuit imperitiæ in Hiſtoriâ rei litterariæ Documentum.

§. 74. Jam quæro; utrum in quæſtione *de elegantiâ*, *excellentiâ*, *fervore*, *vi motrice* aut *ſpiritu* alicujus libri judicio potiùs inexperti juvenis, quàm communi ſenſui mille graviſſimorum ex omni natione virorum, ætate gravium, ac indifferentium, inſiſtendum ſit? Celebris ARNALDUS ſcripſit Opuſculum *du bon Sens*, de *Subtilitate diſcretiva*. MABILLONIUS in Opere de *Studiis Monaſticis* ad diſcernenda genuina Documenta opuſcula Patrum, vel genuina Documenta veterum palatum diu exercitatum requirit. In noſtrâ

Philoſophiâ Pollinganâ inter locos Topicos & Theologicos meritò etiam uniformem *Experientiam mentis*, teſtimonio idoneorum teſtium declaratam, ſeu quod idem eſt, *Senſum communem* peritorum reponimus. Hisne omnibus ſpretis *Criterium de Spiritu* librorum Kempiſianorum, *uniformiter difformiter* pro varia diſpoſitione legentium motrice mentium, ſibi ſoli Gerſeniſta juvenis reſervabit? Nil graviùs ſcribam: Ad Apoſtolum remitto: *Animalis homo*, inquit, *non percipit ea, quæ ſunt Spiritus: Stultitia enim eſt illi, & non poteſt intelligere, quia ſpiritualiter examinatur.* 1. Cor. 2. v. 14. Et Hebr. 5. v. 14. *Perfectorum eſt ſolidus cibus, qui exercitatos habent ſenſus ad diſcretionem boni & mali.*

§. 75. Cæterum quod uni Opuſculo acceſſerit familiarior uſus legentium, id fermè in omnibus Scriptoribus polygraphis, etiam ſanctis Patribus obſervare licet. CHRYSOSTOMI Sermones *Antiocheni* & liber de *Sacerdotio*, AMBROSII ſcripta de *Virginitate*, de *Officiis*, de *Patriarcharum* Vitis, HIERONYMI *Epiſtolæ*, AUGUSTINI *Confeſſiones, Enchiridion, de civitate Dei.* D. GREGORII libri *Moralium*, BONAVENTURÆ *Aſcetica*, AQUINATIS *Summa* pluries exſcripta, pluries excuſa, haud dubiè etiam plures Lectores repererunt. S. AUGUSTINUS C. 20. *de Dono perſeverantiæ* probaturus, à ſe jam ante ortum hæreſis Pelagianæ eam hæreſin fuiſſe confutatam, nec id Pelagianos latere potuiſſe, provocat ad ſuos libros Confeſſionum jam priùs ſcriptos, & præ aliis ſuis Opuſculis notos. *Quid*, inquit, *meorum Opuſculorum frequentiùs & delectabiliùs innoteſcere potuit, quam libri Confeſſionum meorum?* Aliquando materiæ univerſalitas, neceſſitas, vel utiltas; aliàs ſcribendi ratio plurium captui accommodatior, ſuccinctior, aut in uſum quotidianum applicatu facilior, nonnunquam etiam gratiarum non ſolum in hominibus diverſis, ſed etiam in eadem perſona pro diverſitate temporum & finium inæqualis ab uno eodémque ſpiritu diſpenſatio ampliorem apertionem oculorum, aurium, cordium operatur. Peſſima ſemper ex inæqualitate effectûs ad diverſitatem cauſæ illatio fuit, ubi eadem

cauſa *diverſimodè* aut *diverſis* ſubjectis variè diſpoſitis *applicata* ſufficit. Idem ſol ceram liquefacit, & indurat lutum; & licèt in hyeme multis millionibus milliarium ſit terræ propior, quàm in æſtate, minus tamen calefacit ob diverſam incidentiam radiorum.

ARGUMENTUM VII.

Ex Circumſtantia Temporum.

§. 76.

Author librorum de Imitatione laudat exemplarem vitam Religioſorum ſui temporis. Hæc circumſtantia non congruit ſæculo XV. quo vixit Thomas Kempenſis, ſed ſæculo XIII. quo vixit Gerſen.

§. 77. RESPONSIO. Haſcine larvas Gerſeniſtæ ſeriò oſtentant, & ſcioli ſine riſu admirabundi adorant? Apertè falſum eſt, ab authore librorum de Imitatione laudari regularem obſervantiam Religioſorum ſui temporis. Econtrario potiùs evidens eſt, ab eo deplorari generalem Religioſorum diſſolutionem. Solis Carthuſienſibûs & Ciſtercienſibûs, aliisque hinc inde adhuc obſervantioribûs multis, reſpective tamen paucis Monachis exceptis, ad quorum Imitationem Religioſos ſui novi Inſtituti Windesheimenſis, rigidos diſciplinæ regularis & Eccleſiaſticæ reſtauratores provocat. Hunc eſſe obvium ſenſum, authoris textus junctim cum contextu oſtendit. *Libro* 1. C. 18. ſic ſcribit: *Intuere Sanctorum Patrum vivida exempla, in quibus vera perfectio refulſit & religio. - O quantus fervor omnium Religioſorum in principiô ſuæ ſanctæ Inſtitutionis fuit! O quanta devotio orationis! quanta æmulatio virtutis! quam magna diſciplina viguit! quanta reverentia & obedientia ſub regula Magiſtri ubique effloruit: teſtantur adhuc veſtigia derelicta, quod verè Viri ſancti & perfecti fuerunt, qui tam ſtrenuè militantes mundum ſuppeditaverunt. Jam magnus putatur, ſiquis transgreſſor non fuerit. O tepor & negligentia Statûs noſtri, quod tam citò*

 decli-

declinamus à priſtino fervore! In his verbis notandum, quod author loquatur *de Inſtitutione omnium Religioſorum*, ac proin etiam *Religioſorum S. Franciſci & S. Dominici*, ſimul eodem tempore initio ſæculi decimi tertii circa annum 1220. exortorum. Horum enim duorum Ordinum Authorem habuiſſe notitiam patet ex eo, quia L. 3. C. 50. allegat *S. Franciſcum*, canonizatum anno 1228. Notandum præterea, eum loqui de his *Inſtitutionibus* tanquam re diù præteritâ; cùm addat, *teſtantur veſtigia derelicta.* Quis autem aſſerere audeat, hos duos Ordines ſtatim in ſuo flore à ſua prima Inſtitutione deſciviſſe? An non ipſemet Gerſeniſta Schyrenſis fatetur; *Diſciplinam clauſtralem in Italia ſæculô XIII. ad Superum delitias uſque floruiſſe?* Igitur ad malè conſutam fabulam pertinet, Gerſenem initiô ſæculi *decimi tertii* quatuor libros de Imitatione condidiſſe.

§. 78. At verô, Gerſeniſta oggerit, author extollit exemplarem vitam Religioſorum ſui temporis, ab omnibus pro imitatione ſuſcipiendam. Ita ſane; quorundam *reſpective paucorum* vitam ſanctam per modum exceptionis à vita relaxata aliorum Ordinum; & horum etiam *multorum relicta veſtigia*, puta obſervantias externas, v. g. nocte mediâ ſurgendi, pro incitamentô ad leviora patienter toleranda proponit. Error Gerſeniſtæ in eô ſuam originem ſumit, quod *multos*, cum *pleriſque*, *pleroſque* cum *multis* confundat. Author librorum de Imitatione laudat ratione diſciplinæ regularis ex religioſis *multos*. Gerſeniſta *multis* ſubſtituit *pleroſque*, immô religioſos *omnes*, exceptis Benedictinis, quorum fervorem jam ſæculo decimo tertio ſuo modo languiſſe ex ſuo affirmat. *Conſtat*, inquit, *ante Gerſenis tempora & poſt* (ab anno 1210. ad 1240.) *diſciplinam clauſtralem in Italia ad Superum delitias uſque floruiſſe.* Ut expleatur emphaſis horum verborum, diſciplinam clauſtralem ſaltem in *pleriſque* Italiæ locis floruiſſe, oportet De re equidem conſtat. Certum enim eſt, eo tempore effloruiſſe Ordines S. Dominici, & S. Franciſci. Sed authorem librorum de Imitatione, poſtquam conteſtatus fuerat, ſuo tempore *pleroſque* Religioſos eſſe ſuarum Regularum transgreſſores, ex eo præ-

præciſſè ad illa anteriora felicia tempora neceſſariò retrotrahi oportere, quòd adhuc ſuô tempore *multos* hinc indè obſervatores recti inveniat, eòsque in exemplum proponat, nec Grammaticus, nec Logicus, nec Legiſperitus, nec Scripturæ Tyro, nec ipſe horum quatuor librorum Author admittent. Mos loquentium eſt; à multîs hoc *dici*, *ſcribi*, vel *obſervari*, ſi ex centenîs hominum millibûs totius regni vigenti aut triginta aſſertionis teſtes habemus. Ariſtoteles in Topicîs agnoſcit, numerum hominum, qui duos excedit, terminô *plurium* exprimi, ac proin exceſſum *plurium*, terminô *multorum* ſignari poſſe. *Plures non ſunt pauciores quàm duo, multi non ſunt pauciores quàm tres*, inquiunt *Civiliſtæ* per l. *ubi numerus* De Teſtibus, & per l. 1. *§. hoc reſcriptum ad S. C. Syllan.* & *Bart.* in l. Prætor, ff. vi bon. rapt. Et *Abbas* in c. ad nos De reb. Eccleſ. non alien. In ſcriptura hic terminus in eodem ſenſu reſtrictô centies comparet, v. g. *ſurrexerunt multi falſi teſtes - multi venient in nomine meô dicentes, ego ſum Chriſtus - ſurrexerunt multa corporum ſanctorum, & apparuerunt multis - Erant ibi mulieres multæ.* Math. 24. & 27. Ipſemet Author librorum de Imit. ſæpiùs hunc terminum ſic reſtringit v. g. *Multi annos converſionis computant, ſed ſæpè parvus eſt fructus* l. 1. c. 23. MULTI *multa loquuntur, & ideò eis parva fides eſt adhibenda* l. 3. c. 36. Ex omnibûs his colligitur, nil cogere, ut terminus *multi* pro *plerisque* accipiatur, præſertim ubi contextus, & conteſtes ſynchroni *determinant* ſenſum ambiguum, proùt in præſenti fit.

§. 79. BUSCHIUS à Legatô Apoſtolicô, *Nicolaô de Cuſa* Cardinale, in conviſitatorem omnium cujuscunque Ordinis Monaſteriorum per inferiorem Germaniam receptus, ac proin de Statu religioſorum benè informatus, in *Chron. Windesh.* l. 1. c. 47. anno 1460. ſcribit: „Magna & admirabilia divinæ virtutis opera in diebus noſtris in omni circa regione conſpeximus, & uſque hodiè fieri vid按emus. Quondam pauci Ordines, Carthuſienſibus, & quibusdam Ciſtercienſibus exceptis, regulæ & conſtitutionum ſuarum

tuuc

„ tunc temporis (ante annos ſexaginta) erant obſervatores, ſed ma-
„ gis earum, & trium totius Ordinis Subſtantialium in omni penè
„ religione aperti transgreſſores -- Nomen enim reformationis mo-
„ naſteriorum antè noſtra tempora paucis in re notum nunc totam
„ terram occupavit. Vix in totâ iſtâ provinciâ (Belgica) inveni-
„ tur civitas vel oppidum, quin ibi circum circa monaſteria, vel
„ congregationes, aliáque devotorum habitacula, aut de novô in-
„ veniantur fundata, aut ex antiquîs reformata, quoniam (nos
„ Windesheimenſes) plusquàm octoginta habemus benè reformata
„ Ordinis noſtri monaſteria in decem & ſeptem Diæceſibus conſti-
„ tuta, totam patriam vitæ ſuæ conſervatione illuminantia. Die
„ enim & nocte in chorô & clauſtrô divinis laudibus, aut ſanctis
„ vacant operibus, nullum tempus inutiliter ſine ſpeciali ſine in-
„ ternô & externô, mentalî vel manualî exercitiô pertranſire per-
„ mittentes, ſe ipſos in omnibûs quotidiè mortificandô &c. ſimili
„ modo faciunt Patres, & Fratres, & Sorores congregationum de-
„ votarum à domô D. Florentii in Daventria deſcendentium, nu-
„ merô plusquàm quinquaginta, & Tertiariorum (laicorum) ab
„ eadem ſtirpe deſcendentium numerô plusquàm centum, quæ nun-
„ quam vacant otio, ſed pro ſalute propriâ & lucrô animarum
„ non ceſſant inſudare. Quædam monaſteria & congregationes præ-
„ fatæ habent perſonas 20. aliæ 30. aliæ 40. aliæ 50. aliæ 60. aliæ
„ 70. aliæ 80. aliæ 90. aliæ 100. aliæ 150. aliæ 200. aliæ 300. vel
„ 400. circiter. Qualem ergo perſonarum numerum congregationes
„ 150. & monaſteria 80. contineant, quis leviter enumeret? quæ
„ omnes in bonâ voluntate & ſanctô propoſitô usque hodiè per-
„ ſeverant. Hucusque Buſchius.

§. 80. Cum hoc aggregatô circumſtantiarum Buſchianô jam conferamus totum aggregatum circumſtantiarum authoris de *Imitatione*. ISTE annô 1414. dicit: *Jam magnus putatur, ſi quis transgreſſor non fuerit.* ILLE annô 1460. ſcribit: *tunc temporis erant trium ſubſtantialium religionis aperti transgreſſores.* ISTE annô 1414. dicit:

dicit: *Attende Carthuſienſes & Ciſtercienſes. &c.* ILLE annô 1460. teſtatur, prius fermè omnes religioſos fuiſſe transgreſſores *Carthuſienſibus & NB. quibusdam Ciſtercienſibus exceptîs.* ISTE annô 1414. *multos religioſos, ac etiam diverſos monachos arctiori diſciplinæ adſtrictos in exemplum proponit.* ILLE annô 1460. ſui Inſtituti regulares, ac præter hos etiam monachos: *Carthuſienſes, & Ciſtercienſium quædam monaſteria* collaudat, aliîs nonnullis fortè intereà relaxatis. ISTE in ſpecie nocturnas in laudibus divinîs Vigilias extollit. ILLE id ipſum in ſuîs Windesheimenſibus collaudat: *Die & nocte,* inquit, *divinis laudibus vacant.* ISTE obſervat, quod *rarò exeant, abſtractè vivant; pauperrimè comedant, groſſè veſtiantur, parum loquantur, diù vigilent.* ILLE l. 2. c. 5. 6. 7. 8. eadem in primîs Windesh. deſcribit: *Groſſum tantum panem in cibum & tiſinam ſeu ſerpodium in potum longô tempore aſſumere conſueverunt - ſua veſtimenta non de ſubtili pannô ſed de mediocrî & groſſô fieri mandaverunt - ſunt in cæterîs monaſteriîs nonnulli, qui in publicum venientes non de devotîs exercitiîs inquirendô ad inania hujus ſæculi ſe convertunt; Fratres omnes in Windesheim hanc laborum* practicam manualem didicerunt: (ut eam cum piîs colloquiîs conjungerent:) SANDERUS in *Chorographia ſacra Brabantiæ* Tom. 2. fol. 120. teſtatur, in congregatione lovanienſi primos Florentii, (ſub quo Kempiſius à pueritia inſtitutus eſt Daventiæ) aſſeclas quotidie octo horas ſcriptioni librorum impendiſſe. *Ruſbrochius* ex Inſtituto ſcripſit librum contra liberos ſpiritus ſui temporis peſſimè viventes, etiam religioſos, circa annum 1380. Idem præſtitit Gerſon in ſuis opuſculis, quorum tituli: *Admonitio contra errores Ubertini.* SERMO *de corrupto Eccleſiæ ſtatu.* Idem patet ex Actis Concilii Conſtantienſis. &c. Huic aggregato circumſtantiarum utrinque ſimillimo accedit circumſtantia *negativa*, nempe defectus rationis ſufficientis, cur AUTHOR *de Imitatione*, etſi S. Franciſci meminerit, tam pertinax teneat ſilentium de Ordine *Auguſtiniano*, *Dominicano*, & *Franciſcano* collaudando; niſi dicatur eum vixiſſe & ſcripiſſe tempore concilii conſtantienſis, quo primævus

 fervor

fervor eorum etiam Ordinum jam deferbuerat. Ex omnibus autem ſequitur, Authorem librorum de Imit. fuiſſe coævum Buſchio. Quorum enim circumſtantiæ conſimiles conjunctim non reperiuntur in aliô ſæculô, ea tempore ſimul ſunt.

ARGUMENTUM VIII.

Ex Notorietate Libri de Imitatione initiò ſæculi XV.

§. 81.

Libri de Imitatione Chriſti jam erant noti in Germaniâ, Galliâ, & Italiâ initiô ſæculi decimi quinti. Ergo ſcriptus non eſt annô 1414. à Thomâ K. in ſuô *angello cum libello.* Neque enim tam velox publicatio opuſculi, & tot iteratæ copiæ fieri poterant ſine promulgatione univerſalî, cujus tamen nullum uſpiam reperitur veſtigium.

§. 82. RESPONSIO. Tribus modis notitia de librò Kempiſianô volare annô 1417. poterat in orbem. 1. operâ Concilii Conſtantienſis, cui Windesheimenſes intererant. 2. per celerem Inſtituti propagationem in Germaniâ, Italiâ, Hiſpaniâ. 3. per conventus annuos, capitula generalia, & ſcholas publicas Windesheimenſium. CIRCA 1 *certum eſt*, 1. nullum reperiri Manuſcriptum operis controverſi cum notâ chronologicâ anni anterioris ad annum 1418. *Certum eſt* 2do. Nullum reperiri Manuſcriptum, ex cujus charactere vel ullô aliô indiciô aſſeverare liceat, illud ſcriptum eſſe ante annum 1418. (a) *Certum eſt.* 3to. ab anno 1418. usque ad annum 1440. pauca admodum extare Manuſcripta hujus libri, numerum vicenarium non excedentia (b.) *Certum eſt* 4to. Ea ipſa Manuſcripta ab anno 1418. usque ad annum 1440. variare plurimùm non ſolùm in titulis librorum ac capitum, in numerô capitum, ac divi-

(a) Vide infra §. 103. & inter *documenta probatoria* §. 249. Catalogum Manuſcriptorum Codicum de *Imitatione* §. 245.

(b) Vide §. 103. & 245.

diviſione librorum, ſed etiam in ipſa materiâ eorundem librorum & capitum. (a) *Certum eſt* 5to eam variationem ſenſim ceſſaſſe atque evanuiſſe ſtatumque tandem fixum hos quatuor libros obtinuiſſe poſt editionem Kempiſianam publicatam à Ven. Thoma Kempenſi per duo authographa ſcripta anno 1441. (b) *Certum eſt* 6to anno 1416. tres Priores ſeu Prælatos Inſtituti Windesheimenſis ab eorum capitulô generali miſſos fuiſſe ad generale concilium Conſtantienſe pro obtinendâ approbatione ſui novi Inſtituti, à Mathæò Grabon, & aliis nonnullîs religioſis mendicantibûs vehementer impugnati. (c) *Certum eſt* 7mo Joannem Gerſon Cancellarium Pariſienſem annô 1416. & 1417. ſolennem defenſionem hujus Inſtituti in ſe ſuſcepiſſe, atque ejusdem generalem approbationem à Patribus concilii obtinuiſſe (d) *Certum eſt* 8vo Eodem anno 1417. eum Gerſon improbaret Regicidium à Duce Burgundiæ perpetratum, eum ſecuritatis causâ elegiſſe ſpontaneum exilium, ac primô exilii anno 1418. in montanis Bavariæ, dein quatuor annis in Auſtriâ, reliquis quinque annis lugduni in Galliâ apud ſuum fratrem, Monachum Cœleſtinum, reliquos vitæ dies tanquam peregrinum exulem inter Exercitationes potiſſimum Aſceticas Kempiſianis ſimiles transegiſſe, tandemque ibi annô 1429. mortuum cultum publicum à fidelibûs obtinuiſſe (e) Lapidi ſepulchrali ſi codici Padolironenſi ab ipſismet Benedictinis producto credimus, nomen *Joannis Gerſen* Cancellarii Pariſienſis inſcriptum erat. (f)

§. 83. Hac ſerie hiſtoricâ indubiâ præſuppoſitâ quis neget; annô 1416. à tribus delegatîs Windesheimenſibûs pro commendatione ſui Inſtituti convenienter Conſtantiam aſportari ſecum potuiſſe ſpecimina laborum litterariorum recenter à ſuis Religioſis ſcriptorum, præſertim Aſceticorum, qui Gerſoni in ſummô pretiô erant? Quod autem convenienter fieri potuit, factu incredibile non eſt.

(a) Vide §. 245. (b) Extant Antwerpis & Lovanii. (c) Vide Chron. Windesh. (d) Vide Vitam Gerſonis & infra §. 250. & 251. (e) Vide Dupinum in nova editione Operum Gerſonis. (f) Vide §. 123.

§. 84. Cùm intra decennium Exilii Gerſoniani comparuerint Opuſcula Gerſonis Aſcetica Kempiſianis ſimillima, quorum in ejus Operibus vide Catalogum his annumeranda videtur Librorum de de Imitatione applicatiô ad ſolas perſonas ſæculares omiſſis rebus ad Religioſos pertinentibus (a). Id etiam non ſolùm poſſibile, ſed etiam veroſimile eſt, notitiam libri de Imitatione primò operâ Gerſonis in Concilio Conſtantienſi, dein in locis ſui exilii, ac demum poſt ejus mortem in Concilio Baſileenſi ubique pervagatam eſſe.

§. 85. In probationem totius hucuſque inducti diſcurſus ante omnia probandum eſt, Delegatos Windesheimenſes veniſſe ad Concilium Conſtantienſe, atque perorante pro iis Gerſone obtinuiſſe approbationem Inſtituti. Chronicon Windesheimenſe L. 1. C. 41, ſcribit: „ Anno 1414. Concilium generale inchoatum eſt in Civitate „ Conſtantienſi, quod duravit in annum quartum. Ibi fuerunt „ quinque Nationes, Italica, Germanica, Gallica, Hiſpanica, & „ Anglica, & omnium religionum Prælati, quarum erant plusquàm „ quinquaginta religionum & Ordinum diverſitates. Ibi concordi„ ter electus eſt Martinus V. qui Decreta Concilii approbavit anno „ 1418. Hujus Concilii tempore Venerabilis Pater noſter JOAN„ NES VOS DE HUESDEN Prior in Windesheim cum magnis „ Patribûs D. JOANNE WAEL Priore Monaſterii Ordinis noſtri „ in Zwollis, & D. HENRICO AHUS Rectore Congregationis „ devotorum Clericorum in Civitate Monaſterienſi ad idem perrexit „ Concilium, ubi dicti Patres à Cardinalibûs & cæteris Concilii Ma„ joribûs glorioſè ſunt ſuſcepti. Primùm Prior de Zwollis, vir elo„ quens cauſam itineris coram Cardinalibus magnificè peroravit. „ Deinde Prior de Windesheim humili ac nobili ſua verecundia co„ ram tantis Eccleſiæ Prælatis Capituli ſui generalis cauſam diſerto „ ſermone expoſuit. Quibus viſis & auditis, moribúsque ſuis val„ de

(a) De hoc teſtatur verſio Gallica facta á quodam Anonymo, cujus Opuſculum primùm editum eſt Pariſiis 1703. Dein 1711. Tertiò in Idiomate Italico Luccæ 1723. ac anno 1724. confutatum à Viro præclaro D. Virginio Valſecchi Monacho Caſſinenſi, denique iterum in Lingua Gallica recuſum Pariſiis 1737.

„ de compoſitis diligenter conſideratis dicti Domini Cardinales in „ ejus amorem accenſi continuò reſponderunt: *Iſti ſunt verè Patres* „ *religioſi, quos dudùm videre & audire deſideravimus.* Mores enim „ beati *Bernardi* Abbatis Claravallenſis *Joannes* Prior in Windes- „ heim ſemper & ubique circumferebat. Ex illo tempore „ MARTINUS V. Capitulo noſtro omnia Privilegia confirmavit, „ & plurima utilia conceſſit. De Concilio rediens Prior de Win- „ desheim dixit coram nobis, quantô affectu cellam illius devoti „ Fratris Ordinis Prædicatorum (*Henrici Suſonis*), qui *horologium æ-* „ *ternæ ſapientiæ* inſtinctu Sancti Spiritûs ediderat, in Conſtantienſi „ civitate cum aliis devotis Patribûs libenter viſitavit, & cætera „ multa ſimilia narravit.„ Hucuſque Chronicon.

§. 86. Ex hoc autem patet, Windesheimenſes durante Conciliô Conſtantiæ magnam contraxiſſe familiaritatem cum variis devotis religioſis ſuperioris Germaniæ, Galliæ, & Italiæ, ac proin habuiſſe opportunam occaſionem loquendi de recenti Aſcetico Opuſculô de *Imitatione.* Ex Actis Concilii apud *Coletum* & *Van der Hardt* conſtat, huic Concilio interfuiſſe cum Abbatibus Benedictinis Weingartenſem, Mellicenſem &c. &c. Ettalenſem, Staingadenſem, Nideraltahenſem; Prælatum Rottenbuchenſem, Dieſſenſem &c.

§. 87. Supereſt probandum, præfatos Windesheimenſes Conſtantiæ familiaritatem contraxiſſe cum Joanne Gerſon Cancellario Pariſienſi, qui illorum cauſam adverſus *Mathæum Grabon* in Concilio publicè propugnandam in ſe recepit. Cauſa Windesheimenſium contra *Mathæum Grabon* in Conciliô tractata fuit anno 1417. die 20. 21. 22. 23. & 24. Decembris, perorante *Gerſone* in favorem Windesheimenſium. Cauſa deciſa contra Grabonem anno 1418. die 3. Aprilis. *Gerſon* autem à Conciliô primùm diſceſſit annô 1418. die 17. Maji. Itaque ad minimùm per ſex menſes Windesheimenſibus converſari licuit cum Gerſone, & cum Benedictinis, qui Conſtantiæ celebrarunt Capitulum provinciale annô 1417. die 17. Martii, & 1718. die 17. Januarii.

§. 88. Siquis ſcire velit, in quo conſtiterit cauſa Windesheimenſium, à *Mathæo Grabon*, & quibusdam aliis impugnata, reſpondeo: eam conſtitiſſe in ſequentibûs punctîs. 1. Quod Clerici in communi viventes & eorum deſcendentes Windesheimenſes, juxta inſtitutionem Gerardi Magni & D. Florentii Daventrienſis, è quorum ſcholâ ipſimet prodierant, ultra centum quinquaginta communitates partim Clericorum in communi viventium, partim virorum laicorum, maximâ parte Tertiariorum S. Franciſci, ſua bona vel ſuos labores in communem maſſam conferentium, partim fœminarum laicarum de labore ſuo in unum ſimul viventium, erexerint, rexerint, & tanquam ſectatores vel ſectatrices perfectionis Evangelicæ collaudaverint, ac defenderint, quin ejusmodi perſonas adſtringerent ad tria vota religioſa; quem modum vivendi ad formam D. Florentii cum ſuis Clericis ipſemet S. Laurentius Juſtinianus ſuſcepit, & plures alii zeloſi Clerici non ſolùm per Italiam, ſed etiam per Hiſpaniam latè propagarunt. (a) 2. Quod ſcholas publicas gratuitas pro inſtitutione juventutis tam in litteris ac ſcientiis, quàm in Doctrina Chriſtiana erexerint abſque authoritate publica, Pontificia præſertim. 3. Quod non approbaverint validos mendicantes; & hinc ipſimet partim ex bonis propriis, partim ex labore ſuo, præſertim ſcriptione librorum victum ſibi comparaverint. (b) Has cauſas accuſationis exprimit ipſemet *Mathæus Grabon* in Scripto accuſationis Papæ, & Patribus Concilii porrectô (c) Primum Punctum Gerſon ſolidè confutat in ſuo Sermone contra *Mathæum Grabon* in Seſſione publica Concilii habitô, & in ſeparato Scripto, quod extat inter Acta Concilii apud *Van der Hardt.* Tom. III. fol. 109. tam efficaciter, ut Grabon debuerit retractare ſub formula quæ l. cc. & in Gerſone reperitur. (d) Secundum & tertium punctum ipſemet *Martinus V.* con-

(a) Videri poteſt Catalogus omnium harum Coloniarum in Deſcriptione Eccleſiæ Trajectenſis edita à *Van Heuſſen.*

(b) Vide infra §. 250.

(c) Vide §. 251.

(d) Vide §. 251. 252.

confutavit, dum Windesheimenſibus Conſtantia diſceſſuris non ſolùm Bullam confirmatoriam *Inſtituti* contulit, ſed etiam oretenùs ſpecialiter commendavit ulteriorem inſtitutionem juventutis in ſcholis gratuitis, prout ex Myræo & Leubnitio conſtat. (a)

§. 89. Secundô modô adjuvare celerem promulgationem libri Kempiſiani poterat velox propagatio Inſtituti Florentiani & Windesheimenſis per varias Europæ provincias. Eam propagationem deſcribit Reverendiſſimus *Hugo Van Heuſſen* Vicarius Generalis Trajectenſis in ſua *Hiſtoria Epiſcopatuum confœderati Belgii* Tom. II. fol. 43. Ubi Clericorum in communi partim cum tribus votis tantùm ſimplicibus, partim cum votis religioſis ſolennibus viventium ſextuplicem propaginem refert. I. *Belgicam*, in qua una ponitur Daventriæ 1376. Hornæ 1407. Swollis 1393. Schonhoviæ 1396. Amersfurt 1390. Delphis 1403. S. Mariæ in Sion, S. Michaëlis in Hem 1410. Goudæ, Harlemii 1414. Graveſande 1416. Donckam S. Martini, Leidis, Goudæ Monialium. Amſterdam. Sylvæducis 1423. Druisburg 1426. Gandavi 1429. Antwerpiæ 1433. Groningæ 1457. Lovanii 1433, Bruxellis 1460. Embricæ 1467. Ultrajecti 1474. Noviomagi 1475. &c. II. *Propago Germanica.* Münſter 1401. Tecklenburg 1422. Coloniæ Ubiorum 1417. Weſaliæ 1435. cum aliis. III. *Propago Italica.* Venetiis in Alga 1404. Patavii 1406. Vicentiæ 1407. Veronæ 1418. Bononiæ 1419. Montiſilicis 1420. Brixiæ 1437. Romæ in Lauro 1468. &c. &c. IV. *Propago Luſitanica &c.* V. *Sicula &c.* VI. *Genuenſis &c.* Ubi obſervo, commercia urbium maritimarum Belgii in transfuſionem boni nominis de Inſtituto D. Florentii & Windesheimenſium, atque *de piis ejus libris* multum conferre potuiſſe.

§. 90. Quod attinet Windesheimenſium annua Colloquia, Generalia Capitula frequentia, transmiſſionem Regularium, etiam Superiorum, in alia monaſteria pro eorum Inſtitutione aut reformatione; viſitationes generales, & ſcholas publicas, ad quas à longè con-

(a) Vide §. 251.

confluebant ſtudioſi, vel quas invitatione Principum erigere debebant in eorum Territoriis, v. g. Tubingæ per Gabrielem Biel (a) horum omnium frequens mentio fit in *Chronico Windesheimenſi Buſchii*, & in ejus præclaro Opere *de Reformatione Monaſteriorum*, & in aliis Scriptoribus ſynchronis. Quis autem non videat; hæc omnia ſervire ad celeriorem diffuſionem notitiæ de novis melioris notæ libris, præſertim Aſceticis, quibus avidiſſimè inhiabant, atque ad conteſſerationem teſtium de Authoribus veris Librorum recentium celebrium, deque ejuſmodi Librorum Suppoſitione notoria. (b)

ARGUMENTUM IX.

Ex Circumſtantia Sæculi docti.

§. 91.

Author libri de Imitatione ſcripſit ſæculô, quo fervebant concertationes ſcholaſticæ *de Trinitate*, *de generibus & ſpeciebus* L. 1. C. 3. Ipſemet etiam cognovit plures Doctores præmortuos. Hæc autem non conveniunt Kempiſio necdùm quadragenario, qui nullam unquam vidit Academiam, ſed ex ſcholis inferioribûs Daventrienſibus immediatè tranſiit in Monaſterium ad laborem manualem deſcribendorum Codicum.

§. 92. RESPONSIO. Daventria, ubi Kempiſius ſtuduit, ſæculo decimo quinto erat ex celebrioribus Academiis Europæ, & Kempiſius non ſolum Daventriæ, ſed etiam alibi vidit complures Magiſtros ſcientiarum. Cæterùm Author libri *de Imitatione*, *L.* 1. *C.* 3. non loquitur de Doctoribus Theologiæ, ſed de mulierculis & hypocritis ſub prætextu ſecretioris *de Trinitate* ſcientiæ plebem ac mulierculas ſeducentibus; nec non de *Canonicis Sæcularibus*, in ordine

(a) Vide Nauclerum T. 11. General. L. cum additione Fr. Nicolai Baſelii.
(b) Chron. Windesh. L. 1. C. 37. 39. 40.

dine ad obtinenda officia digniora, vel pinguiora *Magiſterio artium* liberalium, vel gradu etiam *Licentiatûs* vel *Doctoratûs* ex Theologia veſtitis. Hunc ſenſum jure petunt illa verba: *Ubi ſunt illi Domini & Magiſtri, quos benè noviſti?* Jam eorum *præbendas alii poſſident.* Hic terminus, *præbenda*, eſt terminus correlativus ad Canonicatus & Canonicos vel Beneficiatos ſæculares, quorum haud dubiè complures noſſe poterat Daventriæ, ubi teſte *Hugone Van Heuſſen* erant tres Eccleſiæ principales, quarum una poſtmodùm à S. Pio V. in Cathedralem erecta eſt, & Academia celeberrima, ita ut aliquot millia ſtudioſorum numerarentur. *V. Epiſcopatus Daventrienſis.* fol. 58. Quid mirum, ſi Kempiſio mera ſpeculatio ſine virtute diſplicuerit, dùm ibi octo annis ſtuderet? Quod attinet eas perſonas, quæ ſcandaloſè viventes ſub prætextu ſublimioris de Trinitate agnitionis ſimplices ſeducebant, in *Chronico Windesheimenſi* L. 1. C. 3. ſcribitur: „ Per CLEMENTINAM, *ad noſtrum*, *de hæreticis* reprobantur BEGUARDI, qui pueri vel fratres *liberi Spiritus* (Freygeiſter) vocantur, eoquod ſectam habeant cum octo articulis multùm erroneis „ ibidem expreſſis. Per CLEMENTINAM vero: *Cum de quibusdam.* „ Tit. *De religioſis domibus*, reprobatur Status quarundam mulierum, „ quæ quaſi in mentis inſaniam perductæ de ſumma Trinitate, ac „ de divina eſſentia diſputant ac prædicant, & opiniones fidei „ contrarias introducunt, & ſimplices in errores inducunt, aliáque „ plura periculum animarum parientia ſub velamine ſanctitatis faciunt &c. „ Hanc ſectam videtur aliquo modo Religioſus quidam renovaſſe in Belgiô tempore & in vicinia Kempiſii. De illo Gerardus M. ſcribit ad amicum, prout refert *Chronicon Windesb.* L. 1. C. 4. hoc modo: „ Quidam Frater, Bartholomæus nomine, Terminarius in „ Campis, ſanæ doctrinæ valde contraria auſus eſt prædicare. - Tres „ Sermones fecit in Campis ſecundùm modum *liberorum ſpirituum* „ (Freygeiſter) procedentes, immò ſæpius nominat & exaltat *li*„ *beros ſpiritus*, & prædicat contra pœnitentiam, & vadit ultra om„ nia intelligibilia & imaginabilia; & dicit, quod non facit ea; &

„ intrat tabernas, & captat amicitias majorum, & neminem inculpat.
„ Nihil pernitioſius, quàm altiſſima prædicare, & viam ad illa non do-
„ cere &c.„ Hic Religioſus Trajecti tanquam hæreticus condemnatus eſt. KEMPISIUS in Vita *Gerardi M.* C. 9. n. 3. narrat; quendam ex Ordine mendicantium, pernitioſum ſermone, arripuiſſe iter Romam, ut viro Dei litem inferret; verum eum turbatorem obiiſſe infirmatum in via. Veroſimile eſt, eum loqui de præfatô Bartholomæô, cùm nulla ampliùs alia de eo occurrat mentio. Pronum eſt proin, à Kempiſio ad ejusmodi hypocritas reſpici, quod ipſe textus innuit C. 1. *Quid juvat tibi alta de Trinitate diſputare, ſi careas humilitate, unde diſpliceas Trinitati?* Veroſimiliter etiam reſpicere poterat ad ſcholas Daventrienſes, in quibûs tantô concurſu ſtudentium excolebantur Philoſophia & Theologia ſpeculativa; ut eorum numerus ad plura millia excreſceret. Ipſemet Kempiſius in Vita GERARDI C. 9. ſcribit: *Fecit plures Sacræ Theologiæ libros à Scholaribus ſcribi.* Prætereà L. 11. C. 2. teſtatur, quòd GERARDUS, qui ab initiô plures præbendas habuit, in ſtudiô Pariſienſi ad Magiſterium promotus ſit. Et de D. FLORENTIO in ejus Vita C. 2. & 4. teſtatur, quòd non ſolùm Pragæ Magiſterium ſeu Doctoratum acceperit, ſed etiam *Sacræ Theologiæ libros, quos præ cæteris ſcientiis libentius legit, ſuper omnes mundi theſauros charius dilexerit.* Non ergo Kempiſius ſcientias Theologicas contemnendô, ſed *ſcientiæ anteponendô charitatem,* ſtatim in primo converſionis ſuæ fervore moderandum appetitum ſciendi eſſe duxit. Viderat hoc ipſo tempore, quô ſuum librum de contemptu omnium vanitatum mundi orſus eſt, nempè circa initium Concilii Conſtantienſis, exemplum illuſtre ſcientiarum contemptûs in Monaſterio vicino Windesh. ſolùm unâ horâ diſſitô, in quod publicus Profeſſor Academiæ Pariſienſis diſſimulatô ſuô ſtatu ad Laicorum habitum recipi poſtulavit. Recepto, cùm eſſet ignotus, cuſtodia & cura porcorum injuncta eſt. Neque ab iſto humillimo ſervitio receſſit, poſtquam à perſona obſeſſa detectus eſt; ſed ad ſuam inſtantem petitionem uſque in finem vitæ ſuæ in eo

per-

permanſit. Cùm perſona obſeſſa ipſum cerneret, cum cachino exclamavit: *O Magiſter Henrice, non ſic inceſſiſtis, quando vos Pariſiis in Cathedra legiſtis*, Chron. Wind. l. 2. c. 70.

§. 93. Ex his omnibus ſequitur, in *libro* 1. de Imit. c. 1. 2. 3. nil contineri alienum à genio, moribus, & circumſtantia temporum Kempiſii.

ARGUMENTUM X.

Ex Hymno Angelici de S.S. Sacramento.

§. 94.

D. Thomas jam ſæculo XIII. in ſuo Hymno *de SS. Altaris Sacramento* quædam ex L. de Imitatione 4. c. 13. deprompſit, videlicet hæc verba: *O quàm ſuavis eſt Domine Spiritus tuus, qui ut dulcedinem tuam in filios Demonſtrares, pane ſuaviſſimo de cœlo deſcendente illos reficere dignaris. &c.*

§. 95. RESPONSIO. Non Angelicus ex libro de Imitatione, ſed Author libri de Imitatione ex Angelico hauſit, dùm ſenſum eundem, quamvis non iiſdem verbis reddidit. Aliundè ex libris Thomæis indubiis conſtat; Kempiſium plenum eſſe ſenſis Sanctorum Doctorum anteriorum, quorum aſſidua lectio & iterata deſcriptio Windesheimenſibus commendata à *Gerardo Magno*, ex ejus Operibus liquet. Quid igitur mirum aut inſolitum, ſi opportunè eadem ſenſa eructet, quæ toto pectore profundè imbiberat? Catalogum librorum, quorum Lectionem GERARDUS ſuis commendaverat, exhibet ipſe Kempiſius in ejus Vita c. 18. "*Radix ſtudii tui, inquit, & ſpeculum vitæ ſint.* 1. *Evangelium Chriſti.* 2. *Vitæ & Collationes Patrum.* 3. *Epiſtolæ Pauli & Canonicæ, & Actus Apoſtolorum.* 4. *Libri devoti, ut Meditationes Bernardi, & Anſelmi Horologium: De Conſcientia Bernardi. Soliloquia Auguſtini, & conſimiles libri.* 5. *Legenda & flores ſanctorum.* 6. *Inſtructiones Patrum ad mores, ſicut D.*

 Gre-

Gregorii Paſtorale. 7. Homiliæ Patrum & quatuor Doctorum, quia continentur in Capitulis (Lectionibus in officio divino) Eccleſiæ. 8. ſtudium & intellectus, Pſalterii &c. commendat etiam quotidianam ſpiritualem communionem ac meditationem de SS. ſacramento poſt Sanctus. &c. Inſolitum, ac inauditum eſt, ut Poetæ alicui ſacro vel profano in rapido Heliconis curſu repente hæreat aqua, nec niſi ex rivulis, ac fontibus obſcuris terræ deſertæ, barbaræ, atque incognitæ per raptum aut volatum peti debeat, donec denuò ſuo alacri impetu currant. Idem fieret, ſi fœcundum *Aquinatis* ingenium ad pangendos ſacros Hymnos promptiſſimum in medio verſiculum ex libello nec prius nec poſtea ultra centum annos cuiquam cognito, eumque cuivis attentè conſideranti obvium, ſuffurari deberet. Econtra Kempiſio non eſt quid inſolitum, ut ex officio divino, & Homiliis Patrum officio divino correſpondentibus ſuas meditationes aut ſenſa pia deſumat. Sic in Opuſculo *de Tribus Tabernaculis* c. 3. ſumit verſiculum ex Sequentia de S. Spiritu: *O conſolator optime, dulcis hoſpes animæ, dulce refrigerium.* Si Kempiſius per quatuordecim primos à ſua ſuſceptione annos intra duos menſes ſolum unam ex ejusmodi ſpirituali communione piam inſpirationem aut conſiderationem ſibi annotaſſet, haberetur totus liber IV. de Imitatione diviſus in 87. §. §. In panno holoſerico nulla ejus pars aliunde *intexta*, ſed ab initio *contexta* præſumitur. Solis id laciniis proprium eſt, ut ex *Toto*; non Totis, ut ex *laciniis* ſine indicio ullius futuræ ſumantur. Hinc ipſi Benedictini Galliæ pro regula ſuppoſitionis veterum Opuſculorum rectè ſumunt, ſi incongruè *intexta* integra fragmenta Authorum ſeró venientium deprehendunt. Itaque Regula Critica immota perſiſtat: Quidquid in ſcriptorum Operibus amplioribus ordinatè ſtylo æquali ſine indicio futuræ decurrit, non præſumitur aliunde ablatum, ſed proprio ingenio inventum, niſi applicantis fragmenta *major antiquitas* aliunde argumentis convincentibus probetur, quod Gerſeniſtæ circa antiquitatem *libri de Imitatione* Aquinate anteriorem nec à longè præſtiterunt, nec efficient unquam. Præſumptio majo-

ris

ris antiquitatis univerſim ſtat pro Toto, quàm fragmento, pro panno integro, quàm pro lacinia.

ARGUMENTUM XI.

Ex Idiotiſmis Italicis.

§. 96.

Gerſeniſtæ conantur probare; Authorem librorum de Imitatione fuiſſe Italum, quia in his libris reperiuntur *tredecim Idiotiſmi* Italici, id eſt, termini ſolis Italis proprii, aut certè magis familiares. Ergò Author non fuit Kempiſius Germanus. Idiotiſmi tredecim quos Gerſeniſtæ allegant, ſunt ſequentes. 1. *Sentimentum* 2. *baſſari.* 3. *Groſſi.* 4. *pulverizare.* 5. *ſententiari.* 6. *contentari.* 7. *ſcientia quid importat?* 8. *homo paſſionatus.* 9. *Regratiari.* 10. *homo conſcientioſus.* 11. *Pone te in pace.* 12. *queruloſus.* 13. *gyrare.*

§. 97. RESPONSIO. 1. Hi termini non uſurpantur familiariter in latino ſermone à ſcriptoribus Italis ſæculo decimo tertio, ſed tantùm in vulgari idiomate italico. Provoco ad omnes ſcriptores latinos Italos ſæculo 13. v. g. *Innocentium III Petrum de Vineis, Bonaventuram, Aquinatem, Egidium Romanum, Jacobum de Voragine. &c.*

§. 98. His ipſiſſimis terminis ſcatent alia indubitata opuſcula Kempiſii & ejus confratrum Windesheimenſium, cujus rei poſſent adduci mille exempla. Ergo hi termini potiùs conſiderandi ſunt tanquam Idiotiſmi *familiares* Kempiſii & Windesheimenſium; quàm Italorum.

CATALOGUS
Terminorum Familiarium non ſolis Italis, ſed etiam Kempiſio & Windesheimenſibus.

„ Regratiari	Deo. KEMP.	Serm. 1. p. 3.
„ Regratiari		de diſcipl. clauſt. c. 13.
„ Regratiari		In Exerc. ſpirit. d. 2.
„ Regratiari		ibid. n. 7.
„ Regratiari		de recog. prop. infir. c. 1.
„ Regratiabor		Manual. parvul. c. 8.
„ Regratiabor	Tibi	Opuſc. 8. de mortif.
„ Regratiari		Vall. lil. c. 19.
„ Regratiandum		Ibidem c. 26.
„ Regratiando		Hort. c. ult.
„ Regratiando		Buſchius Chron. Wind.
„ Regratiari		Dyon. Carthuſ. Serm. 3.
„ Penſare		Serm. 4.
„ Penſare		Serm. 4. p. 2.
„ Penſata		Serm. 1. p. 3.
„ Penſandum		Serm. 1.
„ Penſate		ibidem
„ Penſa		Serm. 3.
„ Penſare		Serm. ad Fratres
„ Penſare		Medit. 1. p. 2.
„ Penſat		de diſcipl. clauſtr. c. 4.

„ Pen-

„ Penſat	KEMP. Ibid. c. 8.
„ Penſa	Ibid. c. 9.
„ Penſa	Ibid. c. 11.
„ Penſat	Ibid. c. 13. & alibi centies.
„ Penſandum	Dyon. Carth.
„ Queruloſus	Hoſpit. c. 5.
„ Queruloſi	Chron. c. 3.
„ Queruloſo	Serm. 3.
„ Querulor	de humil.
„ Querulando	Buſchius Chron. l. 2.
„ Paſſionatum	Vall. c. 11.
„ Paſſionatum	Serm. 1. ad Novit.
„ Paſſionatus	Serm. 5. p. 2.
„ Vilificat	Hoſpit. c. 5.
„ Contentaris	de fid. diſpens. §. 6.
„ Contentari	Hoſpit. c. 4.
„ Contentatur	Enchir. Monach. c. 4.
„ Contentatur	Elev. mentis. c. 3.
„ Contentari	Vall. c. 34.
„ Contentari	Soliloq.
„ Contentari	Vita. Gerardi c. 11.
„ Contentari	Serm 5. & Serm. 1.
„ Licentiatis	Soliloq
„ Licentiavit	Chron. c. 6.

„ Li-

„ Licentiavit	KEMP. Ibid. c. 7.
„ Licentiante	Ibid. c. 5.
„ Indiſciplinatum verb.	Serm. 4.
„ Indiſciplinatus	De diſcipl. c. 1.
„ Indiſciplinatus	Exerc. ſpirit. c. 8.
„ Diſciplinatus	Chron. c. 8.
„ Diſciplinatus	Buſch.
„ Baſſatio	Buſch. Chron. l. 2.
„ Baſſus	in Vita Gerardi
„ Baſſe	Chron. c. 1.
„ Baſſatio	in Vita Gerardi
„ Baſſa	Ibid.
„ Baſſus	Buſch. Chron. l. 2.
„ Groſſus cibus	Chron. c. 4.
„ Groſſus	Chron. Wind. l. 2.
„ Groſſioribus	Serm. 4. de Euch.
„ Contrariare	Paſſim
„ Sentimenta	Serm. 12. p. 2. §. 3.
„ Sentimentis	Buſch. Chron. l. 2.
„ Vilificat	Hoſpit. c. 5.
„ Importat	Hort. c. 8.
„ Importat	Buſch. l. 2. Chron.
„ Gira	Chron. Wind. l. 2.
„ Circumgirare	Ibidem.

§. 99

§. 99. ,, Ex dictis colligitur, Thomam Kemp. & Windesheimen-
,, ſes familiariſſimè uti vocabulis præfatis, ex quo ipſo potiùs pro
,, Thoma Kemp. naſcitur præſumptio. Rariſſimum enim proferri
,, poterit exemplum, quòd duo Authores integris duobus Sæculis
,, ab invicem ſejuncti, prout disjuncti ſupponuntur *Gerſen* & *Thomas*
,, *Kemp.* in perpetuo plurimarum vocum, minùs aliàs uſitatarum uſu
,, omnino coincidant. Sicut enim ſine exemplo eſt omnimoda in-
,, ter homines vultuum, linquæ, virtutum, vitiorum, affectuum, per-
,, fectionum, ac imperfectionum ſimilitudo; cùm integra hominis
,, conſtitutio, cordis, orisque inflexio ex infinitis propemodum na-
,, ſcatur cauſis, diſpoſitionibus ac circumſtantiis, quarum rerum ſunt
,, conbinationes fermè infinitæ; ita contingentium leges volunt, ea
,, omnia ſimul ſumpta non reperiri uniformiter inter duos.

§. 100. Quàm lepida ſit præfata Gerſeniſtarum pro Italiciſmis prætenſio, patet etiam ex eo; quia iidem termini etiam in Lexicis Gallicis, Belgicis, Anglicanis, & Latinis occurrunt, prout ſubjectum *Schema* monſtrat. Termini autem, qui pluribus nationibus communes ſunt, uni nationi proprii, ſeu *Idiotiſmi* illius, eſſe non poſſunt.

SCHEMA IDIOTISMORUM.

L. de Imitat.	Gallic.	Italic.
	M. Richelet.	
Sentimentum.	Sentiment. (Ces Sentimens inconnus à moi-même. .·. *P. le Derel. S. J.* - - nos Sentimens ne ſe masquent jamais ſous de vains complimens. .·. *Moliére* ·.· - - gourmander mes propres Sentimens. .·. *Moliére* ·.·	Sentimento.
Baſſari.	Bas (humilis, depreſſus) (La rivière eſt baſſe. Mot bas mettre les armes bas.)	Baſſare.
Groſſe.	Gros. Groſſe. (Groſſe qualite. Gros bien, de gros honneurs, de gros plaiſirs. &c. &c.	Groſſamente.

Belgic.

SCHEMA IDIOTISMORUM.

Belgic. Anglic.	*Latin.*	
Minshæ. Spellmann.	*Du Freſne.*	
	Sentimentum. *Chron.Corn.* Zantfliet *apud Marten. to.* 5. *ampl.coll. col.* 495. - - proprio Sentimento inniti. &c. *Tract. de Expugnat. CP. ibid. col.* 792. hoc fuit Sentimentum colymbaſſa. *Gerſon de conſol. Theol. l.* 4. Sentimentorum conquiſitio, ... deliramenta cordis ſui pro Sentimentis Dei amplexantes &c. &c. *Vita S. Johan. Bonviſii to.* 5. *May p.* 107. *Informat. pro Canoniz. S. Delphinæ & S. Eleazaris an.* 1363. *apud Columb. de famil. Simin. p.* 597. *&c. &c.*	
Baſ. abjectus. G. Baſ. I. Baſſo. H. Baxo.	Baſſare (deprimere) *L.* 7. *hiſt. Loſſenſ. p.* 188. - - ad levandum & baſſandum: Baſſus (depreſſus) paſſim.	
Groſſe. T. Groſſ. B. Grok. G. Groſ. I. Groſſo. H. Grueſſo.	Groſſus. (Groſſi fructus. Groſſa campana. *Chron. Windesh.* Veſtes humiles Groſſæ, & apud alios paſſim.	

L. de Imit.	Gallic.	Ital.
	M. Richelet.	
Pulverizare.	Pulveriſer. (Pulveriſer des perles. Pulveriſer des drogues. &c. &c.)	Polverizare.
Sententiari.	Sentencier. (Ce criminel a été Sentencie.)	Sententiare.
Pone te in pace.		Pone tibi in pace.
Contentare.	Contenter. (Contenter ſa paſſion, ſon ventre) contentez mon deſir &c. *Moliére.* La vertu ſe contente &c. *Deſpreaux &c. &c. &c. &c.*	Contentare.
Regratiari.	Regrater. (Vous envenimerez cette plaie à force de grater, & regrater . . . il aime à regrater ſur les moindres choſes.)	Ringratiare.

Bel-

Belgic. Anglic.	*Latin.*	
Minshæus. Spellmann.	*Du Freſne.*	
Tò pulverate or to pulverize. G. Pulverizer. H. Pulverizar. I. Polverizare.	Pulverizare. (*Charta ann.* 1382. *apud Rymer. tom.* 7. *p.* 356. - - pulverizatas cum roſis pecias. - - - curia pedis pulverizati. *Chriſtop. de S. Germano.*	
Sentence. T. Sentenz. B. Sententie.	Sententiare. & Sententiari. *Albertus Stadens. an.* 1179. - Papa - Sententiatus eſt, *Statut. Auſcior. MSS. art.* 7. - *Charta an.* 1463. *Rigordus an.* 1209. *Marten. tom.* 8. *col.* 363. & 372. & apud plures occurrit.	
Tò content. G. contenter. I. contentare. H. contentar.	Contentare. (*Synod. Sodorens. in Hybern.* - ad contentandam Eccleſiam.) *Acher. ſpicil. tom.* 6. *p.* 128. *Rymer. tom.* 11. *p.* 467. *col.* 1. *in Actis SS. Julii tom.* 2. *p.* 427. & alibi non ſemel.	
Tò regratiata. I. Ringratiare. Gall. Regracier.	Regratiari. *Acher.* tom. 6. Spicil. p. 78. to. 7. p. 297. *Murator.* tom. 6. col. 171. tom. 8. col. 192. tom. 12. col. 1105. *Rymer.* to. 8. p. 277. *Marten.* tom. 6. ampl. collect. col. 243. tom. 8. col. 164. *in*	

L. de

L. de Imit.	Gallic.	Italic.
	M. Richelet.	
Gyrare.	Girer ou Tourner.	Girare.
Homo paſſionatus.	Paſſionné. (un homme paſſionné. des Sentimens paſſionnés. des expreſſions paſſionnées, un air paſſionné. Cet homme eſt paſſionné &c. &c.	Huomo paſſionato.
Scientia quid importat.	Importer. (Cela m' importe. La choſe lui importe extrémement. Qu' importe? : : Sciénce.	Che importa la ſcienza.
Conſcientioſus.	Conſcientieux ou Conſientieux. (il eſt auſſi conſcientieux &c. c' eſt une femme fors conſientieuſe. &c. &c.	Conſcienzoſo.
Queruloſo.	Querelleux. (Eſprit querelleux. *S. Amant-* Humeur querelleux. *Scaron. Roman.* Les femmes ſont plus querelleuſes, que les hommes.	Quereloſo.

Bel-

Belgic. Anglic.	*Latin.*	
Minshæus. Spettmann.	*Du Freſne.*	
	Statut. Vercell. lib. 3. p. 97. *in Gloſſ. Lobinelli tom.* 3. *Hiſtor. Paris.* & alibi paſſim.	
γυρόω. i. e. in Gyrum Colligo.	Gyrare. in Sacris Bibliis non ſemel. Sic *Gen.* 30. 32. Gyra greges. -- Girare -- *Chron. Sicil.* inter Anecd. *Marten.* tom. 3. col. 8. *Gloſſar. Lat. Gall. Sangerman.*	
G. & H. Paſſion, &c, &c.	Paſſionatus. *Inſtrum. an.* 1409. *apud Marten. tom.* 7. *ampliſſ. collect. col.* 957. . . . . fuit ex perſonis paſſionatis.	
Tò import. G. importer. H. importar &c. &c. Science. G. Scionce. H. Sciencia. I. Scienza. L. Scientia.	Paſſim.	
Conſcionable. G. Conſcientieux. I. Conſcientioſo. H. de buena conciencia.	Conſcientioſus. *Berntenii Chronicum* apud Leibnitium tom. 2. Scriptor. Brunswic. p. 445.	
Querimonious,	Queruloſus. Johan. de Janua. . . Epiſt. Judæ. v. 16. Murmuratores queruloſi. alii legunt. *Quereloſus.* &c. &c.	

ARGU-

ARGUMENTUM XII.

Ex Manuſcriptis Codicibus anterioribus Kempiſio.

§. 101.

Extant Manuſcripta Exemplaria librorum *de Imitatione*, ſcripta ante tempus, quo ſcribi poterant à Kempiſio. Ejusmodi Codices Manuſcriptos produxerunt Gerſeniſtæ partim Romæ 1641. partim Pariſiis 1671. & 1687. partim in ſuis libris, videlicet *Aronenſem*, *Padilironenſem* ſeu *Sluſianum*, ac *Mantuanum*, *Allatianum*, *Bobienſem*, *Parmenſem*, *Pariſienſem*, *Gerardimontenſem*, *Leodienſem*, *duos Mellicenſes*, *Weingartenſem*, *Paduanum*, *S. Ulricianum*.

§. 102. RESPONSIO. Plerique ex his Codicibus ſcripti fuerunt poſt annum 1415., quo Kempiſius hos libros compilavit, & poſt annum 1416. quo tempore tres delegati Congregationis Windesheimenſis, viri Ordinis inſignes, præſertim *Joannes de Huesden*, Prior in Monaſterio Windesheim, ſolùm una hora diſſito à *Monte S. Agnetis* (Clauſtro Kempiſii) in Concilio Conſtantienſi comparuerunt, & ſuam cauſam contra quosdam Mendicantes per *Joannem Gerſon*, Cancellarium Pariſienſem, Windesheimenſium fervidum propugnatorem ſolenniter evicerunt. Hæc eſt Epocha omnium Manuſcriptorum Codicum *de Imitatione*. An Gerſon anno 1418. per Bavariam, Auſtriam, ac dein Italiam & Galliam integro decennio ob cauſam Ducis Aurelianenſis exul, non ſolum ipſemet Sueviæ, Bavariæ, Auſtriæ, & aliis exilii ſui locis; ubi tranſibat vel morabatur, notitiam librorum *de Imitatione* intulerit, aut etiam ipſemet tres priores libros primo exilii annô pro ſua & aliorum conſolatione, omiſſis omnibus textibus ad religioſos pertinentibûs, ſtatui mundanorum hominum accommodaverit, ac propterea librum tertium, *De Conſolatione* inſcriptum, primo loco poſuerit, primum vero in tertium locum ſubſtituerit, vel an libros illos omnino in Gallicum Idioma transtulerit, aut num ad imitationem partim BOETHII de *Conſolatione* Philo-

Philoſophiæ, partim præfati libri Kempiſiani, ſuum præclarum Opus *De Conſolatione Theologiæ* primo anno exilii ſui 1419. in oppido Rathenberg, tunc temporis ad Bavariam pertinente, compoſuerit? Denique an ſuis Opuſculis, & ſuis ad tres Germanos Fratres, Ordinis Cœleſtinorum & D. Benedicti Monachos, & ad Sorores Moniales, Epiſtolis excerpta ex L. de Imit poſt hanc Epocham immiſcuerit, aliis divinandum relinquo. Nunc autem ex ſerie Chronologica Manuſcriptorum Codicum de Imitatione, quotquot annum, vel indicium characteriſticum temporis adſcriptum gerunt, me Epocham libri de Imitatione in anno 1415. rectè conſtituiſſe, oſtendam.

§. 103. Series Chronologica Manuſcriptorum Codicum hactenus á Gerſeniſtis productorum, prout à Dupino, qui productioni illorum Pariſiis intererat, *Launoio*, & ab ipſismet Gerſeniſtis variis referuntur, hæc eſt:

1. Mellicenſis 1421.
2. Weingartenſis ann. 1433. cui Titulus *de interna Conſolatione.*
3. Alius Codex Mellicenſis 1434.
4. Paduanus 1436.
5. S. Ulricianus 1437.
6. Carthuſienſium Colonienſis 1447.
7. Allatianus 1448.
8. Parmenſis 1466.
9. Padolironenſis, ſeu quod idem eſt, Sluſianus, ſeu Mantuanus 1471.

§. 104. Nemo non videt; hos omnes Codices poſteriores eſſe ea, quam ſtatuimus Epocha Kempiſiana, nempe anno 1415., ac proin ex iis antiquitatem anteriorem Epocha Kempiſiana nequidem probabiliter oſtenditur.

§. 105. Itaque tota vis Argumenti ad Codicem *Aronenſem*, *Bobienſem*, *Pariſienſem*, ſeu, quod idem eſt, *Claromontanum*, & *Gerardimontenſem* devolvitur. Delecti Eruditi Pariſienſes, anno 1687. die 28. Julii, DD. Faure, du Cange, d'Herouval, Baluzius, &

complures alii viri in his rebus verſati, inter quos ipſemet Dupinus, judicarunt; duos Codices, videlicet *Aronenſem*, & *Bobienſem*, annis trecentis inferiorem non eſſe. Sirmondus idem judicium, teſte Dupino, tulit de Codice Pariſienſi. De Codice autem *Gerardimontenſi* Monaſterii S. Adriani in Belgio ſiti, extat teſtimonium Petri Almaert, Monachi & Bibliothecarii in præfato Monaſterio S. Adriani, à Notario exceptum pro rei memoria, quo *Petrus Almaert* teſtatur, ſe in ultimo folio hujus Manuſcripti Codicis, ante aliquot annos exciſo, legiſſe hæc verba: *Hic liber conſcriptus fuit à F. Ludovico de Monte, qui obiit ante annum milleſimum quadringenteſimum.* (a)

§. 106. Ad hæc teſtimonia, quæ ſola merentur attentionem, reſpondeo, ea criticè expenſa non poſſe evehi ultra gradum prudentis dubii, vel ad ſummum prudentis præſumptionis, quæ cedere debeat morali certitudini in oppoſitum demonſtratæ. Quod gradum dubii vel præſumptionis non ſuperent, ſic oſtendo.

§. 107. De Codice Aronenſi Eruditi Pariſienſes non abſolutum ac firmum tulerunt judicium, eum non eſſe inferiorem trecentis annis, ſed timidum & dubioſum. Termini enim illius judicii, quos Dupinus in ſua relatione actorum bis inculcat, ita ſonant: *Scriptura non videtur inferior trecentis annis.* Hoc termino *videtur* uti ſolemus, ubi certi non ſumus, ſed hæſitando flexibiles, in unam contradictionis partem inclinamus judicium. Itaque morali certitudini Kempiſianæ inferius à §. 125. uſque ad §. 224. demonſtrandæ ex Codice Aronenſi *nil certi*, ſed *nudum videri* opponitur. Hoc ipſum autem, utut tenue, *videri* Eruditorum exterorum judiciô firmô, & minimè cunctabundo Eruditorum indigenarum Mediolanenſium teſtimonio in cauſa Kempiſiana indifferentium, circa Manuſcripta tamen propriæ nationis expertiorum (§. 36. & 37.) meritò vincitur. De hoc judicio Mediolanenſium Eruditorum, inter quos Illuſtriſſimus Comes de Sylva, dum hæc ſcribo, etiamnum vivit. En! profero P. R. P. Caſati, S. J. Provincialis Mediolanenſis Provinciæ, ad A. R. P. Jacobum

(a) Reſponſum ad hoc ultimum teſtimonium reperies infra §. 116.

L.

INcipit libellus de ymitatione xpi et de cō
temptu om̄ium vanitatum mūdi · C. pmum
Qui ſequitur me nō ambulat in
tenebris: dicit dn̄s. Hec ſunt uba
xpi quibus āmonemur quatenus ui
tam eius et mores ymitemur: ſi
uolumus ueraciter illuminari et
ab oī cecitate cordis liberari · Sūmū igitur ſtudiū
noſtrum: ſit ī uita yhu meditari · Doctrina eius
omīs doctrinas ſcōrum pcellit, et qui ſpm eius hēret
abſconditum ibi māna inueniret. Sed contingit
q multi ex frequenti auditione euangelij, paruum
deſiderium ſentiūt: quia ſpm xi nō hnt. Qui autem
uult plene et ſapide xi uerba intelligere, oportet
ut totam uitā ſuam, illi ſtudeat conformare. Quid
pdeſt tibi alta de trinitate diſputare, ſi care
as humilitate, unde diſpliceas trinitati. Vere al
ta uerba nō faciūt ſcm̄ et iuſtū, ſed uirtuoſa
uita efficit deo carum. Opto magis ſentire cōpuncti
onem quam ſcire eius diffinitionem. Si ſcires totam bibli
am et oīum philoſophorum dicta quid totū pdeſſet
ſine caritate et grā? Vanitas uanitatum et
oīa uanitas pter amare deum, et illi ſoli ſeruire
Iſta ē ſūma ſapia p contemptum mūdi tendere ad
celeſtia regna. Vanitas igitur eſt diuitias pi
turas querere, et ī illis ſpare. Vanitas quoque
eſt honores ambire, et in altum ſe extollere.
Vanitas eſt carnis deſideria ſequi, et illud deſidera
re, unde poſtmodum grauiter puniri. Vanitas ē
longam uitam

I. E. Belling, Cath. So. A. V. secundùm Originale Mediolanum.

M. I.

INcipiũt Capitula ꝑmi libri abbis Johanis geſen: /

De imitatioē xͥ et ɔtemptu oĩu3 vanitatu3 mundi
De hũili ſentire ſui ipiũſ
De doctrina veritatiſ.
De prudentia i agendiſ.
De electione ſcaꝝ ſcͥpturaꝝ.
De inordĩatiſ affectioib3.
De vana ſpe/et elatoē fugēnda.
De cavēda nimia familiaritate.
De obedientia et ſubiectione.
De cavēda ſuꝑfluitate verboꝝ.
De pace adquirēda/et zelo ꝓficiēdi.
De vtilitate adverſitatiſ.
De temptatioib3 reſiſtendiſ
De temerario iudicio vitando
De opib3 ex caritate factiſ.
De ſufferētia defectuu3 alioꝝ.
De monaſtica vita.
De exemplis ſctoꝝ patru3.
De exercicijſ boni religioſi.
De amore ſolitudiniſ et ſilentij.
De ɔpũctione cordiſ.
De ɔſideratioē humane miſie.
De meditatioe mortiſ.
De iuditio et peniſ peccatoꝝ
De ferventi emēdatioē totiꝰ vite nr̃e.

INcipit tabula libri ſecundi abbis Jo geſen
Incipit tabula tercij libri abbis Johãs geſen

Incipiũt capl̃a quarti lib̃ abbis Johãnis geſſen·

:Deus
eternus et imẽſus, infiniteq; potentie facit
magna, et iſcrutabilia in celo et itra, nec
ẽ iueſtigatio mirabiliuz opuz eiꝰ. Si talia
eẽnt opa dei ut facile ab hũana ratiõe
capentur, nõ eẽnt mirabilia nec ieffabilia
dicenda: Deo gras: Amen

Explicit liber quartꝰ, et vltimꝰ abbis Johãnis
gerſen. de ſacramẽto Altaris: —
Nõ q. u. rubrice vlt̃i libri p̃cedentis, ſt̃ ſl̃ſe. vz uſq;
ad capꝰ qd incipit. Egredi iam ſamator, deuꝫ
ſt iuste: ſ; rege te ſcd̃m tabulã, et nõ po
teris errare. q quidẽ ẽ i p̃ncipio p̃dc̃ti libri.

I. K. Bolling, Cath. Sc. A. V. ſecundum Originale Mediolanum.

cobum Biſſelium Soc. JEſu, Provinciæ Boicæ Procuratorem, teſtes litteras.

Reverende in Chriſto Pater!

P. C.

Sero nimis humaniſſimas litteras à R. V. 8. Februarii ad me datas accepi. Diu quippe Mediolano abfui, alibi detentus in Viſitatione Provinciæ, præſertim Collegiorum, quæ in Ditione Genuenſi ſita ſunt. Curavi tamen, ut quamprimùm Aronâ deferretur exemplar controverſum: illúdque ſubjecti Eruditorum oculis, quos in hac urbe noſtra celebriores novimus. En autem R. V. illorum judicium, in folio annexo fideliter expoſitum. Unanimi ſcilicet conſenſu, poſt diligens examen pronunciant, exemplar præfatum ante annum 1400. minimè fuiſſe conſcriptum. In eadem fermè ſententia ſe profitetur eſſe P. Jo. Baptiſta Muſca in Collegio noſtro Braydenſi Bibliothecæ Præfectus: eique libenter ſubſcripturum intelligo P. Harthzeim, nunc temporis, ni fallor, in Colonienſi Collegio Philoſophiæ Magiſtrum, qui fertur exemplar idem non ſemel, nec perfunctoriè inſpexiſſe, dum tertium Probationis annum in Aronenſi Domo perageret. Per hæc ſatisfactum iri ſpero Religioſiſſimis D. D. Canonicis, quibus univerſa noſtra Societas tantùm debet, abunde ſcilicet ad intentum fore cenſentur. Quare cum ea, qua par eſt, grati animi ſignificatione R. V. me devinctum profiteor, méque ſſ. ſſ. & precibus impensè commendo.

R. V.

Mediolani 17. Julii 1726. Humillimus in Chriſto
Servus Antonius Caſatus è Soc. JEſu.

FOLIUM ANNEXUM ſic habet. „ Quod attinet ad Aro-
„ nenſis prædicti vetuſtatem, ſi ſpectes tum ipſiſſimam characteris

„ for-

„ formam, tum interpoſitas paſſim compendiarias contractiones ver-
„ borum, non videtur ante annum 1400. fuiſſe deſcriptus. Ita me-
„ cum Eruditiſſimi quique Nobiles Viri ſtatuendum eſſe cenſuerunt:
„ nominatim in tota hac rerum tractatione peritiſſimi Urbis noſtræ
„ Equites Comes Antonius Simonetta & Comes Silva; poſtquam
„ Manuſcriptum ipſum diligentiſſimè, quæ fuit ipſorum humanitas,
„ perſpexiſſent.

ſ. 108. Judicium Eruditorum Mediolanenſium confirmat in ſua ad me Epiſtola Eruditiſſimus P. Hartzheim his verbis:

Plurimùm Reverende & Erudite D. Canonice!

P. C.

Ex litteris ad Reverendiſſimum D. Priorem hujatis Canoniæ ſcriptis intelligo novum impugnatorem Thomæ Kempenſis noſtratis in Bavaria ſurrexiſſe, quem non dubito pro merito à te, vir eruditiſſime, caſtigandum, ut qui crambem toties recoctam toties rejectam & ejectam recoxerit. Ego quæ anno 1723. hoc eſt ante 37. annos Aronæ habitans vidi, quantum recordor, communico: eadem ante aliquot annos Domino Gerardo Caſteel populari meo communicavi.

1. Character libelli Aronæ aſſervati in 12. pergameni, non excedit characterem ſæculi XV. quo Typographia initium habuit, niſi ſit eo recentior.

2. Nomen Joannis Gerſen nec in initio nec in fine libri primi vel ultimi apparet cùm incipit vel explicit, ſed tantummodo in prima pagina libri quarti legitur Joannes Gerſen, ſicut nos alicubi inſcribimus nomina noſtra iis libris, qui ad nos pertinent.

Hæc ſunt, quorum nunc recordor.

Dominus autem Joannes Arnoldus Janſen Kempenſis, ſæcularis Presbyter & Rector Gymnaſii Kempenſis (quod à Venerabili Thoma Kempenſi nomen habet) antiquitatum patriæ ſuæ ſtudioſus ſcrutator hæc ad me ſcribit: Poſt D. Gerardum Caſteel hiſtoricè exponentem

nentem argumenta pro & contra Venerab. Thomam Kempenſem neminem novit ſaltem ex hac Germania inferiore, qui de hac lite quidquam ſcripſerit.

3. In Archivio Scabinali civitatis Kempenſis extat extractus de domo vendita à Joanne Hemmerken Presbytero Fratre Thomæ Hemmerken Canonici Regularis tunc Novitii de anno 1402. quem excerpſit.

Extractus ex Archivio Scabinorum Kempenſi.

Herr Johan Hemmerken prieſter Canonich von den Regulieren pro ſe & Thoma ſuo fratre vendidit & transportavit domum ſuam gelegen zu Kempen ahm Kirchhoff negſt telenter meerhaus 1402. feria 3. poſt Lamberti.

De cultu aliquo publico vel ſpeciali erga Ven. Thomam de Kempis nulla hic notio neque mentio. Hæc ſunt quæ in præſentiarum occurrunt, utinam plura & certiora ſuggerere poſſem: certè cupio cauſæ, quam veram & bonam puto, modis omnibus ſuffragari, ad imperia paratiſſimus.

P. R. & C. D. Canonici

Coloniæ ad Rhenum cIↃIↃccLX. 9. Decembris.

Servus in Dno.
Joſephus Hartzheim S. J. (a)

(a) Judicium Eruditorum Mediolanenſium & P. Hartzhemii confirmat in Manuſcriptis Italiæ verſatiſſimus P. Franc. Ant. ZACCARIA, author *Hiſtoriæ Litterariæ Italicæ*, qui Codicem Aronenſem circa medium ſæculi decimi quinti ſcriptum eſſe judicat. En Excerptum litterarum ejus, quas ad alium eruditum Patrem S. J. Mediolanum ſcripſit, nobisque RR. Suardi Abbas S. Mariæ Paſſionis communicavit. Sic habet: Godo d'avere queſta occaſione di ſervire V. R. e più ne godo, perchè ho inſieme il piacere di ſervire il Ch. P. Amort, del quale ho grandiſſima ſtima. Il Codice finiſce con queſte Parole: explicit Liber IV. & ultimus Abbatis Joannis Gerſen, in altri quattro luoghi, ove il Nome dell Abbate ritorna, è ſcritto o Geſen, o Geſſen, non Gerſen, come preteſe il Mabillone, Nota alcuna d'anno non v'è, onde non ſaprei, Come alcuno ſi trovi, che francamen-

Ego Joannes Franciſcus Kraus in Regio Officio novi Cenſus Mediolani delineator, & Scriptor adnexas Scripturæ pagellas, papyri oleo linitas, ideóque diaphanas transtuli, & deſumpſi ex vetuſto parvo Codice Manuſcripto, magnitudinis dictis pagellis æqualis ex membranis eformato & pelle nigra, levibúsque ligneis tabulis cooperto juris *Domus Probationis Aronæ Soc. Jeſu*, ſervata quoad potui, characteris forma, & materialitate. In fidem. Hac die Sab. decima ſeptima Menſis Januarii Anni milleſimi ſeptingenteſimi ſexageſimi primi.

Ego Joannes Franciſcus Kraus.

Nos Joſeph Antonius Rippa filius q^{dm}. D. Franciſci Portæ Orientalis Parochiæ Sancti Michaelis in Metropolitana Mediolani annorum quinquaginta octo, & Dominicus Caſtoldus q^{dm}. Joſeph pariter hujus Civitatis Portæ Orientalis Parochiæ Sancti Stepfani majoris intus Mediolani annorum quinquaginta duo, ambo publici periti in arte ſcribendi hujus Urbis fidem facimus, & atteſtamur Pagellas huic atteſtationi alligatas filo ſerico cerulei Coloris Sigillo infraſcripti D. Notarii obſignato in cera rubra, quam Hiſpanicam vocant, ex ſupra deſcripto parvo Codice Manuſcripto deſumptas, & transſcriptas à dicto D. Delineatore Kraus, & per nos cum dicto Originali diligenter, & ad amuſſim Collationatas concordare tam quoad formam, materialitatem, & magnitudinem characteris, abbreviaturarum, & Orthographiæ, quàm quoad Colores, & Calographiam, & in omnibus, & per omnia, prout jacent, in fidem &c. de hac ſup^{ta}, die Sabba-

---

te à Principi del XV. ſecolo ritiri la Scrittura del Codice. Il Codice è *certamente* ſeritto entrò al quindiceſimo ſecolo, e queſto è cio, che dalla Scrittura puo *Sicuramente* didurſi. Il reſto è un indovinello, ma ſe ſi avrii ad avanzare qualche ardita Conchiettura, lo direi pui toſto Scritto verſo, o dopo in Mezzi del ſecolo XV. che ſú Principi del medeſimo ſecolo. Verùm non in ligemus amplius judicio alieno, poſtquam Mediolano obtinui Exemplar primi & ultimi folii Codicis Aronenſis, originali quoad formam Scripturæ exactiſſimè conformem prout Atteſtata hic inſerta monſtrant. Provoco Eruditos totius Germaniæ, Italiæ, & Galliæ, an ex ſæculo XIV. poſſint proferre Manuſcripta punctuata tot punctis. Si hoc non poſſint, jam tandem victi quieſcant.

Sabbathi decima ſeptima Menſis Januarii Anni milleſimi ſeptingenteſimi ſexageſimi primi.

Ego Joſeph Antonius Rippa Peritus ùt ſupra.
Ego Dominicus Caſtoldus Peritus ùt ſupra.

Præmiſſas Subſcriptiones factas fuiſſe, & eſſe manu & Caractere reſpectivè referendo propriis ſupraſcriptorum Dominorum Joannis Franc. Kraus Delineatoris ùt ſupra, ac Joſephi Antonii Rippæ, & Dominici Caſtoldi publicorum in arte ſcribendi Peritorum in hac Urbe, quorum judiciis plena adhibetur in dies fides coram quocunque Judice, & tribunali me præſente, & vidente. In fidem me ſubſcripſi antepoſito mei ſolito Tabellionatus Signo, meique Sigilli impreſſione munivi hac eadem die Sabbathi decima ſeptima Menſis Januarii Anni 1761.

(L. S.)

✝ Ego J. C. Ant. Franc. Virga fil. q. Nob. D. J. C. & C. C. Fælicis Hieronymi Portæ novæ Parochiæ Sancti Stephani ad Nuxigiam Mlni. pub. Aplica Imperlique Auctoritatibus de Coll. Mlni. Not. & Cauſcus., ac ex D. D. Cancellariis Provincialibus Excell. Mlni. Senatus.

Nos J. C. Franciſcus Ignatius Longonus, & J. C. Heinricus Applanus. Ambo Cauſ. Coll. & Abbates Nob. Ven. Collegii dd. Not. & Cauſ. Mlni. fidem facimus, & atteſtamur SStum D. J. C. Antonium Franciſcum Virgam eſſe pub. ac de dicto Coll. Not. & Cauſ. ejusque Inſtris, & Scripturis, ſic ut ſupra ab eo ſubſcriptis plenam indubiamque ſemper adhibitam fuiſſe, & in dies adhiberi fidem, tam in judicio, quàm extra. In quorum &c. Mlni. die decima nona Menſis Januarii 1761.

(L. S.)

Caſpar de Monte publ. Mlni. Not. dictique Nob. ac Ven. Collegii V. Cancell.

1761.

1761. Queſto Giorno dieci nove del Meſe di Genaro.

Atteſtiamo noi Sottoſcritti publici Negozianti di queſta città di Milano, qualmente il ſudetto ſignore D. Antonio Franceſco Verga ſi e publico Notaro collegiato di queſta città di Milano, e che alle di lui Scritture ed Inſtromenti coſi come retro dal medeſimo firmati e Sottoſcritti ſi da piena fede tanto in Giudicio, come fuori. E per Fede &c. Milano queſto med^{mo}. Giorno 19. Genaro 1761.

Giov. Santes Carpano Giuſeppe Zappa.

ſ. 109. De Codice Bobienſi, quem Eruditi Pariſienſes quoad Scripturam teſte *Dupino* l. cc, §. 7. V. *le Manuſcrit.* æquipararunt cum Aronenſi, idem eſt judicium. Bobienſis enim Codex *eodem teſte* non minùs quam Aronenſis ex Italia Pariſium venit. *Mabillonius*, inquit DUPINUS l. cc. ſ. 1. V. *Enfin, & P. Michel in ſuo ex Italia reditu attulerunt Manuſcriptum Aronenſe & Manuſcriptum Monaſterii Bobienſis. - Scriptura primi* (Eruditis Pariſienſibus) *videbatur non inferior trecentis annis, & ſecundi Scriptura eſſe ejusdem temporis.* Et ſ. 7. V. *le Manuſcrit.* MStum. Aronenſe & Bobienſe an. 1687. judicata fuerunt trecentorum annorum: *Scriptura non videtur inferior trecentis annis.* En! tota ſoliditas ædificii Gerſeniani quieſcit in baſi alicujus *videtur.* Mihi *videtur*, ipſum Mabillonium odoraſſe ſecretam putredinem hujus plauſibilis judicii Pariſienſis, dum poſt annum 1687 in inſtituto ſuo ſecundo itinere Italico, prout ipſemet deſcribit (a) per integrum octiduum Aronæ & Bobii conſtitit, Codices hos exactè inſpexit, & tamen non eſt auſus, formam hujus Scripturæ, totius controverſiæ, ſi trecentorum annorum foret, deciſivam, inferre ſuo præclaro Operi *De Re Diplomatica* edita Pariſiis 1709., licet eidem huic Operi inter formularia Scripturarum ſæculi XIV. & XV. quinque formularia librorum de Imitatione minus deciſiva intulerit. Quæ cauſa hujus omiſſionis in Viro tam attento ad decus ſui Ordinis, niſi pru-

(a) In Libro, cui Titulus: *Muſæum Italicum*, editum anno 1724. Pariſiis Tom. 1. pag. 20.

prudens metus. Eruditos Italiæ, aliarúmque regionum opinativo *videri* Pariſienſium poſt edita ſemel formularia ſcripturarum ſæculi XIV. & XV. tam facilè non acceſſuros? Certè, ſi Mabillonius judicium *ſuorum* Pariſienſium (niſi fortè terminum trecentorum annorum rotundè pro indefinito intra latitudinem trium Sæculorum ſumpſerint) ſuffulcire potuiſſet convincente Codicis Aronenſis & Bobienſis formula, nec congretatio S. Mauri, nec Gallia, pro inciſione in tabulas publicas æreas, Diplomatario Mabillloniano, aut ejus ſupplemento, vel certè noviſſimo duorum Benedictinorum Operi: *Nouveau Traité de Diplomatique par deux Religieuſes Benedictins, à Paris*; uni alterive *Luiſiano-aureo* peperciſſet.

§. 110. Supereſt & alia ratio dubitandi de firmitate animorum in Eruditis Pariſienſibus. *Dupinus* enim l. cc. §. 1. V. *Enfin les.* teſtatur, etiam ſe fuiſſe aſſumptum in numerum Cenſorum; & tamen in fine ſuæ Diſſertationis § 13. V. *Septiement.* aſſerit, *Gerſonem* Cancellarium majus jus habere ad librum de Imitatione quàm Gerſenem Benedictinum & Kempiſium; hoc enim ſcribere non potuiſſet, ſi ipſe cum aliis concenſoribus anno 1687. verè ac firmiter judicaſſet, Codicem Aronenſem trecentis annis interiorem non eſſe. GERSON enim, natus anno 1363. anno 1387. ætatis ſuæ duntaxat annum vigeſimum quartum attigit, etiamnum in Studiis occupatus, quo anno Baccalaureatum ſuſcepit, quo tempore nec *Dupinus* nec quiſquam alius illi hunc librum tribueret. Idem in fine V. *apres* ſic concludit: *Quilibet horum* trium (Gerſon, Kempiſius, Gerſen) *conſervat ſuam probabilitatem.* Ergo juxta *Dupinum* & alios Concenſores Pariſienſes etiam probabile eſt, Codicem Aronenſem & Bobienſem non eſſe trecentorum annorum, ac proin ejus probabilitatem meram cedere debere morali certitudini Kempiſianæ demonſtratæ.

§. 111. Tertius Codex eſt *Gerardimontenſis* quem in ultimo folio libri quiſpiam Anonimus ante annum 1400. ſcriptum eſſe teſtatur. *Hic liber*, inquit ille Anonymus, *conſcriptus fuit à F. Ludovico de Monte, qui obiit ante annum milleſimum quadringenteſimum.*

§. 112. RESPONSIO. Hanc adnotationem ultimo folio adſcriptam falli aut fallere certum eſt. In eodem enim Codice poſt librum de Imitatione, ac proin immediatè ante illam Notam ſcriptus eſt eodem charactere, eodem atramento, eadem manu, indubitatus Tractatus Kempiſii *de Diſciplina Clauſtralium*. Itaque Adnotationem neceſſe eſt aut falli aut fallere. Hinc DUPINUS huic Codici authoritatis omnino nihil, MABILLONIUS autem parum tribuit. DUPINUS l. cc. §. 7. V. *On allegue*, ſic ſcribit: „ Allegatur etiam MS. „ Codex Anonymus Abbatiæ Gerardimontenſis. -- At cum neſciatur, *à quo* id fuerit annotatum, nec *quo tempore*, & aliunde contineat iſte Codex librum Thomæ à Kempis *de Diſciplina Clauſtrali*, fruſtra adduceretur ad oſtendendum, librum de Imitatione Chriſti Thomâ antiquiorem eſſe. " Ita DUPINUS. MABILLONIUS autem in ſuo Opere *de Re Diplomatica* fol. 372. de Codice *Gerardimontenſi* loquens ſic ſcribit: „ Tametſi unus è Cœnobitis Gerardimontenſis Monaſterii in Hannonia Sanctè jurat, in „ ultimo folio vacuo quod exciſum eſt, ſcriptum fuiſſe ſcribæ nomen, nempe Ludovici de Monte, quem ante annum MCCCC. „ obiiſſe teſtatur, alii oculis ſuis ex ſpecimine dijudicent. " Hæc providè ſcribit *Mabillonius*. Quamvis enim ipſe ſcripturam Gerardimontenſem inter formularia ad Sæculum XIV. & XV. indifferentia ponat, habemus tamen inter Manuſcriptos Codices Bibliothecæ noſtræ Pollinganæ Manuſcriptum Exemplar *Sermonum Joannis Vincellenſis Decretorum Doctoris* eleganti charactere, *Viennæ* in Auſtria per Notarium Publicum *de pretio* exaratum anno 1442. Manuſcripto præfato Gerardimontenſi ſimillimum; quod exhibere, & cum Gerardimontenſi conferre conferre parati ſumus.

§. 113. Reſtat Codex *Claromontanus* ſeu *Pariſienſis*, quem *P. Sirmondus* Kempiſio antiquiorem judicat.

§. 114. RESPONSIO. Hunc ipſum Codicem Naudæus, P. Petavius, & P. Theophilus Raynaudus judicarunt longè recentiorem. Quis peritior in dijudicandis Manuſcriptis Sæculi XIV. & XV. Sirmondus

mondus, an Naudæus? Petavius? Raynaudus? Quibus potior debetur fides aut veritatis præſumptio, uni, an tribus? Certè Gerſeniſtæ non ſunt auſi hunc Codicem proferre coram Eruditis Pariſienſibus.

§. 115. Verum quid opus alienis teſtimoniis? Ipſemet P. Sirmondus in ſua ad P. Heſenum anno 1648. 29. Aug. Epiſtola, fatetur, hoc ſuum judicium firmum non eſſe, ſed illud facile falli poſſe. *Quoniam*, inquit, *in veterum codicum ætate falli proclive eſt, & in nova lucubratione, quæ Coloniæ nunc cuditur* (fuit Rosweidus redivivus) *erunt fortaſſe, quæ perſuadeant. Id ſi eveniet, non repugnabo, nec gravatè feram, ab errore me deduci; gratiàmque iis habebimus, qui veritatem, quam unam optamus, oſtenderint.*

Itaque ex omnibus hucusque deductis ſequitur, ætatem eorum M.S. Codicum, qui à Gerſeniſtis producuntur, dubiam eſſe. Dubia autem, & præſumptiones incertas cedere morali certitudini demonſtratæ ſana Critica jubet. (§. 17.)

§. 116. Reſtat, ut reſpondeam ad teſtimonium F. Ludovici de monte §. 105. allegatum. Ad monſtrandam incertitudinem hujus teſtimonii ſufficeret reſponſio *Dupini*, quod ignoretur, quis iſte Ludovicus fuerit? aut quo tempore vixerit? Quam facile enim circa teſtimonia ejusmodi erretur, monſtrat exemplum Mabillonii, qui judicabat, Henricum Calkar mortuum eſſe anno 1408., de quo tamen certum eſt, eum primum obiiſſe anno 1448., prout §. 245. oſtendo? an non etiam iſte teſtis numerum 48. legere potuit pro 08? Aliud erroris exemplum expertus ſum in RR^mo^ Fontanino, qui Romæ ſpargebat; ſe Venetiis ad S. Georgium in Alga vidiſſe Exemplar de Imitatione antiquius Kempiſio, quo & D. Laurentius Juſtinianus uſus eſſet; ipſum propterea inviſi, atque, num res ita ſe haberet, interrogavi. Poſtquam ſuas Chartas, in quibus res memoratu dignas, à ſe aliquando viſas, annotaverat, mihi humaniſſimè protulit, eas legi, vidique. Codicem ab ipſomet Fontanino ætate D. Laurentii Juſtiniani, quem conſtat, cum ſuis Canonicis aſſump-

 ſiſſe

fuiſſe Inſtitutum Gerardi M. & D. Florentii Daventrienſis, & primum obiiſſe anno 1455. antiquiorem eſſe, non fuiſſe annotatum. Pro majori certitudine volebam ipſum Codicem ad S. Georgium in Alga inſpicere anno 1736. ſed deprehendi, totum Collegium præter cubiculum D. Laurentii flammis vaſtatum, totamque Inſulam cum vaſtato Collegio Carmelitis traditam fuiſſe. Hæc, inquam, fieri potuiſſe conſimiliter, reſpondere poſſem, verùm ſufficiat reſponſio *Dupini*, qui in ſua *Diſſertatione* de *Cauſa Kempenſi* §. 7. convincenter probat, in teſtimonio, nunc, ut Gerſeniſtæ prætendunt, deperdito, latere errorem, aut fraudem. *Cum*, inquit, *neſciatur, à quo id fuerit annotatum, nec quo tempore, & aliunde ille Codex librum Thomæ à Kempis* DE DISCIPLINA CLAUSTRI *contineat, fruſtra adduceretur ad oſtendendum Librum de Imitatione Thomæ antiquiorem eſſe.*

ARGUMENTUM XIII.

Ex Teſtimonio Trithemii.

§. 117.

Trithemius in Opere de Viris illuſtribus ſui Ordinis Benedictini anno 1495. ſcribit: Quem (librum de Imitatione) *ante multos annos ſeniores noſtri ſuos ferunt legiſſe ſeniores.* Ergo liber de Imitatione jam erat cognitus initio Sæculi XV.

§. 118. RESPONSIO. In *Seniorum* numerum apud religioſos referri ſolent, qui exactis in Ordine poſt profeſſionem quinquaginta annis honores Jubilæos fuêre aſſecuti, in quorum gradum etiam ipſus jam ante annum Deo Servante perveni. Quid, ſi Juniorum meorum confratrum felicioris à Patre luminum doni quiſpiam poſt multos (v. g. vicennos annos) ſcribat: *ante multos annos* Seniores noſtri teſtabantur, ipſorum Seniores multa narraſſe, vidiſſe, ac legiſſe acta, ſcripta, ac typis publicata de bello ſucceſſionis Hiſpano-

Auſtri-

Auſtriaco, de Concertatione litteraria Monacenſi inter aſſertores & inficiatores neceſſitatis conjungendi cum ſacramento pœnitentiæ motum dilectionis in Deum, de Neotericæ Philoſophiæ placitis &c. an propterea illa teſtandi formula periodum annorum ſeptuaginta annis majorem requiret? Certè non. Ipſus ſatis recordor, quos ante quinquaginta annos Seniores noſtri libros in re aſcetica aut philoſophica novellos commendaverint. Ponamus ergo, Trithemium, qui obiit primùm anno 1519. jam anno 1495. Operi ſuo *De Viris Illuſtribus*, ultimam impreſſiſſe manum, quid ſequitur? ſubtracta ſeptuaginta annorum periodo remanet annus 1425. quo jam extabant complura libri de Imitatione Exemplaria Anonima. v. g. Mellicenſe, Weingartenſe, Kirchamenſe, &c. idonea paſcendi ſua novitate ſanctam Orexin Seniorum Spanheimenſium. Sed quid opus calculo, dum ex ipſo Thoma Kempenſi iterum habemus convincens exemplum. In *Sermone ſeptimo* ad Novitios part. 2. n. 7. ſcribit: *Novi ſenem fratrem, qui in juventute ſua Seniorum verba valde libenter audivit.* Seniorum verba libenter ſe audiſſe, & Seniorum Scripta legiſſe Senex ſeptuagenarius de ſeipſo affirmare poteſt. Ergo idem de aliis ſenibus ſeptuagenariis referre poteſt.

§. 119. Hactenus vidimus, Trithemium Kempiſio non adverſari, nunc quantopere Gerſeni faveat, conſideremus. Tractat de Scriptoribus Eccleſiaſticis ſolertiſſimè & hoc juſſu ac Decreto generalis Capituli Benedictini Hirſaugienſis; non prætcrit Authorem libri de Imitatione. Profundum illi de Gerſene ſilentium Tractat præterea ex inſtituto de Viris Illuſtribus ſui Ordinis. Nullus denuo Gerſeni Benedictino locus. Recenſet præclara Gerſonis Opera, Gerſenis nulla. Quæ cauſa tam conſtantis ſilentii? An legit, vel inaudiit quidquam de Joanne Gerſen Vercellenſi Benedictino Abbate, tanquam Authore libri de Imitatione, & tamen ſine ulla mentione, aut motione ſaltem dubii ſiluit? Moraliter certum eſt, Trithemio nil inoluiſſe de ejusmodi Gerſene Italo, In tota enim Serie caſuum conſimilium inauditum eſt, Scriptorem Benedicti-

 num

num v. g. D. *Acherium*, *Martennium*, *San-Marthanos*, *Mabillonium*, *Cerſium*, *Bucelinum*, *Rampekium*, *Pezios*, *Calmetum*, *Legipontium &c.* ſcienter, oblata opportuna occaſione, nullo motivo retrahente, ubi mentio exciperetur omnium Eruditorum applauſu, ſiluiſſe de ſuorum laudibus (§. 19.): Si autem Trithemius de præfato Gerſene prorſus nihil ſcivit, ſequitur, per trecentos annos ab anno 1219. uſque ad annum 1519. quo Trithemius obiit, defuiſſe conteſſerationem teſtium, defuiſſe famam permanentem, defuiſſe exemplaria coæva. Ergo etiam moraliter certum eſt, illum vel nunquam extitiſſe, vel certè authorem libri de Imitatione non fuiſſe (§. 11. 41.).

ARGUMENTUM XIV.

Ex Authographis Kempiſianis & ex Jure Gerſonis oppoſito.

§. 120.

Certum eſt, extare duo authographa Kempiſii, etiamnum Antwerpiæ & Lovanii aſſervata, quorum priori eſt ſubſcriptio: *Finitus & completus anno Domini* 1441. *per manus Fratris Thomæ Kempenſis in Monte S. Agnetis prope Zwollis.* Jam vero hæc ſubſcriptionis formula propria eſt potius Copiſtarum, quam Authorum. Accedit, nullum extare Manuſcriptum Codicem libri de Imitatione anteriorem anno 1441., qui præferat nomen Thomæ Kempenſis omnes enim Codices anteriores annô 1441., quotquot non ſunt anonymi, referunt pro Authore Gerſenem vel Gerſonem. Ergo veroſimile eſt, unicè authographum Kempiſianum malè intellectum dediſſe anſam univerſali errori, Kempiſium libri authorem eſſe.

§. 121. RESPONSIO. In hoc argumentô contineri plura partim falſa, partim improbabilia. Nam *falſum eſt* 1. nullum ante annum 1441. reperiri librorum de Imitatione Exemplar, prout erroneè *Dupinus* ſupponit, quòd Thomam Kempenſem referat. Refert enim illum Codex Kirchemianus 1425., Auguſtanus ad S. Crucem 1440. *Fal-*

Falſum eſt 2. illam formulam, *finitus & completus &c.* referre ſolùm *compilatorem.* Nam Thomas K. etiam in aliis ſuis indubitatis operibus utitur hac ipſa ſubſcriptionis formula. (a) Itaque manifeſtum eſt, ea formula, tanquam indifferente in duplicem ſenſum, nec affirmari neque negari ſubſcriptum eſſe libri authorem. 3. Prorsùs *improbabile* eſt, *Buſchium*, *Hermannum*, *Trithemium*, *Martenium*, *Guntherum*, *Zeinerum*, *Danhauſerum*, *Jodocum Badium*, & alios ſynchronos Kempiſio teſtes potuiſſe eſſe tam ſtolidos, ut eâ formula notoriè prorsùs indifferente, & quam plerique nequidem viderant, inducerentur, ad aſſerendum Kempiſio nonagenario coætaneo librum tam celebrem 4. *Improbabile* eſt, in ullo Manuſcripto ſæculi decimi quinti, ad quod omnia Manuſcripta libri de Imitatione referenda eſſe, ſuperius (§. 103.) oſtendi, Gerſenis nomine intelligi aliam perſonam, quàm Gerſonem Cancellarium Pariſienſem. Id enim inprimis Epitaphium Gerſonis monſtrat relatum in Codice Padolironenſi, ubi non *Gerſon*, ſed *Gerſen* legitur. Idem patet ex inſigni Manuſcripto Codice Bibliothecæ Guelferbytanæ, quem deſcribit V. C. & Originum Guelficarum Editor eruditiſſimus D. Chriſt. Ludovicus Scheidius in data ad me Epiſtola, quæ ſic habet.

Viro ſumme Venerabili Domino
Euſebio Amort Canonico Regulari
Ordinis S. Auguſtini & Monaſterii
Pollingenſis Bibliothecario &c.
S. P. D.
Chriſtianus Ludovicus Scheidius.

„ Accepiſti procul dubio litteras meas, quas de IX. Menſis præ-
„ teriti ad Te dedi, ſteriles quidem, neque exſpectationi
„ tuæ ſatisfacientes, tales tamen quales ſcribere potui. Intereà
„ temporis etiam ex aliis amicis quæſivi, ſi quod fortè Manuſcriptum
„ exemplar aurei *de Imitatione Chriſti* libelli apud eos lateat? Et in
Augu-

(a) In eodem Codice Kempiſii authographo continuo Ordine reperiuntur alia ejuſdem Opuſcula indubia pariter authographa eodem charactere.

„ Auguſta Bibliotheca Guelferbytana duos ſervari Codices comperi,
„ membraneum alterum, alterum chartaceum. Priorem poſſedit
„ quondam *Marquardus Gudius*, vir omnis politioris eruditionis
„ laude inſignis, eſtque is formæ minoris, quam octavam appellant;
„ quem ut penitùs cognoſcas, verbis doctiſſimi Meynii, qui in ea-
„ dem Bibliotheca Secretarii munere fungitur, deſcribam. *Membrana*, inquit is, *eſt tenuior & elegans litterarum pictura; utrumque in Codicibus ſæculi XV. frequenter obvium. Sunt autem membranæ intermixta papyri folia tali ſervato ordine, ut duo folia membranacea excipiantur quatuor chartaceis. Initium Opuſculi facit index librorum & Capitum, quæ in eo continentur. Continet autem* LIBROS IV. *Primi inſcriptio eſt:* INCIPIT LIBER DE IMITATIONE CHRISTI ET CONTEMPTU MUNDI OMNIUMQUE EJUS VANITATUM. *Capita numerantur XXV. quorum ultimum agit de ferventi emendatione totius vitæ:* Libri II. rubrum eſt: *Incipit liber de interna converſatione, isque XII. Capitibus abſolvitur, quorum ultimum de regia via ſanctæ crucis. Fronti libri III. inſcriptum:* INCIPIT LIBER TERTIUS DE INTERNA CONSOLATIONE, *Capita iſte LIX. complectitur, quorum ultimum rubrum habet, quod omnis ſpes & fiducia in ſolo Deo eſt facienda (ita correctum, cùm librarius ex oſcitantia ſcripſerat fugienda Libri IV. Titulus eſt:* INCIPIT LIBER QUARTUS DE DEVOTA EXHORTATIONE AD SACRAM CORPORIS CHRISTI COMMUNIONEM. *Capita hic comparent XVIII. quorum ultimum argumentum præfixum habet, quòd homo non ſit curioſus ſcrutator Sacramenti. Tituli capitum omnes minio ſcripti, prima verò cujusvis Capitis littera modo rubro, modo cæruleo colore eleganter formata; initia denique periodorum in ſingulis capitibus flavo colore diſtincta ſunt. Compendia ſcribendi, quæ abbreviationes barbarè vocant, multa quidem & frequentia adſunt, ita tamen ut neque difficilem reddant lectionem, neque ſcriptionem pulcherrimam deturpent. Voces juſto à ſe ſpatio diſtant, & i littera puncto ſemper inſignitur. Interpunctionis ſigna fere omnia iis, quibus hodie utimur, ſimilia, nec absque judicio adhibita. Quæ delenda infernè*

&

& ſuperius punctis notata, loco æ ſemper ſimplex e. Sæpius u pro v. & y pro i. Tempus ſcriptionis nullibi locorum diſertè exprimitur, de Auctore vero rubrica Capitis primi hæc habet: CAPITULUM PRIMUM COMPILATUM PER JOANNEM GERSEN CANCELLARIUM PARISIENSEM. *Folia per totum volumen numerantur LXXXV.*
„ De Codice chartaceo vix operæ pretium eſt, ut multa ſcribam: „ neque enim ullibi locorum in eo vel nomen Auctoris, vel tempus, „ vel locus ſcriptionis, vel aliud quidquam hiſtoriæ libri proficuum „ proditur. Præthereà Codicem præcedentem numerô librorum ſu- „ perat, cùm in ſex libros diſtinctus ſit; quorum duo poſtremi *de compunctione & de IV. noviſſimis agunt.* In fine ultimi capitis libri ſecundi legitur: *Explicit Exercitatorium Monachale ſive Carthuſienſe.*
„ Cæterùm charta craſſior eſt, & ductus litterarum ſpiſſiores atque „ parum elegantes, quos præthereà multæ abbrevationes deformant. „ Rubricæ tamen librorum capitúmque, ut & litteræ initiales minio „ ſcriptæ ſunt. *Liber de Soliloquio animæ* inter quartum & quintum „ medius eſt, novô tamen numerô deſtituitur, cùm alioquin libri „ VII. numerari debuiſſent. In fronte libri quinti ſcriptum legitur: „ *Incipiunt Capitula Tractatus de Operibus;* Quæ omnia in ea me con- „ firmant opinione, ex diverſis auctoribus compilatum eſſe libellum „ hunc, quem ſub Thomæ à Kempis nomine de Imitatione Chriſti „ inſcriptum novimus. *Soliloquium* enim *animæ* procul dubio eum „ parentem agnoſcit, &, quod hoc loco *Exercitatorium Monachale* „ *vel Carthuſienſe* vocatur, opuſculum, aliud non videtur ab eô, „ quod *de diſciplina Clauſtralium* ſub ejus nomine circumfertur. Edi- „ tio princeps typis exſcripta, quæ mihi hactenùs innotuit, in ea- „ dem Bibliotheca Guelferbytana ſervatur, & nomen *Joannis Mal-* „ *leoli à Kempis*, Canonici Regularis Ordinis B. Auguſtini, diſertim „ prodit. Hanc Argentinæ A. 1481. prelô exiiſſe in fine libri do- „ cemur. Forma qua prodiit, eſt ea, quam vulgo *in Quarto* dici- „ mus. In Catalogis ſubinde annotatas deprehendi editiones de A. „ 1485. 1488. 1489. 1491. 1497. In linguam Germanicam

„ translatus egregius hic libellus jam A. 1493. Luneburgi in urbe
„ nobis vicina Typographorum induſtriam exercuit, ubi tamen *Jo.*
„ *Gerſonius* iterum auctor libri nominatur; quem auctorem etiam la-
„ tina editio Auguſtana anni 1488. nominat. Opera *Gerſonii* jun-
„ ctim edita Coloniæ 1483. in fol. Bibliotheca noſtra Regio-
„ Electoralis ſervat, & aliam editionem Pariſienſem ex A. 1489.
„ in 4to. laudatiſſima Bibliotheca *Guelferbytana*; ſed neutra earum
„ libellum de Imitatione Chriſti exhibet. Hæc ſunt, quæ prio-
„ ribus meis addenda exiſtimavi, ut intelligas in hominem Te
„ incidiſſe, qui deſiderare in ſe ſtudium & obſervantiam nunquam
„ patietur. Quod ſupereſt, Deum precor, ut Tibi Vir ſumme
„ Reverende, Tuisque Studiis propitius adſit. Vale & ſi quid
„ porro Tui cauſa facere me poſſe exiſtimaveris, jube. Iterum
„ iterúmque vale. Scribebam Hanoveræ d. VII. Dec. A. R. S.
„ cIↃIↃccLX.

§. 122. Si quis autem ex eo, quod recens partus in primo, ut ita dicam, baptiſmo Gerſonis, ſeu quod idem eſt, *Gerſenis*, quàm Kempiſii nomen acceperit, inferre malit, Gerſonem majori vel certè æquali jure parentis nomen mereri, non diffiterer illatum, ſi Gerſonianus, ſemper methodo ſcholaſtica, definitiva, diviſiva, in unum ſcopum directiva, incedens, ſtylus non obſtaret, quod obſtaculum ipſemet *Dupinus* agnoſcit; & non tandem ab anonymo ſupra (§. 84.) laudato detectum fuiſſet Exemplar verſionis Gallicæ, in qua tres primi libri de Imitatione omiſſis omnibus, quæ ad Regulares ſpectant, perſonis ſæcularibus applicantur. Hunc enim verſionis & applicationis pium laborem Gerſoni in Bavaria, Auſtria, & Lugdunenſi provincia ab annô 1419. uſque ad annum obitûs 1429. exuli, in meris Aſceticis occupato, ultro conceſſerim.

§. 123. De Epitaphiô Gerſonis teſtatur Codex Padolironenſis ab ipſismet Gerſeniſtis Pariſiis 1687. in defenſionem ſuæ cauſæ coram

coram Eruditorum delectorum conſeſſu productus, in cujus principiô continetur Epitaphium Gerſonis his verbis expreſſum:

Magnum parva tenet virtutibus urna Joannem
Præcelſum meritis Gerſen cognomine dictum
Pariſiis ſacræ Profeſſor Theologiæ
Claruit Eccleſiæ qui Conſolarius anno
Milleno Domini centum quater atque vigeno
Nono, luce petit Superos Julii duodenâ.

§. 124. De Applicatione autem Operis Kempiſiani ad perſonas Sæculares teſtatur, idem anonymus §. 84. laudatus Proëmiator novæ editionis Gallicæ 1737. ubi Gallicè ſic ſcribit:

„ Nova hæc libri de Imitatione Jeſu Chriſti editio Gothico-
„ Gallica noviſſimè detecta eſt. Plurimum ea ab hujus libri de Imi-
„ tatione editione vulgari differt, eſtque, ut videtur, ex manuſcrip-
„ tîs antiquiſſimîs deducta.

„ Hinc talem publici juris facere libellum proponimus, qualem
„ ab ipſius Authoris (verſionis) manibus relictum credimus, muta-
„ tô nonniſi idiomate.

„ Licet cuivis ex ſola libri hujus, ſive in hac ſive in editione
„ Gothicâ, Lectione perſpicere facile ſit, hícne, an ille vulgaris
„ editionis liber conformior ſit archetypo, nihilominus operæ pre-
„ tium fore duximus, rationes præcipuas pro noſtrâ hac editione
„ militantes in hujus diſſertationis decurſu in medium afferre.

„ In Diſſertationibûs, quæ hactenus ratione Authoris hujus li-
„ bri de Imitatione prodierunt, óbſervamus, Manuſcripta antiqua
„ cum vulgari hujus libri editione neque titulô, neque numerô,
„ neque etiam Ordine partium convenire. Noſtrum exemplar quod
„ attinet, titulus ejuſdem eſt: *Conſolatio interna*, præfixo ſcripturæ
„ textu *Conſolationes tuæ lætificaverunt animam meam.* Ordinem &
„ numerum partium quod attinet, & híc diſcrimen invenire eſt.
„ Pars prima hæc eſt: *Converſio ſeu reditus* animæ in ſeipſam, ad-
„ junctîs hîs ſcripturæ verbîs: *Regnum Dei intra vos eſt.* Partis ſe-

„ cundæ ſcopus eſt colloquium Jeſu Chriſti & animæ Chriſtianæ ſub „ hôc titulo: audiam, *quid in me loquatur Dominus Deus.* Tertia „ pars agit de internâ & perfectâ Imitatione Domini Noſtri Jeſu „ Chriſti cum hôc ſcripturæ locô: *Qui ſequitur me, non ambulat in* „ *tenebris.* Pars hæc finitur hîs verbîs: *Cui ſoli Regi immortali, inviſi-* „ *bili, Soli Deo ſit omnis Gloria, omnis honor, & gratiarum actio, qui* „ *ſolus eſt & ſit principium, medium, & finis internæ noſtræ conſola-* „ *tionis*, adeoque tertia hæc pars eſt ultima: hinc ortum duxit „ opinio, haud eundem eſſe quartæ partis, quam in aliquibus Ma- „ nuſcriptis antiquis invenire non eſt, finem, ſed eam ſolam opus „ quoddam ſingulare conſtituere.

„ Antiquum hoc Exemplar ex primis Manuſcriptis deductum „ eſſe, haud levi nobis eſt argumento, quod in Monaſterio Wein- „ gartenſi, Ord. S. Benedicti, habeatur Manuſcriptum, in quo hæc „ verba legere eſt: *explicit liber internæ conſolationis finitus anno* 1433. „ *ſecundâ feriâ ante feſtum Beatæ Mariæ Virginis per me F. Conradum* „ *Ebesberg tunc temporis Conventualem in Weingarten.* Accedit, quód „ hujus Manuſcripti non ſolum titulus, ſed etiam numerus & Ordo „ partium cum Ordine & numerô noſtræ editionis idem ſit. Hæc „ quippe ſubſcriptio legitur in fine partis inſcriptæ, *De Imitatione,* „ prout refertur in Catalogô Manuſcriptorum, quem R. R. P. P. „ Benedictini præfixerunt ultimæ libri de Imitatione editioni annô „ 1674. impreſſæ, in quâ operis hujus Authorem Gerſenem Abba- „ tem dicunt. In aliô ejusdem Monaſterii Manuſcriptô eandem „ legere eſt ſubſcriptionem, adjunctîs hiſce verbîs: Scriptus annô „ 1434. per me Joannem Mersberg Conventualem & Cuſtodem in „ Weingarten. Adhæc alterius cujusdam Manuſcripti Salisbûrgenſis „ de anno 1463. eadem eſt ſubſcriptio.

„ Ex his Manuſcriptis, cùm nonniſi apographa ſint, prout ex „ ſubſcriptionibûs his apparet, concludendum, illa Scripta, ex qui- „ bus apographa hæc deſcripta ſunt, antiquiora eſſe, adeoque jam „ ante annum 1433. Manuſcripta ſub nomine de *Conſolatione internâ* „ extitiſſe.

„ Quodſi

„ Quodſi nullum inveniatur Manuſcriptum, quod evertat præ-
„ dictarum editionum & hujus authoritatem, ſequitur, Exemplar
„ hoc ex antiquiſſimîs Manuſcriptîs *potuiſſe* deſcribi.

„ Omnium Manuſcriptorum, quibus annus appoſitus eſt, anti-
„ quiſſimi, licet & hoc ſit tantum apographum, titulus eſt, *De Re-*
„ *formatione Chriſti*, cum hâc ſubſcriptione: *Anno* 1421. *in die ſancti*
„ *Joannis Baptiſtæ decollationis.* Valgravius, qui hoc allegat, refert,
„ quod ſit ducentorum foliorum, & quod centeſimo quadrageſimo
„ ſeptimo incipiat caput, *Qui ſequitur me.* Ex quo ſequitur par-
„ tem hoc ſcripturæ textu inſcriptam, & cujus titulus eſt, *de per-*
„ *fectâ Imitatione Jeſu Chriſti*, ibidem eſſe *tertiam*, id quod Ordini
„ partium noſtræ editionis favet. Cùm tam parùm Manuſcripti hu-
„ jus poteſt eſſe titulus: *de Imitatione*, quàm parùm libro cuidam
„ nomen tertiæ partis imponatur. Examinandum jam venit, utrum
„ titulus, *de Reformatione:* potuerit inveniri in ipſo Originali, vel
„ an ex eo fuerit erutus. Sed hoc factum eſſe vix apparet proba-
„ bile. Nam præterquam quod omnes conveniant, hunc non eſſe
„ titulum libri de Imitatione, nullo argumento probatur, Originali
„ hunc potius titulum, quam illum, *de Reformatione hominis interni*,
„ quem in aliîs apographîs legere eſt, aut illum. *De Reformatione*
„ *& Imitatione*, quem alia referunt, fuiſſe præfixum. Ex varietate
„ hac ſatis ſupérque apparet, apographa hæc non eſſe deſcripta ex
„ ſcriptîs, quæ accuratè hunc titulum præſeferebant: Jam vero,
„ quando ignoratur titulus libro ab Authore præfixus, naturale eſt
„ quemdam eidem præfigere; hinc & apographis hujus libri, titulô
„ in Originali omiſſo, varius potuit præfigi titulus.

„ Hucuſque Proëmiator Gallicus, qui tamen ſine funda-
„ mento ſuſpicatur, Originale longo tempore præceſſiſſe Copiam
„ Weingartenſem. Nec enim antiquitas Exemplarium, prout §. 108.
„ 109. 245. oſtenſum eſt, nec conteſſeratio idoneorum teſtium nos
„ cogit ad majorem antiquitatem Operis admittendam, quàm Epo-
„ cham ſuperiùs ſtatutam 1415. Sicut enim in Philoſophicis duce

 New-

„ Newtono alia principia admittenda non ſunt, niſi *quæ dantur*
„ (demonſtrantur) *& ſufficiunt*, ita in Hiſtoricis abſurdum eſt,
„ ſtatuere majorem rerum antiquitatem, niſi quæ ex conteſſera-
„ tione teſtium dari *probatur*, atque ad ſolutionem dubiorum
„ *ſufficit*.

PARS. IV.
ARGUMENTA
PRO
THOMA KEMPENSI.

I.

Ex 77. Teſtibus partim Synchronis partim coævis.

TESTIS I.

BUSCHIUS 1464. pro *Kempiſio* ✝ 1471.

§. 125.

Teſtis 1. omnî exceptione major eſt BUSCHIUS, Kempiſio familiaris, vir doctus, à ſtudiô particulari ſui Ordinis prorſus alienus, & tantæ authoritatis, ut à *Nicolao de Cuſa* Cardinale, Nuntiô Apoſtolicô, in conviſitatorem pro reformatione omnium cujuſvis Ordinis Monaſteriorum inferioris Germaniæ aſſumptus fuerit. Natus eſt annô 1400. quò Kempiſius ad Monaſterium S. Agnetis neoædificari cœptum à ſtudiis tranſiit. Ordinem Can. Reg. profeſſus eſt annô 1420. in Monaſteriô Windesheim, tantùm unâ horâ à Monaſteriô S. Agnetis diſſitô, quo tempore Kempiſius in præfatô S. Agnetis Monaſteriô jam erat Supprior. Exantlatis variîs laboribûs, prout *Leubnitius* ex Codice Sultenſi convincenter probat in Introduct. ad Collect. Script. Brunw. fol. 45. obiit annô 1479. octo annîs poſt mortem Kempiſii.

§. 127.

§. 126. Hic vir tantæ authoritatis, in publicâ veneratione ab omnibus habitus in ſuō Chronico Windesheimenſi, quod ſe annô 1464. abſolviſſe ſcribit l. 2. c. 21. teſtatur; pridie ante mortem Joannis de Huesden, actualis Prioris in Monaſteriô Windesheim, viri celebris, utpote unius ex primîs fundatoribûs congregationis Windesheimenſis, veniſſe in Windesheim ex vicinô Monaſteriô S. Agnetis Thomam Kempenſem cum ſociô, recipiendi ab Huesdeniô in quodam negotiô conſilii cauſâ. Nocte Kempiſius habuit ſomnium tam clarum ac diſtinctum conjunctum cum illuſtratione & motione internâ, de celeriter ſecuturâ morte Huesdenii, ut manè non dubitaret monere religioſos Monaſterii, properare eos debere, ſi Priorem Huesdenium, adhuc reperire vellent; quod ſomnium verum fuiſſe, probavit eventus. Buſchius tunc temporis religioſus jam profeſſus in Windesheim in Chronico ſui Monaſterii deſcribens hunc eventum, facit ſimul honorificam mentionem Kempiſii his Verbis:
„ Contigit ante paucos dies ſui (Huesdenii) obitus, ut duo fra-
„ tres notabiles de Monte ſanctæ Agnetis propè Zwollis Ordinis
„ noſtri, dictum Priorem noſtrum ſuper certîs rebûs conſulturi in
„ Windeſem advenirent; quorum unus frater Thomas de Kempis
„ vir probatæ vitæ, qui plures devotos libros compoſuit, videlicet.
„ *Qui ſequitur me*, *de Imitatione Chriſti*, cum aliis, nocte inſecutâ
„ ſomnium vidit præſagum futurorum. Aſpexit namque in viſu no-
„ ctis concurſum ſpirituum beatorum fieri in cœleſtibus, quaſi pro
„ alicujus obitu celeriter feſtinantium, ſtatimque tabulam tanquam
„ pro morientis exitu in ſomnis audivit pulſari, ut exinde exper-
„ rectus evigilaret. Surgens ergò de lectô, & quidnam eſſet fa-
„ ctum volens ire viſum, nèminem percepit. Erat autem manè an-
„ te horam quintam, & fratres adhuc dormiebant. In ſe itaque
„ reverſus cæpit tacitè cogitare, quòd Prior in *Windeſem* in brevi
„ eſſet migraturus; nemini tamen de *Windeſem* tunc retulit viſionem,
„ ſed clerico de Brabantia ſecum inde pergenti dixit in ſecreto: di-
„ catis Domino *Hermanno Scutken* in Theniſ- monte commoranti,
ſi Pri-

„ ſi Priori velit loqui in *Windeſem*, quàm citò veniat, quia diu hic „ non erit, ſi vera fuit viſio, quam hac nocte vidi. Qui non longè „ poſt Miſſam, viam univerſæ terræ eſt ingreſſus „

ſ. 127. Gerſeniſta Schyrenſis expeditè reſpondet, *narratiunculam hanc aliena manu Authographo Buſchii adjectam eſſe*. Verùm hoc ſomnium Gerſeniſtæ diſpellitur ſolenni Inſtrumento Magiſtratûs Lovanienſis recenter erecto, quod cum Epiſtolâ ad me data hic annecto.

Plurimùm Reverende, ac Eruditiſſime Dòmine!

Quod à me expoſtulavit R. V. authenticum ac notariale Teſtimonium cum Authographo Buſchii collationatum, *Dignitati Veſtræ* transmitto. Det Deus, crambem toties recoctam è mundô penitus elimines.

Miſiſſem primas & ultimas Codicis noſtri Kempiſiani lineas; ſed non eſt vel amanuenſis unus, qui characterem Ven. P. Thomæ noſtri imitari pôſſit. Addo, nos præter V. P. à Kempis Authographum poſſidere librum de Imitatione impreſſum Pariſiis 20. Aprilis 1500. cui præfixus Titulus (incipit liber primus egregii Viri Thomæ de Kempis de Imitatione Chriſti, & de contemptu omnium vanitatum mundi) cui eodem charactere annèxus tractatus Magiſtri Joannis Gerſonis de meditatione cordis.

Longam R. V. in commune Ordinis bonum precatus vitam ſingulari cum obſervantia inſcribor.

Servus in Chriſto
Jac. Thom. Bosmans Pr. Martinianus
Lovanii mppria-

Sequitur Inſtrumentum publicum.

1760. (L. S) Bemmel.

Infra ſcriptus Notarius publicus per Curiam Brabantiæ admiſſus, Lovanii reſidens, fidem facio, & atteſtor, quòd Ampliſſimus D. Jacobus Thomas Bosmans Prior Martinianus Windeſemenſis pro tempore

pore Secretarius mihi hac 28. Novembris 1760. copiam fecerit Authographi Joannis Buſchii, conſcripti in Quarto, coriô obducti fuſcô, cui titulus: *Liber de Viris illuſtribus Patrum & Fratrum antiquorum in Windeſem &c.* in quo inter alia Lib. 2do. habentur ſequentia.

Contigit ante paucos dies ſui obitus, ut duo Fratres nobiles de Monte Sanctæ Agnetis prope Zwollis Ordinis noſtri dictum Priorem noſtrum ſuper certis rebus conſulturi in Windeſem advenirent, quorum unus Fr. Thomas de Kempis vir probatæ vitæ, qui plures devotos libros compoſuit, videlicet qui ſequitur me de imitatione &c. cum aliis. Nocte inſecuta ſomnium vidit præſagum futurorum; aſpexit namque &c.

Quæ quidem verba cum Authographo per me collationata eadem manu, eodem charactere, eodem atramento, in eodem contextu, in iisdem lineis, ſine litura, & ſine deletione ullius verbi, & ſine parentheſi, ibidem inveniuntur expreſſa.

Quod atteſtor, Jo. Eyckermans Not.

Nos Conſules Scabini, cæterique de Conſilio oppidi Lovanienſis teſtamur, & fidem facimus, Jodocum Eyckermans, qui hoc ſcripſit, & ſignavit, eſſe Notarium Lovanii reſidentem, boni nominis ac famæ, ejúsque inſtrumentis publicis plenam & indubiam fidem adhiberi tam in, quam extra judicium. In Signum fidei haſce Sigillo noſtro ad cauſas muniri & ſignari per unum ex noſtris Secretariis curavimus. Datum Lovanii hac 28. Novembris 1760.

(L.S.) F.P.J. Van Bemmel 1760. Secretarius.

§. 128. Alia Gerſeniſtæ exceptio eſt, quod Buſchius omnia corraſerit, quæ ullo modo ad decorem Ordinis contribuere videbantur, ſine diſcuſſione, veráne, an falſa eſſent. An hanc artem corradendi ab exemplis domeſticis vel gentilitiis hauſerit, nolim diſquirere. Certè Buſchium ab hoc maleficiô ac toxicô Regularibus multis arte quadam magicâ per modum philtri infuſô immunem fuiſſe, ingenti oris hiatu libri Buſchiani de reformatione Monaſteriorum

loquuntur; pauciſſimi reperiuntur ſcriptores, qui cum Buſchio de nævis Monaſteriorum etiam ſui Ordinis tam candidè & apertè ſcribunt, prout *Leibnitius* in collectione ſcriptorum Brunſvicenſia illuſtrantium in Præfatione num. 39. fol. 45. ſic ſcribit: „Non ſpernendum eſt hoc Buſchii opus, cùm multa contineat, quæ ſtatum Ec-„cleſiarum Germanicarum egregiè illuſtrant. Ex quo intelligi da-„tur, magnos quidem abuſus invaluiſſe in Monaſteriis, ſed non tan-„tam ignorantiam, aut corruptionem fuiſſe, quanta vulgò credi-„tur. Buſchium enim non diſſimulare corruptelas, neque adulari „ſuis, manifeſtum eſt. Ita *Leibnitius*, quamvis acatholicus, nulli ſtudio partium inter Regulares addictus.

§. 129. Ex his ergo liquet, falſum eſſe, quod Gerſeniſta juvenis petulanter ſcribit, Buſchium omnia corraſiſſe, quæ pro decore Ordinis quoquo modo ſervirent. Econtrà ex hac libertate ſcribendi potius ſequitur, Buſchium eſſe teſtem omni exceptione majorem.

TESTIS II.

HERMANNUS 1454. pro *Kempiſio* † 1471.

§. 130.

Teſtimonium Hermanni Canonici Regularis in Monaſterio Novi Operis prope Hallas reperi anno 1726. in Manuſcripto Codice Monaſterii Canonicorum Regularium ad S. Nicolaum, in quo Manuſcripto Codice papyraceo Hermannus deſcribit varias Canonias Congregationis Windesheimenſis. Inter alia ſic ſcribit: „Item, „Frater iſte, qui compilavit librum de Imitatione, dicitur, ſive no-„minatur Thomas Supprior in dicto Monaſterio Montis S. Agnetis „prope Swollis diœceſis Trajectenſis Provinciæ Colonienſis, & di-„ſtat dictum Monaſterium uno milliari à Windesheim, quod eſt „Monaſterium ſuperius, in quo ſingulis annis Canonici Regulares

„de

„ de Provincia Colonienſi, Moguntinenſi, Trevirenſi celebrant „ Capitulum Generale: Vixit autem hic compilator adhuc anno „ 1454. & ego Frater Hermannus de Monaſterio Novioperis pro- „ pe Hallas Magdeburgenſis Diœceſis eodem anno miſſus ad dictum „ Capitulum Generale fui eidem locutus.,,

§. 131. Hoc Teſtimonium Hermanni fideliter ex ipſo Manuſcripto Codice Paſſavienſi, quem cum permiſſu Reverendiſſimi Præſulis ad tempus mecum acceperam, deſcriptum fuiſſe, teſtatur A. R. D. Joannes Biechler, Regiſtrator Officii Auguſtanus & Notarius publicus; ut ſequitur

Extractus

Ex Manuſcripto Codice aſſervato in Canonia ad Sanctum Nicolaum prope Paſſavium, in quo ſunt varii tractatus, quorum unus ſcriptus eſt Anno 1473. alius verò ſine anno continet deſcriptionem Monaſteriorum Congregationis Windesheimenſis, & inter alia ſequentem Paragraphum.

Etc. Item, Frater iſte, qui compilavit librum de Imitatione, dicitur, ſive nominatur Thomas Supprior in dicto Monaſterio Montis S. Agnetis prope Swollis diœceſis Trajectenſis Provinciæ Colonienſis & diſtat dictum Monaſterium uno milliari à Windesheim, quod eſt Monaſterium ſuperius, in quo ſingulis annis Canonici Regulares de Provincia Colonienſi, Moguntinenſi, Trevirenſi celebrant Capitulum Generale. Vixit autem hic compilator adhuc anno 1454. Et ego Frater Hermannus de Monaſterio Novi Operis propè Hallas Magdeburgenſis Diœceſis eodem annô miſſus ad Capitulum dictum generale fui eidem locutus.

Alius Extractus.

Ex Manuſcripto Codice Canoniæ Pollinganæ, in quo continentur varii tractatus, primus ſubſcriptum habet annum 1442. Alius Tractatus incipit: *Qui ſequitur me*, ad finem verò ſic habet:

Explicit libellus de Imitatione Chriſti editus, ut dicitur à quodam Canonico Regulari in Monaſterio Pödiken, Bardeburgenſis Diœceſis Provinciæ Colonienſis.

Alius Codex Manuſcriptus.

Canoniæ Pollinganæ continens varios tractatus, continet etiam ſequentem, qui incipit: *Ad altitudinem humilitatis &c* Paulò poſt habet hæc verba: *Explicit Bonaventura de humilitate.* Et paucis interjectis lineis habet hæc verba: *Tractatulus Dni Petri Cardinalis Cameracenſis de quatuor exercitiis ſpiritualibus.* Dein interjectis aliquot foliis continua ſerie eodem charactere ſcriptum eſt. *Incipit ſecunda pars de Imitatione Chriſti;* & dein ſubjunguntur liber ſecundus, tertius & quartus de Imitatione Chriſti prout habetur in impreſſis, hac tamen differentia, quod in libro quarto additum ſit: Capitulum undevigeſimum, Capitulum vigeſimum, & vigeſimum ſecundum: ad finem poſita ſunt hæc verba: Laudetur Deus Amen 1447.

Quod ego infraſcriptus Notarius publicus ſuperiores extractus de originalibus Codicibus Manuſcriptis ſupra nominatis, mihi exhibitis fideliter tranſumpſerim, & facta deſuper accurata collatione & auſcultatione eosdem de verbo ad verbum omninò cum dictis Originalibus concordare repererim, propriæ manus ſubſcriptione, Symboli Notarialis & Sigilli ſoliti appreſſione atteſtor requiſitus. Actum in Canonia Pollingana die 22. Maji Anno 1726.

(L.S.)

Joannes Biechler, Sacris Aplis & Imperiali Authoritatibus Notarius juratus, Romæ immatriculatus, nec non Parochus in Leitershofen, & Reverendiſſimi Vicariatûs Auguſtani Regiſtrator mppa.

TESTIS

TESTIS III.

CASPARUS DE PFORZHEIM 1448. pro *Kempiſio* †. 1471.

§. 132.

Anno 1448. Typographia vixdum nata prodiit in lucem Germanica Verſio librorum de Imitatione adſcripto genuino Authore Thoma Kempenſi. De hac editione Reverendiſſimus ac Eruditiſſimus Præpoſitus Wengenſis in Epiſtola ad meum Reverendiſſimum Præſulem ſub Dato 22. Oct. 1760. ſic ſcribit: „ Patere Reverendiſſime Præſul, ut vix elapſo triduo rurſus litteris te accedam, moneámque nec Bibliothecam Wengenſem carere Manuſcripto inſigni, quod Kempenſi noſtro libros de Imitatione &c. adſcribit. Continet hic Codex tres primos de Imitatione Chriſti libros in Germanicam linguam transfuſos. Ad finem libri tertii apparet Scriptoris nomen, & annus quo finitus eſt. Audi formalia:

Finitus iſte liber feria 4ta ante feſtum Paſcæ ante horam nonam anno 1448. Per me Caſpar de Pforzheim - laudetur Omnipotens.

In prima compacturæ pagina Author librorum hiſce verbis proditur:

Das büchlein Von der Nachfolgung Chriſti **das hat gemacht ain andachtiger Wirdiger Vatter Maiſter Thomas** Canonicus regularis **das in begriffen Wurt alles das, daß ainen gaiſtlichen Menſchen nott iſt.**

Non tantùm compactura, ſed & ſtylus, & ſcriptura ſæculi decimi quinti partum apertè demonſtrant. Fuerat hic Codex olim ex cimeliis Bibliothecæ Spizelianæ, cujus inſignia ære expreſſa in veſtibulo cernuntur. „

§. 133. Simplicitatem Interpretis incapacem doli prodit vel unicum ſpecimen. Verborum enim illorum l. 3. c. 56. (vita boni Monachi crux eſt, ſed dux paradiſi) translatio ſic habet: **Das le-**

ben eines guten Münichs, der beſunders iſt ein Hertzog des Paradiß.

§. 134. Teſtimonio Reverendiſſimi Wengenſis addo obſervationem P. Heſeri in *Dioptra*, ubi ſcribit: Obſervo etiam, Beſoldum „ in ſuo Spicil. Polit. Jurid. 3. c. 1. de jure pacis, teſtari, ſe in „ Monaſterio Zwifaltenſi vidiſſe libros de Imitatione in idioma Ger- „ manicum translatos & ſcriptos anno 1448.

TESTIS IV.

GINTERUS ZEINER 1468. pro *Kempiſio †.* 1471.

§. 135.

Ginterus Zeiner Bibliopola Auguſtanus edidit librum de Imitatione ſub nomine Thomæ Kempenſis adhuc vivente authore. Hujus editionis meminit Cl. Schelhornius in *Selectis Commercii Epiſtolaris Uffenbachiani parte V.* Teſtimonium Cl. Schelhornii confirmat authenticum Teſtimonium Viri non minus genere conſulari Nobilis atque Illuſtris, quàm Eruditi, qui ex ſua raris libris inſtructiſſima Bibliotheca mihi ſequentis tenoris Inſtrumentum communicare dignatus eſt.

Initium & Finis editionis antiquiſſimæ in folio Thomæ de Kempis Can. Reg. S. Aug. ex Bibliotheca Perilluſtris Domini Raymundi de Krafft, Conſulis Reipublicæ Imperialis Ulmenſis.

Incipit libellus conſolatorius ad inſtructionem Devotorum, cujus primum capitulum eſt de Imitatione Chriſti, & contemptu vanitatum mundi. Et quidam totum libellum ſic appellant ſcilicet libellum de Imitatione Chriſti, ſicut Evangelium Mathæi appellatur liber generationis JEſu Chriſti, eoquod in primo capitulo ſit mentio de generatione Chriſti ſecundùm carnem. Incipit primum capitu-

capitulum; Qui ſequitur me, non ambulat in tenebris, dicit Dominus. Hæc ſunt verba Chriſti, quibus admonemur quatenùs vitam ejus & mores imitemur, ſi velimus veraciter illuminari & ab omni cæcitate cordis liberari. Summum igitur ſtudium noſtrum ſit in vita JEſu meditari. Doctrina Chriſti omnes doctrinas Sanctorum præcellit, & qui ſpiritum Dei habent, ibi manna abſconditum invenient. Sed contingit quod multi ex frequenti auditu Evangelii parvum deſiderium ſentiunt, quia Spiritum Dei non habent. Qui autem vult plenè & ſapidè Chriſti verba intelligere, oportet ut totam vitam ſuam illi ſtudeat conformare. Quid prodeſt tibi alta de Trinitate diſcutere, ſi careas humilitate, unde diſpliceas Sanctæ Trinitati. Verè alta verba non faciunt ſanctum & juſtum, ſed virtuoſa vita efficit hominem Deo carum. Opto magis ſentire compunctionem, quàm ſcire ejus diffinitionem. Si ſcires totam bibliam exterius & omnium philoſophorum dicta, quid totum prodeſſet, ſine caritate & gratia Dei. Vanitas vanitatum & omnia vanitas præter amare Deum & illi ſoli ſervire. Iſta eſt ſumma ſapientia per contemptum mundi tendere ad cœleſtia. Vanitas igitur eſt divitias perituras quærere & in illis ſperare. Vanitas quoque eſt honores mundi ambire & in altum ſe extollere. Vanitas eſt carnis deſideria ſequi & illa deſiderare. Unde poſt mortem oportet graviter puniri. Vanitas eſt longam vitam optare & de bona vita non curare. Vanitas eſt præſentem vitam ſolum attendere, & quæ futura ſunt non prævidere. Vanitas eſt diligere, quod cum omni celeritate tranſit, & illuc non feſtinare, ubi ſempiternum gaudium manet. Memento frequenter, illius proverbii, quod non ſaciabitur oculus viſu, nec impletur auris auditu. Stude ergo cor tuum ab amore viſibilium abſtrahere, & ad inviſibilia te transferre. Nam ſequentes ſuam ſenſualitatem maculant conſcientiam & perdunt Dei gratiam.

Viri egregii Thomæ Montis Sanctæ Agnetis in Trajecto regularis Canonici libri de Chriſti Imitatione numero quatuor finiunt feliciter. Per Ginterum Zeiner ex Reutlingen progenitum litteris impreſſi ahenis.

Licet

Licet verò neque in principio neque in fine hujus libri annus impreſſionis fuerit notatus, prodiiſſe tamen eum in lucem veriſimile eſt anno circiter 1471. vel fortè priùs & quidem Auguſtæ Vindelicorum. Ibi enim eo tempore artem typographicam exercuiſſe Gintherum Zainer Reutlingenſem patet ex aliis operibus, quæ ab eo excuſa, rariùsque nunc obvia in eadem Bibliotheca adſervantur, quorumque brevem exhibere heic notitiam Operæ videtur eſſe pretium.

1.

Speculum Vitæ Humanæ.

Ad ſanctiſſimum & B. Dominum Dominum Paulum ſecundum Pontificem maximum, liber incipit dictus Speculum Vitæ Humanæ. Quia in eo cuncti mortales, in quovis fuerint ſtatu vel officio ſpirituali aut temporali, ſpeculabuntur ejus artis & vitæ proſpera & adverſa, ac recte vivendi documenta: editus a Rodorico Zamorenſi & poſtea Calagaritano Hiſpano ejusdem ſanctitatis in caſtro ſuo ſancti Angeli Caſtellano.

Finit liber dictus Speculum Vitæ Humanæ, quod in eo & Ceſarea Poteſtas, & regalis dignitas bubulcorum etiam genus ſibi ſpeculatur ſaluberrima ſimul ſpiritualisque vitæ viros ſecum advehens, papam ſcilicet cardinales, arciepiſcopos, clericos, & ceteros eccleſiæ miniſtros: rectam & his ſpeculandi præſcribendô normam, à Ginthero Zainer ex Reutlingen civi progenito, urbe autem commanenti Auguſtenſi: arte impreſſoriâ in medium feliciter deditus: Annô à partu Virginis ſalutiferô Mileſimô quadringenteſimô ſeptuageſimô primô. Idus verò Januarias tercio.

2.

Das guldne Spiel.

Hie hebt ſich das buch an, das man nent das guldin Spil, vnder dem begriffen ſeind ſiben Spil, durch welche die Houbt Sünd der

der ouch an der CZal ſiben ſeynd, Kurcz und Meiſterlich zu Beſtraffung der irrenden erclært werden.

Getruckt von Ginthero Zeiner geborn aus Reutlingen an dem achten tag ſant Jacobs des merern, als man zalt von der Geburt Criſti M°. CCCC°. LXXII°. Jar.

3.

Das Sumer Theil der Heiligen Leben.

Hie hebt ſich an das ſumer teil der Heyligen leben vnd tzu dem erſten von dem lieben Heyligen lerer ſant Ambroſio dem Biſchoff.

Gedruckt von mir Ginthero Zeiner geboren aus Reutlingen wonent zu Augſpurg, am montag nach ſant Jœrgen tag, als man zalt von der Geburdt Criſti, Tauſent vierhundert vnd in dem Ozwey vnd ſibenczigiſten Iare.

Aliorum operum, ab eodem Zeinerô typis exſcriptorum, mentionem facit Mich. Maittaire in Annal. Typogr. Tom. 1. p. 100. & 101. Poſt annum autem 1473. laudatus Vir, etſi omnes tot inſtructiſſimarum Bibliothecarum in Anglia præſertim & Gallia angulos ad annales ſuos curate & induſtriè condendos perreptaverit, nihil amplius ab eo impreſſum indagare potuit. Haud igitur eſt improbabile memoratam editionem libri de Imitatione Chriſti omnium primam eſſe, publicæque luci ante annum 1471. expoſitam: Siquidem rei literariæ gnaros non fugit, ea opera, quæ anni indiciô deſtituta ſunt, cæteriſque antiquitatis Characteribus gaudent, plerumque ætate vincere illa, quibus anni locique nota adſcripta eſt.

Cæterum in eadem Bibliotheca conſpicitur quoque alia libri de Imitatione Chriſti editio per Johannem Zeiner Ulmenſem A. 1487. in forma octuplici curata, ubi opuſculum hoc in titulo tribuitur Gerſoni, ſed in averſa facie tituli a manu antiqua ac uti vide-

tur editioni coæva hæc leguntur: Nota: ſequentes quatuor Tractatulos confecit quidam pater devotus, nomine Thomas Kempis de monte ſancte Agnetis Canonicus Regularis trajectens: Dyoceſis. &.

(L. S.) Omnia, quæ de libris & Editionibus ſupra memoratis hîc annotata ſunt, ita ſe habere manu ſua & ſigillo Gentilitio teſtatur confirmatque ſub fide nobili eorundem librorum Poſſeſſor. Ulmæ d. 15. Julii. Anno 1717.

Raymundus Krafft, de Dellmenſingen.

TESTIS V.

INTERPRES GERMANICUS Operum *Kempiſii* 1450. &c.

§. 136.

Auguſtæ in Monaſterio S. Catharinæ Virginum Deo dicatarum Ordinis S. Dominici habetur Codex Germanicus M.S. in 4. qui exhibet vitas Gerardi M. Florentii, & cæterorum primorum Patrum Windesheimenſium à Thomâ Kempenſi editorum. Interpres Germanicus ab initio ſic habet: *Incipiunt vitæ Beatorum Religioſorum Fratrum ac Patrum ex Ordine S. Auguſtini Canonicorum Regularium, qui noſtris temporibus in Belgio vixerunt, in Diæceſi Trajectenſi, inter quos etiam fuit devotus & beatus Pater Thomas de Kempis; qui hunc libellum, atque alios complures nobiles Tractatus compoſuit, ille etiam eſt, qui compoſuit devotum libellum de Imitatione Chriſti cujus frequenter facta eſt mentio, quia liber eſt cuilibet utilis & valde conſolatorius.* Hactenus Interpres, qui cum dicat hos Patres ſuis temporibus vixiſſe, quorum ibi vitæ deſcriptæ ſunt, non potuit longo tempore vixiſſe poſt horum Patrum obitum, quorum plerique jam ad initium Sæculi XV. mortui ſunt; ultimus eorum Arnoldus mortuus eſt 1430.

TESTIS

TESTIS VI.

MATHIAS FARINATOR 1475. pro *Kempiſio* † 1471.

§. 137.

MATHIAS FARINATOR *Carmelita* Auguſtanus ipſo anno obitus Thomæ Kempenſis, vel etiam priùs, propria manu deſcripſit librum *de Imitatione* adſcriptô nomine authoris *Thomæ Kempenſis.* Gerſeniſtæ impudenter negant, *Mathiam Farinatorem* floruiſſe hoc tempore. Sed precor, ne amplius redeant ejusmodi ſtupidis exceptionibus. Authographum *Farinatoris*, plures Tractatus continens, atque in ultimo adſcriptum habens annum 1472. quod ipſemet vidi, etiamnum aſſervatur in *Bibliotheca Reipublicæ Auguſtanæ.* BIBLIOTHECA CARMELITANA *Aureliis* edita anno 1752. diſtinctè ejus vitam & opera ab eo edita deſcribit, (a) teſtaturque, eum floruiſſe circa annum 1477. An cum hominibus ingenuis res nobis eſt, ut res propriis oculis noſtris perſpectas negare audeant? Codicem hunc deſcripſi in Scuto Kempenſi fol. 27. his verbis: „In hoc Codice continentur varia opuſcula. Primum erat quondam liber de Imitatione. Secundum eſt Philobiblon Richardi. Tertium S. Chryſoſtomi tractatus de Reparatione lapſi. Scripti autem ſunt manu Mathiæ Farinatoris 1472. Ultimum Codicis opuſculum eſt Hugonis Scriptum 1475. Primus vero liber de Imitatione eſt totus exciſus è Codice. Sed fur oblitus eſt exſcindere primum folium libri, in quo eadem manu, quâ totus Codex ſcriptus eſt, ſcriptus adhuc extat Index omnium Tractatuum in Codice contentorum; is ſic habet: *Prima Pars Tractatus de Imitatione Chriſti, Domini Thomæ, Montis S. Agnetis Canonici Regularis.* Ita ſe habere ipſemet vidi ante triennium; & idem teſtatur Inſtrumentum Pro-Epiſcopi Auguſtani? quod vide in *Informatione* Part. VII. & in *Roſweydo redivivo.*

 TESTIS.

(a) Tom. II. pag. 410.

TESTIS VII.

MARTINUS ARGENTINENSIS 1494. pro *Kempiſio* † 1471.

§. 138.

Martinus Simus Argentinenſis in præfatione ad ſuam editionem omnium Operum Gerſonis anno 1494. hoc eſt 23. annis poſt obitum Thomæ K. ſic ſcribit: „ Hujus utiliſſimi Doctoris Tractatus „ & Opera, quotquot colligi potuerunt, etiam non ſine ſingulari „ labore, in hoc volumine impreſſa fuerunt. - Inter hæc autem „ Opera licet nonnulla ſint, quæ Joannis de Gerſon non eſſe vero- „ ſimilius ſit, ut eſt Tractatus contra proprietarios, Compendium „ Theologiæ, Sermo de Conceptione, & ſiqui plures reperiantur, „ tamen quia author alius non patebat, ideo loco ſuo perſtiterunt. „ Alii autem Tractatus, qui ſibi nonnunquam tribuuntur, ſed tamen „ authorem certum habent, ut eſt libellus de contemptu mundi; „ quem conſtat à quodam Thoma Canonico Regulari editum, & alii „ plures non ſunt Operibus ſuis inſerti, verùm nonnulli ad finem „ Operis propter conformitatem materiarum ſubjuncti. „

§. 139. Ex hoc patet, anno 1494. ne quidem nomen Joannis Gerſenis diſtincti à Gerſone Cancellario fuiſſe cognitum.

TESTIS VIII.

PETRUS SCHOTTUS 1488. pro *Kempiſio* † 1471.

§. 140.

Petrum Schottum Canonicum Argentoratenſem ad D. Petrum, virum divinis, humaniſque litteris egregiè imbutum, epicedio laudavit Trithemius. Ampliori laude Jacobus Wimphelingius, vir perindè gravis ac doctus, eum cumulat, qui, cùm illius Opera typis

pis in lucem ederentur, & veſtibulum & poſticum libri magnis inſcripſit elogiis. Multa Petrus venuſta carmina panxit, elegantes ſcripſit epiſtolas, editioni Argentinenſi Operum Gerſonis anno 1488. encomium Gerſonis præfixit, in quo hæc habet: *Alii Tractatus, qui ſibi (Gerſoni) nonnunquam tribuuntur, ſed tamen authorem certum habent, ut eſt libellus de contemptu mundi, quem conſtat à quodam Thoma Canonico Regulari editum, & plures alii, non ſunt Operibus ſuis inſerti.* Hæc Petrus Schottus, Patricii ſanguinis, Cônſule Patre natus, Orator & Poeta magni nominis, Sacerdos integerrimus.

TESTIS IX.

PRÆMIATOR MEMMINGENSIS 1489. pro *Kempiſio* † 1471.

§. 141.

Anno 1489. Memmingæ, (eſt urbs Imperii libera) Tractatus de *Elevatione mentis in Deum* typis excuſus eſt ab Alberto Kunne de Duderſtat. Ipſo in limine libelli aliquis paucula præfatus ſic ait: *Author Tractatus diviniſſimi de Imitatione Chriſti vocatur Dominus Thomas Præpoſitus & Prælatus Canonicorum Regularium.*

TESTIS X.

PRÆMIATOR GALLICUS 1493. pro *Kempiſio* † 1471.

§. 142.

Prodiit anno 1493. Pariſiis verſio Gallica librorum de Imitatione, cujus initium ſic habet lingua Gallica: *Hic incipit liber ſaluberrimus, inſcriptus de Imitatione D. N. J. C. & perfecto contemptu hujus præſentis miſeri mundi. Qui hactenus ab aliquibus S. Bernardo attributus fuit, aut Magiſtro Joanni Gerſoni, eſto res aliter ſe habeat. Nam*

Author illius in domino fuit quidam venerabilis & devotiſſimus Religioſus, Canonicus Regularis S. Auguſtini dictus frater Thomas de Kempis &c. translatus è Latino in Gallicum pro conſolatione rudium Latinam linguam non intelligentium, quæ translatio diligenter correcta eſt ſecundum Originale. Hucuſque Interpres & Præmiator Gallicus. Ad calcem adſcripta ſunt hæc verba: *Cy finit le livre de l'Imitation translatê de Latin en Francois & imprimè à Paris par Jehan Lambert le* 26. *Jour de Novembre* 1493.

TESTIS XI.

JODOCUS BADIUS 1500. pro *Kempiſio* † *1471*.

§. 143.

JODOCUS BADIUS natus anno 1462. ante mortem Kempiſii anno nono, ſcripſit vitam Kempiſii, in qua teſtatur, ſe ea, quæ ſcribit, accepiſſe ex fida traditione ac narratione eorum, qui cum Kempiſio fuerant converſati. De ejus eruditione teſtatur Trithemius anno 1494. his verbis in Opere de Scriptoribus Eccleſiaſticis: Jodocus Badius, inquit, Gandenſis: natione Teutonicus: vir „ in ſæcularibus litteris eruditiſſimus; & divinarum Scripturarum non „ ignarus; philoſophus, Rhetor & poëta clariſſimus: ingenio ex- „ cellens, & diſertus eloquio: qui olim Ferrariæ Baptiſtam Guari- „ num litteras Græcas docentem audivit: & in ea quoque ſcientia „ doctus evaſit. Lugdunum modo eruditione ſua exornat: poëtas „ legit publicè & privatim: plures magnatum filios inſtruens. Scri- „ pſit carmine & proſa multa præclara opuſcula: de quibus extant „ ſubjecta Opus metricum inſigne contra vitia quod prænotavit

„ Sylvam moralem li. 1.
„ Contra Vincentium quoque li. 1. Vincenti infælix quæ.
„ Pſalterium Mariæ Saphicis li. 1. Quam Chorus vatum.
„ De Grammatica quoque li. 1.

„ Epi-

„ Epigrammata plura Ii. 1.
„ Epiſtolæ variæ.
„ Et alia complura.
„ Vivit uſque hodie annos natus duos & triginta; multa & varia
„ componens: Sub Maximiliano inclyto rege. Anno Domini.
„ M.CCCC.XCIIII. Indictione XII.

§. 144. In præfatione ad vitam Kempiſii, quam integram adnecto, teſtatur, ſe ab ipſismet Benedictinis inſtantiſſime rogatum, ut ob raritatem exemplarium ex anterioribus editionibus pararet novam editionem omnium Operum Kempiſii, quod non feciſſent, ſi vel per ſomnium ulli Benedictinorum in Gallia, Germania, vel Italia incidiſſet ſcrupulus de Joanne Gerſen Benedictino.

§. 145. Præfatio Jodoci Badii ſic habet:

„ Jodocus Badius Aſcenſius omnibus piis vereque Chriſtianis animis, „ nec adhuc à ſancta lectione ad fabulas averſis, in Domino „ noſtro Chriſto JEſu Salutem. Convenerunt me ſæpiculè, primùm „ non futilibus argumentis, deindè religioſis precibus, ac demùm „ non parvipendendis, amatoriis tamen, conviciis, trium pietatis „ Chriſtianæ & religioſæ obſervationis ordinum proceres, *Benedictini divi Germani à pratis*, Carthuſiani è pomoëriis Pariſienſibus, „ & Cœleſtini Villænovæ apud Sueſſionem: quorum & ſimilium ego „ contemplativam illam vitam, ſanctámque in cœleſtibus converſationem, tribus theologicis virtutibus, fidei, ſpei, & charitati, „ conferre ſoleo, ut mendicantium activam Cardinalibus. Convenerunt, inquam, ſuo quique jure obnixè poſtulantes, ut pientiſſimi & optimæ memoriæ religioſi F. Thomæ Malleoli à Campis opera melliflua, & ad veram religionem vel maximè conducentia, „ prælo noſtro iterum divulganda committerem. Benedictini quidem commemorantes, quod Superiori anno quædam prædicti Patris opuſcula, præter cætera pia & parænetica in enchiridia & tomulos noſtra opella curaverint imprimenda, operúmque exemplum, „ quod ex Alemanica impreſſione unicum habebant, in eorundem

„ im-

„ impreſſionem abſumendum offerebant. Carthuſiani autem cauſan-
„ tes, quôd hæc opera integra à me ſæpè fruſtra, licet juſto pretio
„ emenda petiverint, excuſante videlicet ea non extare venalia.
„ adjicientes præterea, eadem opera ad ſe quodam jure pertinere:
„ Nam ut é jam præmiſſa conſtat epiſtola, ipſi hæc primi curarunt
„ in lucem emittenda, & ut è vita Gerardi Magni ſuo patebit loco.
„ Carthuſiani Patres, & converſionis illius Magiſtri, & eruditionis
„ & inſtitutionis ipſius Thomæ per Florentium collegam, illius fue-
„ runt cauſa. Porro Cœleſtini Villænovæ, ut dixi, cænobitæ, quôd
„ exemplar attulerunt anxiè terſum & caſtigatum, quatuórque li-
„ bellis de diſciplina clauſtrali in Germanica impreſſione deſideratis,
„ auctum, & juſta ſerie per omnia repoſitum. Quorum omnium
„ (quod ſingulorum facile potuiſſent) rationibus victus, opus ad
„ exemplar Sueſſionenſe imprimendum ſuſcepi, paucisque diebus ad
„ calcem uſque perduxi. Admonitus item ab illo, qui recognove-
„ rat, ut vitam authoris ex iis, quæ aut ipſe de ſe, aut alii de ipſo
„ ſcripſerint, vel ſodales alius alii quaſi per manus tradiderint, &
„ ad me uſque (nam perquiſivi ſedulò) pertulerint, prolixiori, &
„ ſi valeam cultiore ſtylo colligam, facilis obedivi, ſperans operæ
„ pretium & rem gratam me facturum, non illi ſolùm, quanquam
„ & illi, verum etiam mihi & ſtudioſis omnibus, præſertim pueritiæ
„ meæ inſtitutoribus domus divi Hieronymi apud Gandavum Fra-
„ tribus, qui ex Domini Florentii Sodalitio & Schola, ut ex equo
„ Trojano armati quam plurimi, prodierunt, & ob fraternam inter
„ ſe charitatem, mutuámque obſervantiam, peculiari adhuc no-
„ mine fratres nuncupantur. Valete: & ſi vacat, vitam
„ quam deſcribendam aggredimur, per-
legite.

TESTIS

TESTIS XII.

JOANNES TRITHEMIUS Abbas Spanheimenſis O. S. B. pro *Kempiſio.*

§. 146.

TRITHEMIUS magnum ſibi comparavit nomen librô ſuô de *Scriptoribus Eccleſiaſticis*, & aliô librô, *de Viris Illuſtribus Germaniæ*, priori cohortatione Capituli Generalis ſuæ Congregationis Sciipto, ad limam tertiùm revocato, ſeptennali exacto labore ultimam manum appoſuit anno 1494. Poſteriorem abſolvit anno ſequente 1495. Hic tantus Vir in retegendis ſpecialiter ſcriptoribus Germaniæ ſummam adhibens induſtriam, paucis poſt obitum Thomæ K. annis in libro de Scriptoribus Eccleſ. anno 1494. abſolutè ſcribit: *Thomas de Kempis Ordinis Canonicorum Regularium S. Auguſtini Montis D. Martyris & Virginis Agnetis prope Zwollis in Diœceſi Trajectenſi, vir in divinis ſcripturis eruditus & Studioſus, vita & converſatione devotus. Scripſit quædam devota volumina, de quibus feruntur ſubjecta: De contemptu mundi, & Imitatione Chriſti l. 4. Sermones ad Novitios &c. Claruit temporibus Ruperti Bavari Imperatoris anno* 1410. Sed anno ſequente 1495. in l. de Viris Illuſt. eadem verba repetens ac limitans addit: *Et notandum, quod duo hujus nominis feruntur fuiſſe, ambo de Kempis, ambo Regulares in Monte S. Agnetis, ambo ingenio præſtantes, & ambo varia cudentes opuſcula, quorum primus tempore Gerardi Mugni ad religionem converſus divinis revelationibus dignus habitus, ea quæ ſupra diximus opuſcula ſcripſiſſe dicitur.* Ita Trithemius.

§. 147. Rationem ſuæ conjecturæ, quod liber de Imitatione ſit potius tribuendus Kempiſio ſeniori, Trithemius addit, quia jam ante multos annos ſeniores ſui Monaſterii aſſerebant, eorum ſeniores jam legiſſe librum de Imitatione. Quòd conjectura Trithemii non ſit convincens pro Kempiſio ſeniore Germano Fratre Kempiſii junioris, partim oſtenſum eſt §. 118. partim id ipſemet agnoſcit,

dum addit; *quamvis ſciam, nonnullos in hac re ſentire contrarium.* Interim ex Teſtimonio Trithemii elicio; ipſi certum fuiſſe, non Gerſonem, nec Gerſenem, ſed alterutrum ex duobus Kempiſiis Fratribus fuiſſe Authorem. Si Trithemius habuiſſet librum ſecundum Chronici Windesheimenſis, ſcriptum à Buſchiô, & Chronicon Monaſterii S. Agnetis, ſcriptum à Kempiſiô Juniore, exactius etiam Epocham libri de Imitatione determinaſſet. Verùm ipſemet fatetur, ſibi hos Arnoldi Buſch, & Kempiſii junioris libros defuiſſe; Hinc ſolum indeterminate aſſerit; ambos Kempiſios ſub Ruperto Imperatore floruiſſe, qui regnavit ab anno 1402. usque ad annum 1412.

§. 148. Cæterùm obſervo, Kempiſium juniorem in Chronico Montis S. Agnetis præter ſeipſum annotaſſe ſolùm quatuor confratres Kempenſes, quorum nullus nominabatur Thomas, ſed 1) erat Joannes Kempen, qui mortuus eſt anno 1398. de quo ſit mentio. c. 6. & 7. 2) Godefridus Kempis, qui annô 1399. habitum ſacrum accepit. c. 7. 3) Hermannus Kempis, qui extinctus eſt annô 1398. c. 6. & 7. 4) Joannes de Kempis, Thomæ Frater, qui anno 1399. creatus eſt primus Prior (ſeu prout Itali in Congregatione Lateranenſi vocant, Abbas localis, mutabilis tamen à ſexennio in ſexennium de loco in locum,) Montis S. Agnetis. de reliquo ab origine Monaſterii, quod initium ſumpſit annô 1398. usque ad annum 1477. nullus ibi comparet, cui nomen Thomæ K. competeret. Hinc ſi Kempenſi cuipiam antiquiori, quam Thomæ K., adſcribi deberet liber de Imitatione ex mente Trithemii, adſcribi deberet Joanni de K, Germano Fratri Thomæ de Kempis. In hunc Joannem convenirent ferè omnia, quæ Authori librorum de Imitatione adſcribuntur, conveniret illi tempus Trithemii: *claruit* 1410. conveniret nominis celebritas jam anno 1424., de qua Buſchius: poſſet vocari *Joannes Abbas*, utpote qui fuit *Prior*, quod ibi idem eſt ac apud Italos & Gallos Abbas, apud nos Prælatus. Certè ipſemet Buſchius l. 2. c. 35. Chronici Wind. vocat eum Prælatum. *Interrogatus*, inquit, *an exinde in con-*

ſcien-

ſcientia gravaretur, quod tam multis annis fuit Prælatus &c. Potuiſſet etiam fieri quod hic Joannes in aliquo Exemplari ſe ſubſcripſerit Gerſen, quod in linquâ Belgicâ idem eſt ac Gerardi Filius. Et fuit reverà Gerardi M. Filius Spiritualis, utpote ejus directionibus ad religionem perductus. Hoc modô loquendi in Belgio v. g. vocantur aliqui Ianſen, id eſt Joannis Filius, unde Janſenius. Rurſus hoc modo ſalvaretur Idiotiſmus Germanicus libri de Imitatione, alluſio ad conſuetudines congregationis Windesheimenſis, & ſtyli paritas, partim quia aliqua Opuſcula Thomæ K. junioris tribuuntur à Trithemio Seniori, partim, quia non ita difficile foret, ſi duo Fratres in eodem Monaſterio viventes, ab iisdem inſtituti Magiſtris, ſimili uterentur ſtylo. Denique memini me legiſſe, in ipſo Authographo Antwerpienſi anni 1441. in aliquo folio Joannis nomen inſcriptum fuiſſe. Nec omnino nova foret ſententia, ſi huic Joanni liber tribueretur; eam ſe tenere apud familiares confeſſus eſt Carolus Stengelius Ord. S. Ben., aliàs in publicô acerrimus Gerſenis defenſor. Confeſſionem hanc Caroli Stengelii quidam familiarium excepit in conventu Illuſtriſſimo factam die 3. Martii anno 1658. Habeo penes me teſtes rei litteras. Verùm longè adhuc ab iſta ſententia abſumus; Thomam de Kempis extitiſſe Authorem libri ex teſtibus ſynchronis certum eſt, adeoque potiùs Trithemium quoad circumſtantiam perſonæ erraſſe dicendum eſt.

TESTIS XIII.

JOANNES MAUBURNUS pro *Kempiſio.*

§. 149.

MAUBURNUS Canonicus Regularis, Abbas Livriacenſis, fuit profeſſus in ipſo Monaſterio Thomæ K., videlicet in Monte S. Agnetis, ubi vocabatur *Joannes Temporalis*, dein factus Abbas Livriacenſis, ut teſtatur *Valerius Andreas* in Bibl. Belg. fuit Thomæ K. coætaneus. Scripſit *Roſetum* Spiritualium exercitiorum, in quo ſæ-

piùs Thomæ K. meminit ùt authoris libelli de Imitatione. In Dietario Exercitiorum §. 3. ex l. 4. de Imit. c. 10. hæc verba adducit: *Monet devotus Thomas noſter Kempis: Non ſis in celebrando nimis prolixus, aut feſtinus, ſed ſerva communem bonum modum eorum, cum quibus vivis &c.* In Scala communionis tit. 6. alph. 20. de Conſid. memb. 1. ait: *Hinc enim juxta noſtrum Thomam Kempis tam præparationis incurii ſumus, quia non ſatis quid acturi, vel quem ſumus ſuſcepturi, æſtimamus.* In ejusdem Scalæ gradibus acceſſoriis tit. 6. alph. 22. §. 4. ait: *Quam doctrinam Thomas noſter Kempis inſecutus erat, cum communicaturus dicebat: O Deus meus, amor æternus, cupio te ſuſcipere cum vehementiſſimo deſiderio, & digniſſima reverentia quibus unquam exceptus ab aliquo Sanctorum, & licet indignus ſum, omnia illa ſentimenta devotionis habere &c.* Hæc Mauburnus ex l. 4. c. 17. Alteri libro nomen ipſe Mauburnus *Venatorium* fecit, cujus authographum Pariſiis in Monaſterio S. Victoris aſſervatur, & aliud exemplum Tungris apud Canonicos Regulares. In hoc Venatorio inter viros illuſtres Congregationis Windesheimenſis ponit, etiam Thomam K. his verbis: *Qui Frater Thomas à Kempis inter cætera opuſcula, quæ fecit, compoſuit libellum. Qui ſequitur me, quem falſo quidam Domino Gerſon attribuunt.* Ita *Joan. Fronto* part. 1. Thom. vind. §. 2. n. 3. (a)

TESTIS XIV.

SOCIUS MAUBURNI pro *Kempiſio.*

§. 150.

Qui cum *Joanne Mauburno* venerunt in Galliam, ut collapſam diſciplinam in domo S. Severini reſtituerent, evocati ſunt è Monaſterio S. Agnetis, ubi Thomas K. vixit. Eorum unus ſcripſit Epiſtolam Fr. Juliano Oret Religioſo moranti in Prioratu. S. Salvatoris

(a) Uberiorem de Mauburno notitiam haurire potes ex *Gallia Chriſtiana* Tom. VII. de Monaſterio Livriacenſi.

ris Mellenduni, cujus exemplum Manuſcriptum in hujusmodi Epiſtolarum Codice aſſervatur Pariſiis ad S. Genovefam. In hac Epiſtola inter alia ſic habet: *Sine ſollicitudine & diligentia nemo acquiret virtutes. Major labor eſt reſiſtere paſſionibus, quam corporalibus inſudare laboribus; dicit Thomas* (l. 1. c. 25.) *vigila igitur ſuper te ipſum, admone te ipſum, excita te ipſum, tantum proficies, quantum tibi vim intuleris* (l. cc.) *converte te ipſum ad Deum, & deſere hunc miſerum mundum, & inveniet anima tua requiem* (l. 2. c. 1.) *certa viriliter, conſuetudo conſuetudine vincitur* (l. 1. c. 21.) *nemo ſine tribulatione, ubicunque fuerit* (l. 1. c. 22.) *& item. Si vis proficere, conſerva te in timore Dei, noli eſſe nimis liber, ſed probibe ſenſus tuos ſub diſciplina, nec ineptæ te tradas lætitiæ.* (l. 1. c. 21.) *Ora pro me. Vale &c.*

TESTIS XV.

GEORGIUS BIRKAMERUS 1494. pro *Kempiſio* † 1471.

§. 151.

GEORGIUS BIRKAMERUS Carthuſianorum Norimbergæ Prior, & per Germaniam Viſitator procuravit editionem Norimbergenſem omnium Operum Thomæ K. & librorum de Imitatione.

TESTIS XVI.

PETRUS DANHAUSERUS 1494. pro *Kempiſio* † 1471.

§. 152.

PETRUS DANHAUSERUS edidit anno 1494. Norimbergæ Opera, & librum de Imitatione Thomæ K. Fuit vir doctiſſimus. In Epiſtola nuncupatoria fatetur, *ſe jam omnem curam, cogitationem, mentémque totam in his libris collocaſſe.*

TESTIS XVII.

JOANNES GAILER KAISERSPERGIUS
pro *Kempiſio* † 1471.

§. 153.

JOANNES GAILER KAISERSPERGIUS ſummi nominis Eccleſiaſtes Argentorati natus 1445., triginta tribus annis Eccleſiaſten egit incredibili cum applauſu. Anno 1498. & 1499. *Naviculam fatuorum* pro concione expoſuit, ubi turba 89. ait: Hæc deduc ad placitum ex Kempis, de naturæ & gratiæ differentia, in libro de Imitatione Chriſti. Eſt l 3. c. 54. & 55. alias 59. Et turba 100. ait: *Quantò natura ampliùs premitur & vincitur, tantò major gratia infunditur, & quotidie novis viſitationibus interior homo ſecundum imaginem Dei reformatur. Hæc Thomas de Kempis.* Nimirum l. 3. c. 54.

TESTIS XVIII.

JACOBUS PHILIPPUS FORESTUS Bergomenſis
Ord. Erem. S. Aug.

§. 154.

JACOBUS PHILIPPUS FORFSTUS Bergomenſis, nobilis Chronicorum Scriptor, qui Codici ſuo hunc titulum indidit: *Supplementum Supplementi Chronicorum*, in quo hiſtoriam ab origine mundi deducit uſque ad annum 1503. quo agebat annum ætatis 69. ut ipſe teſtatur, ad annum 1406. ſic ſcribit: *Thomas natione Teutonicus Ord. Can. Reg. S. Aug. vir in divinis Scripturis admodùm ſtudioſus atque eruditus, vita & converſatione valdè inſignis, hac tempeſtate clarus exiſtens, ſcripſit ad inſtructionem multorum ſubjecta opuſcula. Et primo, de contemptu mundi l. 4. incipit: Qui ſequitur me.*

TESTES XIX.

De *Fama Synchrona* à 1425 - ad 1500.

§. 155.

Famam Synchronam, eamque permanentem ac patriam ab ipſo partu operis per centum annos continuatam repræſentant partim Manuſcripti, partim impreſſi Codices Germaniæ, qui Thomam K. pro authore librorum de Imitatione aſſignant. In tota ſerie caſuum conſimilium ab orbe condito non poteſt afferri ullum exemplum, quod Fama Synchrona permanens ac patria, ſuffulta plusquam triginta famæ authoribus, fide dignis, pariter ſynchronis, indigenis & exteris, fallat. Stant quidem etiam pro Gerſone teſtes de fama coæva non pauci, ſed non ſynchrona, non ſuffulta, apertis authoribus famæ indigenis, nec, quod veracem à fallace diſtinquit, diu in ævum alterum permanente. DIXI, *non ſynchrona*. Nullus enim Codex, nullus famæ author, nullus teſtis proferri hactenus potuit, qui Gerſone adhuc vivente, ut reclamare poſſet, Gerſonem tanquam authorem publicè proclamaret. Sola ipſum extulit fama poſthuma, quæ & ipſa tandem in ejus tumulum reſedit, vel inſtar fumi ſenſim evanuit, ita ut nec ipſi Editores omnium Operum Gerſonis elapſis quinquaginta annis poſt ejus mortem auſi ſint, librum de Imitatione ejus Operibus inſerere, prout patebit ex §. 186

CODEX MS. I.

KIRCHEIMENSIS 1425.

§. 156.

Codex Manuſcriptus Kirchemianus, qui nunc extat Antwerpiæ ſcriptus eſt anno 1425. Eſt autem Kirchemium oppidum in Wittenbergia juxta Teccum flumen. Ad id locorum David Ehingerus vitam

vitam degebat, qui chirographo ſuo conteſtatum offert nobis Codicem trium librorum, Primi, Secundi, & Tertii *de Imitatione Chriſti*, & tria de eo, fide publica interpoſita, ſanctè aſſeverat. Primum, *Nomen præſeferre Authoris, Thomæ de Kempis Canonici Regularis in Trajecto.* Alterum, *ex ipſomet authographo Thomæo transſcriptum eſſe exemplum iſtud.* Poſtremum, *annos numeraſſe librarium ab ortu Chriſti Servatoris mille quadringentos quinque & vicenos.* Hunc demum Antwerpiam delatum eſſe Codicem, *Proſper Farraudus* memoriæ prodidit. Teſtim. §. 2. n. 1. Ita *Heſerus* in Hecatompylo. Quis porro fuerit Ehingerus, quam in omni ſcientiarum genere, linguis, & Manuſcriptis dijudicandis peritus, videri poteſt in vita Davidis Ehingeri, Bibliothecarii quondam Bibliothecæ Auguſtanæ à viro doctiſſimo Jacobo Brucker conſcripta, & typis edita. Superſunt etiamnum in manibus Clar. viri Biographi plurima Ehingeri annecdota.

CODEX II. MS.

AUGUSTANUS ad S. Crucem.

§. 157.

Auguſtæ Vindelicorum in Monaſterio S. Crucis Canonicorum Regularium S. Auguſtini aſſervantur duo Codices MSS. unus in 4to abſolutus, ut in fine additur, anno 1440. 16. Decembris, qui exhibet librum de Imitatione Chriſti ſine Authoris nomine. Alter in folio, complexus quatuor libros de Imitatione Chriſti, ab eodem, quo Codex formæ in 4to librario ſcriptus. Ad calcem hujus alterius Codicis eadem manu additur: *Compilator hujus Opuſculi fuit quidam Fr. Thomas nomine de Conventu & Ordine Canonicorum Regularium Ordinis S. Auguſtini Montis S. Agnetis Trajectenſis.* Ita ſe habere, teſtatur RR. DD. *Gaſpar* D. & A. S. G. Epiſcopus Adramytenus ſolenni Inſtrumento, quod videri poteſt in Vindiciis *Werlini.* Teſtatur idem etiam *Roſweydus* in edit. Antwerp. 1630. (huic enim Auguſta Antwerpiam

werpiam hi Codices transmiſſi fuerunt) Ipſemet hos Codices inſpexi non ſemel, quando me Auguſtæ detinui, ſicque ſe habere comperi. Ex his evincitur, librarium horum duorum Codicum non potuiſſe ſe fundare in Codice Antwerpienſi, dum alteri exemplari, haud dubiè non multo tempore ante aut poſt prius exemplar à ſe ſcripto nomen Thomæ appoſuit., quia utique librarius hic ignorare non potuit, ſe jam ante annum 1441., quo Codex Antwerpienſis ſcriptus eſt, videlicet anno 1440. aliquod exemplar deſcripſiſſe. Nec morari nos debet, quod vocetur Thomas K. *Compilator;* Revera enim Thomas Kempenſis ſolùm compilavit Sententias primorum Patrum Windesheimenſium, prout (§. 67.) oſtendi.

CODEX III.

ROTTENBUECHENSIS.

§. 158.

Vidi in Bibliotheca Collegii Canonicorum Regularium in Rottenbuech ſuperioris Bavariæ Codicem MS. in folio, in quo ad calcem librorum quatuor de Imitatione continebantur hæc verba: *Viri egregii Thomæ Montis S. Agnetis in Trajecto Regularis Canonici libri de Imitatione Chriſti numero quatuor.* Quod judicem hunc Codicem circa annum 1440 ſcriptum eſſe, in cauſa eſt, quòd alius Tractatus prævius in eodem Codice contentus ſubſcriptum habeat annum 1439. Retulit nonnemo P. R. P. Bernardo Pezio, latere in Rottenbuech Codicem Sæculo decimo quarto exaratum: ſed optimus ille virorum, qui hoc Clar P. Pezio retulit, mihi faſſus eſt, ſe nullum alium intellexiſſe Codicem, quàm hìc à me deſcriptum, ſeque per ſæculum decimum quartum intellexiſſe id, quod ab anno 1400. uſque ad annum 1500. decurrit, quod nos vocamus ſæculum decimum quintum. Certè in Collegio Rottenbuechenſi nullum unquam alium extitiſſe de Imitatione Codicem MS. litteræ, quas hic ſubjungo, planè evincunt.

Epiſtola RR. Præpoſiti in Rottenbuech, qua mittit RR. Præpoſito Dieſſenſi ſuum Codicem de Imitatione.

Salutem & preces in Chriſto cum paratiſſimis obſequiis. Reverendiſſime & Ampliſſime Domine Præſul!

Perlectis Reverendiſſimæ Suæ Paternitatis litteris fervens indagandæ veritatis deſiderium abundè intellexi, quô in laudem Sanctiſſimi Ordinis noſtri Canonici teſtimonium ex quodam Bibliothecæ noſtræ Codice deſiderat pro aſtruendo quatuor librorum de Imitatione Chriſti legitimo authore Thoma à Kempis, quem adverſarii quantumcunque ſupprimere conentur, veritate indice, nunquam opprimant. De alio certè Codice mihi non conſtat, niſi de hoc, quem hiſce transmitto, nomine authoris Thomæ à Kempis ad calcem libri quarti ſubſcripto, pagina iterum certo indice notatâ. Spero eundem librum ita integrum & illæſum certo nuntiô brevi remittendum. Quod obſequium amicæ petitioni Reverendiſſimæ Suæ Paternitatis lubens præſtare, ac una ſimul promptum in aliis obſequendi animum offerre, me denique Sanctiſſimis Reverendiſſimæ Paternitatis Suæ precibus commendare enixè volui. Rottenbuechii 27. Februarii Anno 1657.

Reverendiſſimæ Paternitatis Suæ

Obſequentiſſimus

Fr. Michaël Præpoſitus.

Inſcriptio erat. Reverendiſſimo & Ampliſſimo Domino, Domino Antonio, celeberrimi Monaſterii Dieſſenſis Præpoſito Vigilantiſſimo, Domino plurimùm honorando.

Dieſſen.

Epi-

Epiſtola P. R. P. Georgii Heſeri ad Reverendiſſimum Præpoſitum Dieſſenſem de Codice Rottenbuechenſi.

Reverendiſſime & Ampliſſime Domine, Domine Præſul!

Summas atque immortales gratias habeo & Reverendiſſimo Domino Præpoſito Rottenbuechenſi, quòd ex Bibliotheca ſua tam pretioſum Codicem ſubmiſerit, & Reverendiſſimæ Paternitati Veſtræ quod illum mihi impetraverit. Prorſus uti animus mihi præſagiit, ita reperi, tantum abeſſe, ut cauſæ Kempenſi quidquam deroget, ut etiam inter primos MSS. Codices eam fortiſſimè propugnet: nam nomen præſefert auctoris legitimi, & numerus annorum 4^{o2}. ita legendus eſt, ut non ſit quadringenteſimus ſecundus, ſed quadrageſimus ſecundus. Nam ſi priorem annum ſignificare librarius voluiſſet, more ſibi in præcedentibus libellis conſueto ſic ſcripſiſſet (402) in eadem linea: quia vero numerum 4. poſuit in linea recta, & o2. supernè appoſuit, illud, o, eſt nota terminationis in nomine quadrageſimo; adjunxit deinde numerum minorem 2., ſine nota altera terminatis, *ſecundo:* qui enim ſcit, legendum eſſe, *quadrageſimo*, non dubitabit, deindè legendum eſſe, *ſecundo*. Deſcriptus igitur eſt hic Codex anno 1442. Quæ pro vindicando Thoma K. faciunt, exſcripſi. Codicem cum ſumma gratiarum actione remitto, meque SS. Sacrificiis Reverendiſſimæ Paternitati Veſtræ enixè commendo. Monachii, 2. Martii 1657.

Reverendiſſimæ & Ampliſſimæ Paternitatis Veſtræ

Servus in Chriſto addictiſſimus.
Georgius Heſerus S. J.

P. S.

Epiſtola Reverendiſſimi D. Præpoſiti Rottenbuechenſis plena humanitatis & officii reperietur in Codice, ubi incipit Lib. 1. de Imitat.

Inſcriptio eſt ſequens: Reverendiſſimo & Ampliſſimo Patri in Chriſto ac Domino Domino Antonio Canonicorum Regularium S. Auguſtini Præpoſito in Dieſſen &c. Domino ſuo gratioſo.


Dieſſen.

Copia Epiſtolæ Reverendiſſimi Præpoſiti Dieſſenſis ad amicum ſuum de Codice Rottenbuechenſi.


Admodum Reverende in Chriſto Pater!
Pax & Gratia Chriſti JEſu.

Dn. Decanus ad S. Crucem eſt malè contentus cum Rottenbuechenſibus, ratus, quòd non ſincerè nobiſcum agant, nec codicem mihi miſſum eſſe, quem inſpicere deſiderat, etſi Reverendiſſimus Dn. Præpoſitus ſcribat, ſe alium non habere. Scripſi ipſi Dn. Decano, Codicem hunc nullum penitus numerum habere annorum, quo ætas illius colligi poſſit. Is vero reſpondit, ſibi à viro docto olim perſcripta fuiſſe ſequentia verba, ex ſæpedicto Codice exſcripta: hæc ita ſe habere dicuntur: *Viri egregii Montis S. Agnetis in Trajecto Regularis Canonici liber de Imitatione Chriſti anno* 1402. Sic hic doctus vir, qui Codicem ſe inſpexiſſe ſcribit. R. P. Georgius Heſerus (wer ihne kennt) inſpexit hunc ipſum Codicem, & collegit ex illo alium annorum numerum, & ſic legit: *Viri egregii Thomæ Montis S. Agnetis in Trajecto Reg. Can. lib. de Imitatione Chriſti anno* 1442. Ego dico (ecce, quàm audax ſim) & docti viri, qui ſcripſit D. Decano Sancruciano, & doctiſſimi P. Heſeri lectionem nihil penitùs valere, quod ad oculum demonſtrabo. Ego ſic lego: *Viri egregii Thomæ Montis Sanctæ Agnetis in Trajecto Regularis Canonici libri*


bri de Imitatione Chriſti, numero quatuor. Ex ipſo Codice imitabor ipſiſſima verba & characterem ad finem librorum de Imitatione Chriſti adſcriptum, ut ſequitur fideliter.



Ultima vox ȝo² ſic etiam habetur in ipſo Codice Manuſcripto Rottenbuechenſi libro tertio de Imitatione Chriſti Cap. XXIIII. Secundum Codicem Manuſcriptum Rottenbuechenſem; ſed ſecundum editionem Philippi Chifletii de Anno XLVII. Cap. XXIII.



Hæc ipſa vox ȝo² ſic habetur etiam in margine ad finem Bibliorum, quæ inſpicienda & luſtranda transmitto, ad minimum ſexies; nimirum, Feriâ ẽ ȝo² tpꝛ̃f. Sabbo ȝo² tpꝛ̃f. in pagina prima poſt initium ſic habentur hæ voces:



Quandoquidem ergo vox ẽ ȝo² ȝo² in meo Codice, quem ad inſpiciendum transmitto, plus non valet, quàm, *Quatuor*, ſequitur, quod eadem & ſimillima vox in Codice Rottenbuechenſi in fine librorum de Imitatione Chriſti poſita aliter & plus non ſonet, quàm, *Quatuor*, adeoque ſeipſos deceperunt, qui legerunt ex duobus vocabulis / umo ȝo² / 1402. vel 1442. (Ego puto me certum eſſe, quod hæ duæ voces aliter interpretari non poſſint, quàm, *numero, quatuor.* Undè manifeſtum eſt, nullum annorum numerum, aut

aut ætatem contineri in hoc Rottenbuechenſi nemo, qui illum luſtravit, deprehenderit. Interim dico, hunc ipſum Codicem ad minimum ætatem 200. annorum ferre, id quod ex aliis tractatibus cum libris de Imitatione Chriſti in Codice Rottenbuechenſi compactis patet. Monſtrabo Deo volente, proxima ſeptimana ipſum Codicem Rottenbuechenſem D. Decano ad S. Crucem; & puto, mecum ſentiet, ſuum doctum virum erraſſe graviter, dum ex duobus vocabulis, *numero quatuor*, colligit annos 1402. & admodum R. P. Heſerus ex iisdem vocabulis ann. 1442.

Epiſtola hæc tantum eſt ſcripta in charta fuſcida, qualem ſolent adhibere, qui Epiſtolas ſuas prius ſolent concipere, quàm deſcribere; ideo nullam adhuc habet ſubſcriptionem. Inſcriptio vero eodem charactere, quo Epiſtola exarata eſt, eſt hæc: *Litteræ ad P. Heſerum.* Quod vero Epiſtola hæc ſit RR. DD. Antonii Præpoſiti Dieſſenſis, indubitatum ſit ex charactere, qui prorſus idem eſt cum aliis hujus Reverendiſſimi Epiſtolis & Scriptis, ut patet inſpicienti, ſcripta vero videtur Epiſtola hæc 11. Martii 1657. quia ſcribit ſe poſt ſeptimanam Auguſtam profecturum, quod contigit 18. Martii, ut ex ſequenti Epiſtola innoteſcit.

Epiſtola P. R. P Georgii Heſeri ad Reverendiſſimum Præpoſitum Dieſſenſem de Codice Rottenbuechenſi.

Reverendiſſime & Ampliſſime DD. Præpoſite!

Herbam porrigo, & victiſſimas manus protendo. Prorſus ita eſt, nec aliter ſe res habet: legendum, *quatuor*, & non, *quadrageſimo ſecundo.* In errorem (fatebor enim) ſic inductus ſum: Ita mecum ratiocinabar: Iſte Codex vel eſt ἄχρονος, & cauſæ noſtræ nec hilum obeſt, quia nomen legitimi auctoris citra ullam dubitationem præſefert: vel eſt ſignatus notâ temporis, quo in lucem prodiit. Præferebam hoc poſterius, quia viſum eſt hoc ipſum aliis. Tum quærendum fuit, quo igitur anno exaratus eſſet: non potuit eo,

quo

quo necdum à Thoma compoſitus fuit, non igitur 1402. uti vir ille doctus autumabat, & legebat. Ergo anno 42. quo tempore jam triginta meſſes numerabat liber de Imitatione Chriſti. Verum ut me Reverendiſſimus D. Præpoſitus aberrantem docet, non tantum ſeu non, ſed neque gladio, neque haſta rem tetigi. Illam vocem, *numero* ſæpe legebam, & vidi, contra oculorum fidem trahi ad voculam *Anno*: in viam revocari debueram, ſi mens non læva fuiſſet. Quod ſi libri tertii caput 24. ita inſcribitur; de $S.^{o2}$ magnam importantibus pacem, res eſt meridiano clarior lumine. Deo laus ſit, qui nobis denuò ſubminiſtravit Codicem Manuſcriptum antiquum, fidum, ſincerum. Ego nunc alterius rei auctor ſim Reverendiſſimis DD. Præpp. Dieſſenſi & Rottenbuechenſi, ut cùm ſint in eadem Diœceſi, & Reverendiſſimus Dominus Proëpiſcopus Auguſtanus hujuſce cauſæ veritati non tantum fautor maximus, ſed & judex fuerit æquiſſimus iſtum Codicem illi ad conſpiciendum, & ad legenda verba, cùm quæ habentur in fine, tùm quæ leguntur in Epigraphe Capitis 24^{ti} exhibitum, curent legitimo, publico, & jurati Notarii teſtimonio confirmari, duo hæc in illo comperta fuiſſe; primum, Auctoris nomen, profeſſionem, locum ſcriptionis, & certum librorum de Imitatione Chriſti numerum: alterum, non habere ullum numerum annorum, quo deſcriptus ſit; ut per hoc adverſariis eximatur error, putantibus deſcriptum eſſe eo anno, quo necdum à Thoma ſcriptus fuit: per illud author illius demonſtretur non Joannes Geſen, aut Gerſen, aut Geſſen, ſed Thomas à Kempis; non Benedictinus, ſed Canonicus Regularis. Libros in Aſcæpera concluſos bajulus non attulit, oblitus domi ſuæ: dicit afferendos hodie; quos inſpectos illico remittam. SS. precibus & ſacrificiis me unicè commendo. Monachii 15. Martii 1657.

Reverendiſſimæ & Ampliſſimæ Paternitatis Veſtræ

Servus in Chriſto addictiſſimus
Georgius Heſerus S. J.

In-

Inſcriptio Epiſtolæ eſt ſequens:

Reverendiſſimo & Ampliſſimo Patri in Chriſto, ac Domino, Domino, Antonio, Canonicorum Regularium Ordinis S. Auguſtini in Dieſſen Præpoſito vigilantiſſimo &c. Domino ſuo gratioſo.

Dieſſen.

Epiſtola Reverendiſſimi Domini Antonii Præpoſiti Dieſſenſis, ad P. R. P. Heſerum. De Codice Rottenbuechenſi.

Admodum Reverende in Chriſto Pater!

Pax & Gratia Chriſti JEſu.

Ante octiduum fui Auguſtæ Vindelicorum apud D. Decanum Sancrucianum & oſtendi ipſi Codicem Rottenbuechenſem, probavique, nullum in illo adſcriptum eſſe numerum annorum, quo deſcripti ſint libri de Imitatione Chriſti. Sentit ipſe mecum, & alii omnes, qui librum inſpexerunt. Hos inter eſt Reverendiſſimus D. Suffraganeus Auguſtanus, Reverendiſſimus D. Præpoſitus Sancrucianus admodum R. P. Rector Auguſtanus & alii. Reverendiſſimus Dom. Suffraganeus primo intuitu legit 1402. ſed à me aliter informatus ſtatim ceſſit, & pronunciavit legendum eſſe, *Numero quatuor.* ūmo 4^{o2} Sic etiam legit R. P. Procurator ad S. Crucem, ſed ſimiliter emendavit ſuam opinionem. A. R. P. Rector Auguſtanus legit ſine omni hæſitatione, *numero quatuor.* Sic etiam legit quidam ex Fratribus Sancrucianis Dominicus, Adeoque ſequitur, nullam ætatem Rottenbuechenſis Codicis colligi poſſe ex eodem Codice, id quod teſtatur Codex Bibliorum, quem R. P. Veſtræ hac occaſione mitto, in quo variis locis in margine videre eſt; *Feria* 4^{o2} *temporum.* Sabb. 4^{o2} *temporum. Feria* ℮ 4^{o2} *temporum. Feria* 6ta 4^{o2} *temp.* A. R. P. Vra dignetur mihi remittere per harum latorem Codicem meum Bibliorum, & me in ſuis precibus & SS.

ſæ

Miſſæ Sacrificiis commendatum habere. Dieſſæ 25. Martii 1657.

A. R. P. V.

in Chriſto addictiſſimus & ad obſequia paratiſſimus
Antonius Præpoſitus mppr.

P. S.

Monaſterium Rottenbuechenſe eſt in Diœceſi Friſingenſi, non Auguſtana contra mentem A. R. P. V. Nihilominus Reverendiſſimus D. Suffraganeus Auguſtanus paratus fuiſſet, & adhuc paratus eſt dare Inſtrumentum ſeu Teſtimonium, quod Codex Rottenbuechenſis nullum habeat annum ſeu numerum ætatis, adeoque cauſæ noſtræ Kemp. plùs prodeſſe, quàm obeſſe poſſet.

Inſcriptio hujus Epiſtolæ eſt ſequens:

Admodum Reverendo in Chriſto Patri ac Domino P. Georgio Heſero Soc. JEſu Presbytero, controverſiarum fidei Profeſſori &c. Patri in Chriſto ac Domino obſervandiſſimo.

Monachii.

Originalia omnium harum Epiſtolarum aſſervantur in Archivio Dieſſenſi, ex quo eadem mihi communicata deſcripſi.

§. 159. Obſervari etiam meretur, quod Præpoſitus Rottenbuechenſis interfuerit Concilio Conſtantienſi; & quod Caſtrum Rathenberg, in quo Gerſon circa finem Concilii ſpontaneus exul ſe per annum detinuit, vix una Diæta diſtet à monaſterio Rottenbuech.

CODEX IV.

POLLINGANUS.

§. 160.

In Bibliotheca noſtri Pollingani Collegii aſſervamus Codicem Manuſcriptum in folio, continentem quatuor libros de Imitatione cum

hac ſubſcriptione. *Explicit libellus de Imitatione Chriſti editus, ut dicitur, à quodam Canonico Regulari in Monaſterio Pödiken Pardeborgenſis Diæceſis Provinciæ Colonienſis.* Ex quo Codice diſcimus, in quo Monaſterio (mutant enim Windesheimenſes perſæpe loca) Thomas K. ſuum libellum ſcripſiſſe creditus fuerit, nempè in Pödiken Monaſterio. Quòd verò judicem hunc Codicem circa annum 1442. ſcriptum eſſe, propterea fit, quia alius Tractatus in eodem Codice prævius ſubſcriptum habet annum 1442. Rem ſæpiùs à me inſpectam ita ſe habere teſtor, ut ſpero, fide, quam inprimis colo, digniſſimus. Sin verò opus erit Inſtrumentô publico, etiam hoc non deeſt, quod vide ſuperius (§. 131.) Inferre præterea ex hoc Codice licet, librarium hujus Codicis non fuiſſe fundatum in Codice Antwerpienſi, ſed in Relatione particulari, munita circumſtantiis.

CODEX V.

COLONIENSIS.

§. 161.

In Bibliotheca Monaſterii S. Barbaræ Carthuſienſium Coloniæ extat Manuſcriptum continens diverſos Tractatus, quorum index eſt ab initio; Tractatus illi ſunt 1. *Speculum Henrici de Haſſia.* 2. *Liber de Diſcretione Spirituum. Ejusdem* ... *aliqua opuſcula cujusdam devoti Regularis.* (quidam in margine appoſuit: *Cujus nomen eſt Thomas Kempis Conventus prope Swollis*) *de Sacramento Altaris; de ſeptem rebus, quæ placent Deo in ſuis electis, Breviloquium Exercitiorum ſpiritualium, Tractatus de Virtutibus, Soliloquium animæ in forma Dialogi Libellus, qui appellatur, Qui ſequitur me.* Ita habet index. Ad finem libri de Sacramento Altaris adjecta ſunt hæc verba: *Hic Tractatus ſcriptus eſt anno 1447. in die Simonis & Judæ.* Hoc Manuſcriptum eſt productum à Canonicis Regularibus coram Eruditis Pariſienſibus anno 1681. & obſervatum, duos primos Tractatus Henrici de Caſſia, & ulti-

ultimum, qui eſt primus liber de Imitatione quoad Scripturam differre à Scriptura reliquorum tractatuum hujus Codicis; & notam marginalem eſſe manus recentioris, quàm ipſos Tractatus. *Dupin.* Bibl. Eccleſ. Tom. 12. Diſſ §: 3.

CODEX VI.

AUGUSTANUS GERMANICUS.

§. 162.

Auguſtæ in Monaſterio S. Catharinæ Virginum Deo dicatarum Ordinis S. Dominici habetur Codex Germanicus MS. in 4. qui exhibet Vitas Gerardi Magni, Florentii, & cæterorum latinè conſcriptas à Thoma Kempenſi, quarum Interpretis, ubi præfatur, verba ſic è Sermone translata Germanico leguntur. *Incipiunt Vitæ Beatorum Religioſorum, Fratrum ac Patrum ex Ordine S. Auguſtini Canonicorum Regularium, qui noſtris temporibus in Belgio vixerunt, in Diœceſi Trajectenſi: inter quos etiam fuit devotus & Beatus Pater Thomas de Kempis, qui hunc libellum atque alios complures nobiles tractatus compoſuit. Ille etiam eſt, qui compoſuit devotum libellum de Imitatione Chriſti, cujus frequenter facta eſt mentio, quia liber eſt cuilibet utilis & valde conſolatorius.* Hactenus Interpres. Ut inveniamus ætatem hujus Codicis, obſervare debemus, quando vixerint illi Beati Viri, quorum Vitas è Latino in Germanicum ſermonem vertens dicit: *Qui noſtris temporibus vixerunt.* Hôc enim inventô facilè poterit colligi, Interpretem non diu vixiſſe poſt eorum mortem. Moritur itaque Gerardus Magnus 1384. 10. Aug. Joannes Gronde 1392. 6. May. Joannes Cacabus 1398 31. May. Lubertus Bernerus 1398. 25. Julii. Gerardus Zutphanienſis 1398. 4. Decemb. Jacobus Vienenſis 1400. 12. Martii. Florentinus 1400. 24. Martii. Amilius Burenſis 1404. 10. Junii. Joannes Brinckering 1419. 26. Mart. Arnoldus Schœnhovienſis 1430. 9. May. En! hi ſunt, quos Interpres Codicis Auguſtani dicit, ſuis temporibus vixiſſe. Vix itaque fieri poterit, ut Interpres ille ſcripſerit diu poſt annum

1450. Obſervo præterea, *Beſoldum* virum in Univerſitate Ingolſtadienſi quondam celebrem in ſuo Spicil. Polit. Jurid. 3. de pacis jure c. 1. teſtari, ſe in Monaſterio Zwifaltenſi vidiſſe libros de Imitatione Chriſti in linguam Germanicam translatos, & ſcriptos anno 1448. Si hæc verſio eundem habuit Interpretem, quem habuit Codex Auguſtanus, non malè judicavi de ætate Interpretis. Cæterum teſtimonium ſolenne de Exemplari hujus verſionis vide ſupra (§. 135.)

CODEX VII.

BRUXELLENSIS CARTHUSIENSIUM.

§. 163.

Chiffletius c. 7. ſuæ Apologiæ teſtatur, ſe in manibus habuiſſe Manuſcriptum Carthuſienſium Bruxellenſium, quod ſic finit: *Explicit devotus tractatus cujusdam Regularis de interna locutione Chriſti ad animam fidelem, ſcriptus in anno* 1463., *& pertinet ad Carthuſienſes domûs Sylvæ S. Martini prope Geraldi montem.* V. *Dupin.* Bibl. Eccleſ. tom. 12. diſſ §. 3. Quod vero librarius per Regularem ſimpliciter dictum intelligat Canonicum Regularem, patet ex uſu illorum; ſic ipſe Thomas K. in ſuis opuſculis, dúm loquitur de Canonicis Regularibus, ad minimum vigeſies utitur terminô nudô *Regularis.* Sic in Vita Gerardi M. c. 15. dicit, ex quibusdam Congregationibus Clericorum Gerardi M. nonnulla *Monaſteria Regularium* initium ſanctæ converſationis accepiſſe. Et eodem c. 15. ſic ait: *Habuit in propoſito ædificandi Monaſterium Clericorum Ordinis Canonicorum Regularium. - Ad hunc Ordinem Regularium inductus fuit propter reverentiam Joannis Ruſebrœc, Prioris Viridis Vallis in Ordine Regularium.* In Vita Joannis Brinckering ait: *Monaſterium ſanctimonialium conſtruxit, in quo fecit illas habitu Regularium inveſtiri. - Sepultus eſt in Monaſterio Sanctimonialium Ordinis Regularium in Dyepenvene.* En! vocat *Ordinem*

Regu-

Regularium. Itaque Tò Regularis eſt terminus Ordinum ſpecificus, ſine dubio denotans Ordinem Canonicorum Regularium in ore ſæculi XV. in Belgio.

CODEX VIII.

BIBLIOTHECÆ CÆSAREÆ.

§. 164.

De hoc Codice A. R. D. RAYMUNDUS DUELLIUS in litteris ſuis ad R. D. Philippum Saller, Confratrem meum, 1725. datis ſic ſcribit: Vidi ego Codicem Manuſcriptum in Bibliotheca Hohendorfiana, qua ſuam nuper Cæſar auxit, ſæculo XV. exaratum, in cujus fronte Thomas habitu Canonici Regularis ejuſdem ævi manu depictus ſiſtitur; ſequuntur verba: *Incipit Liber* 1· *F. Thomæ de Kempis Canonici Regularis Ordinis S. Auguſtini de Imitatione Chriſti, & contemptu omnium vanitatum mundi.* In fine legitur *F. Thomæ de Kempis, de Imitatione Chriſti, deque contemptu mundi devotum & utile opuſculum finit feliciter.* Codex membraneus eſt in 4. in quo charta vaga ita habet: *Ce Manuſcrit a appartenu à Meſſire Baudouin de Lannoy Seigneur, de Molambais, fait Chevalier de la Toiſon d'or l'an* 1467. Id eſt: Hoc Manuſcriptum pertinuit ad D. Bauduinum de Lannoy, Dominum de Molambais, qui factus eſt Eques aurei velleris anno 1467.

CODEX IX.

DALHEIMENSIS.

§. 165

Productum fuit anno 1681. coram Eruditis Pariſienſibus Manuſcriptum domûs S. Petri & S. Antonii Dalheimenſis, in quo reperitur Extractum ex opuſculo Hugonis ſcripto 1475. *de Clauſtro animæ,*

& liber de Imitatione ſub titulo: Tractatus de contemptu mundi. Ad finem hæc verba alia manu adſcripta ſunt: *Explicit libellus de contemptu mundi, quem fecit Frater Thomas Kempis Profeſſus in Monte Agnetis Ordinis Canonicorum Regularium. Obiit ætatis ſuæ anno 92. in Ordine devotus 65. requieſcat in perpetua pace, pro quo debitum ſolvi anno 1471. Coſmæ & Damiani, quo anno obiit.* Cùm itaque librarius annotet diem, quo pro Thoma K. defuncto ex fœdere Miſſas perſolvit, videtur non multo tempore poſt mortem Thomæ K. ſcriptus eſſe liber; quia talia non ſolemus ſerò annotare, ſed in continenti, ne bis cogamur ſatisfacere defuncto ob oblivionem ſolutionis jam factæ. Certè conſtat, ſcriptum eſſe ab aliquo, qui cum Thoma K. habuit fœderis communionem. *Dupin.* l. cc.

CODEX X.

DUNENSIS.

§. 166.

Canonici Regulares Lovanienſes ad D. Martinum oſtendunt duos Catalogos MSS. ſcriptos anno 1472. in quorum utroque liber de Imitatione annotatur ſub titulo Thomæ K. Primus Catalogus continet libros librariæ in dumo B. M. V. prope Endoviam, formâ octavâ. Inter hos ille catalogus recenſet nonnulla Thomæ K. opuſcula, & ipſos libros de Imitatione ſub titulo Thomæ K. *Roſw.* teſtim. §. 1. Dupin. l. cc. Rem verò ſic ſe habere, teſtatur ſolenne Inſtrumentum deſuper confectum, à me inſertum Inform. p. 7. fol. 238. cui Inſtrumento etiam inſerta ſunt hæc verba in *Informatione mea* omiſſa: *Item in eodem armariolo ſervatur alius Catalogus duplex in octavo, ſcilicet Dumi B. M. apud Endoviam; & fontis B. M. Arnheim ſcriptus anno 1472. in quo ſic legitur. Thomæ de Kempis Canonici Regularis devota exercitia. Idem, de Imitatione Chriſti. Qui ſequitur. Idem, de interna locutione. Ejusdem Alphabetum. Ejusdem dialogus ad digne celebrandum.*

celebrandum. Notaturque in margine, hos libellos extare in diverſis Bibliothecis Belgii. Ita Inſtrumentum. Ex quo liquet, in ipſis locis Monaſterio Thomæ de Kempis vicinis ipſo vivente adhuc per totum Belgium fuiſſe opinionem, Thomam K. eſſe authorem jam tum famoſiſſimi libri.

CODEX XI.

IMPRESSUS AUGUSTÆ anno 1472.

§. 167.

In illuſtri Bibliotheca Ampliſſimæ Reipublicæ Auguſtanæ in Pluteo 8. librorum Theologicorum, Codice 32. in fol. habentur libri quatuor de Imitatione, & in calce iſtorum iſthæc verba: *Viri egregii Thomæ, Montis S. Agnetis in Trajecto Regularis Canonici, libri de Imitatione Chriſti numero quatuor finiunt feliciter per Gintherum Zainer ex Reutlingen progenitum litteris impreſſi aheneis.* Dum luſtrarem varias Bibliothecas, tria alia hujus editionis primæ exemplaria reperi, unum in Bibliotheca Eccleſiæ Cathedralis Auguſtanæ; alterum in Collegio Can. Reg. Undenſi; tertium in Bibliotheca Conventus FF. Minorum Monachii; ubi adhuc videri poſſunt. Editionem hanc factam eſſe ante annum 1475. Certum eſt ex eo, quia Gintherus Zainer jam mortuus eſt 14. Aprilis anno 1475. ut conſtat ex Necrologio antiquiſſimo Collegii Can. Reg. ad S. Crucem Auguſtæ, ubi Gintherus habet Anniverſarium. Eam verò anno 1472. factam eſſe extra dubium ponit exemplar FF. Minorum Monachii, in quo aliquis charactere illius ſæculi indubitato annum impreſſionis adſcripſit, hoc modo: 1472. In Exemplari iſto Monacenſi ſimul etiam compactus eſt liber, dictus Speculum humanæ vitæ, eodem prorſus typo, quo impreſſus eſt liber de Imitatione. In fine hujus libri ſequentia leguntur: *Finit liber dictus, Speculum humanæ vitæ &c. à Ginthero Zainer ex Reutlingen civi progenito, Urbe autem commanenti Auguſtenſi arte impreſſoria in medium feliciter deditus, anno milleſimo, quadringenteſimo, ſeptuageſimo primo. Idus vero Januarias tertio.* Ita hiſce meis oculis vidi.

CODEX

CODEX XII.
REIPUBLICÆ AUGUSTANÆ.
§. 168.

In Reipublicæ Auguſtanæ Bibliotheca ſubſellio nono librorum Theologicorum, Codice tertio MS. in forma 4. extabat Thomæ Kempenſis liber de Imitatione ſub ejus titulo ſcriptus circa annum 1475. quod ex eo conſtat, quia reliqui tractatus in eodem Codice contenti circa illud tempus conſcripti ſunt, anno videlicet 1472. & 1475. Cæterum furtiva manus (quæ in ſuſpicione fuerit, ſcio) integrum librum de Imitatione è Codice exſectum abſtulit: Deo tamen diſponente fur ille, qui reliquos omnes illius Codicis tractatus intactos reliquit, oblitus eſt furari primum Codicis folium, in quo continetur Index opuſculorum in Codice illo contentorum omnium, & inter hæc ipſius etiam libri de Imitatione ſub titulo Thomæ K. Index hic primi folii eadem manu ſcriptus eſt, qua ſcripta ſunt reſidua adhuc Codicis opuſcula. Rem ita ſe habere teſtatur Catalogus impreſſus anno 1633. librorum Bibliothecæ Auguſtanæ; teſtatur idipſum RR. DD. Gaſpar Pro-Epiſcopus Auguſtanus ſolenni Inſtrumento inſerto *Roſweydo redivivo Werlini*, & à me relato in *Inform.* p. 7. fol. 233. Denique rem ſic ſe habere ipſemet vidi, dum ante annos 38. nihil adhuc de controverſia hac cogitans illam Bibliothecam luſtravi. Verba Catalogi 1633. de hoc Codice loquentis, ſic habent: *Index (eadem, qua totus Codex, ſcriptus manu) librorum in eo contentorum ita loquitur: Prima pars tractatus de Imitatione Chriſti Domini Thomæ Montis S. Agnetis Canonici Regularis. fol. 25. Secunda pars ejusdem tractatus fol. 36. Jam à folio 25. uſque ad 48. omnia ſunt exciſa. Cæterum in eodem Codice continentur Philobiblon Richardi de Burgundia; Liber S. Chryſoſtomi de reparatione lapſi. Tractatus de antiquitate quatuor Ordinum mendicantium. Tractatus de proceſſu Judicii ſpiritualis; ſcripti ſunt Mathiæ manu poſt Chriſtum natum* 1472. *Soliloquium Hugonis de diſcretione & anima* 1475. Ita Catalogus impreſſus Bibliothecæ Auguſtanæ.

CO-

CODEX XIII.

MAYSECKENSIS.

§. 169.

A. R. D. Paulus Schooff Prior Rubeæ Vallis & Generalis Congregationis Canonicorum Regularium Windesheimenſis penès ſe habuit ex Monaſteriô Majore Mayſeckenſi Canonicorum Regularium librum de Imitatione Chriſti Scriptum annô 1477. manu D. Cornelii Offermans, Rectoris quondam conventus Mayſeckenſis, qui affirmat, compoſitum eſſe à Fr. Thomâ de Kempis, *Roſw.* Teſtim. §. 1. num. 6.

CODEX XIV.

LOVANIENSIS *Authographus.*

§. 170.

Joannes Ulimmerius Canonicorum Regularium ad D. Martinum Prior, de S. Auguſtino, S. Fulgentio, Paſchaſio, & aliis antiquis authoribus, quos à mendis repurgavit, teſte *Valeriô Andreâ* in Bibliotheca Belgica, bene meritus, teſtatur ſè ante multos annos accepiſſe Codicem hunc MS. librorum de Imitatione à Canonicis Regularibus Montis S. Agnetis, affirmantibus eum manu ipſius Authoris Thomæ à Kempis Scriptum fuiſſe, uti per traditionem continuam à Majoribus ſuis ejus Monaſterii Fratribus acceperunt. Porró libri tres de Imitatione Chriſti, quartô omiſſo, aliis Thomæ K. Opuſculis in mediô ſunt inſerti. *Roſw.* Teſtim. §. 2. num. 2. Hac ſuper re ſolenne Inſtrumentum erectum eſt 15. Martii 1652., cujus partem *Inform.* p. 7. num. 3. exhibui. Inſtrumentum hoc de iſthoc Codice loquens ſic ait: „ In primo autem folio hujus libelli ſic legitur: *Hic liber eſt Scriptus manu & characteribus Reverendi & Religioſi Patris Thomæ à Kempis Canonici Regularis in monte S. A-*

„ *gnetis prope Subollam, qui eſt & Author horum devotorum libellorum.*"
En! Authographum Thomæ K. non deſcriptum, ſicut Authographum Antwerpienſe, ſed Protographum. Habes ſimul Teſtimonium & traditionem ipſius Monaſterii Montis S. Agnetis, à cujus Canonicis, dùm à Confœderatis Belgii ſedibus ſuis pulſi profugerent, *Ulimmerius* circa annum 1570. hunc Codicem accepit; centum videlicet annorum ſpatio poſt Thomæ K. mortem, quæ contigit annô 1471. Traditio autem centum tantum annorum circà rem domeſticam, celebrem, & uſu quotidiano agitatam omnî ſuſpicione caret. Vid. Inſtrum. cc.

CODEX XV. & XVI.

CONFLUENTIÆ, ET IN TRACTÛ RHENI

§. 171.

R. P. *Joannes Haſius* multis in Societate Ieſu perfunctus muneribus, bis Embricæ Clivorum Rector, ſubinde Provinciæ Rhenanæ Præfectus, litteris ſuis teſtatur; paſſim Codices MSS. librorum de Imitatione Chriſti præſertim in Regularium Canonicorum Monaſteriis reperiri, etiam ipſius Thomæ ætate exaratos, qui nomen ipſius tanquam Authoris præferant. *Cujusmodi*, inquit, *ante aliquot annos reperi Confluentiæ in Collegio noſtro, cui obvenerant plerique Codices è deſolatô Regularium Monaſteriô.* ita *Heſerus*. Cùm A. R. P. Haſius viderit plures tales Codices Thomæ coætaneos, minimum ſecutus, duos ſaltem poſui.

CODEX XVII. & XVIII.

§. 172.

A. R. D. *Albertus Luyckenius*, cùm Prior eſſet Canonicorum Regularium Coloniæ ad Corpus Chriſti, & ejusdem Ordinis ſub

Capitulo Windesheimenſi Generalis, teſtatus eſt, ſe in variis Germaniæ Bibliothecis librum de Imitatione Chriſti, Thomæ à Kempis nomine præfixô, vidiſſe, tùm in variîs Indicibûs, tum in librîs ipſis ita perſcribens: *Vidi ego Indices Bibliothecarum quarundam domorum Ordinis noſtri antiquos, & antiquâ fide ſcriptos, qui exemplaria MSS. Imitationis Chriſti Thomæ adſcribebant. Vidi ego eundem per partes in antiquâ membrana & Chartâ ſcriptum, interdum nullô Ordine capitum, vel librorum ſervatô, interdum cum Authoris nomine, interdum ſine illô, aut hac adſcriptione. Pii alicujus Fratris.* Hactenus *Roſw.* Teſtim. §. 1. num. 7.

CODEX XIX.

§. 173.

In celeberrima Reipublicæ Auguſtanæ Bibliotheca, ſubſelliô 9. librorum Theologicorum, Codice MS. 14. in forma 4. extabant libri quatuor de Imitatione Chriſti Thomæ à Kempis nomine, ita teſtatur Catalogus impreſſus illius Bibliothecæ annô 1633. fol. 125. cujus verba ſunt iſta: *M. Thomæ de Monte S. Agnetis & Canonici Regularis in Trajecto, de Imitatione Chriſti, & contemptu omnium vanitatum mundi.* Hæc verba non eſſe Eliæ Ehingeri, qui Catalogum conſcripſit, ſed ipſius Manuſcripti, patet ex eô, quia Author Catalogi alias diligentiſſimè annotat, quandò Codex ſit anonymus, quandò non, etiam quandò agit de libris de Imitatione v. g. dum Catalogus ille nov. editionis fol. 54. agit de libris Theologicis, ponit Pluteo 9. Subſellio 9. ſequentes tractatus: 1. tractatus duo. Admonitiones ad interna trahentes, & 2. de interna locutione Chriſti ad animam fidelem, hos recenſet tanquam anonymos, licet ſint liber 2. & 3. de Imitatione. Itaque ſolum laborandum eſt, quo tempore hic Codex Scriptus ſit Scriptum eſſe ante annum 1490. certum indicium præbet, quia in principio libri leguntur iſta verba: *Iſte liber eſt pro uſu Fr. Joannis Fortis, S. Theologiæ lectoris, donatus eidem per*

R. P. Joannem Carpentarii, quondam Provincialem Ordinis Fratrum Carmelitarum anno 1490. *in Octava S. Martini.* Videtur autem ſcriptus circa annum 1454., quia in eodem Codice extant duo alia Manuſcripta exarata anno 1454. videlicet *Alphabetum divini Amoris*, quod ſubſcriptum habet annum 1454. & *Tractatus de Arte moriendi*, in quo idem annus ſubſcriptus eſt. Cæterum ex hoc Codice iterum tres primi libri de Imitatione, ne nomen Thomæ K. appareret intra annum 1633. & 1648. exciſi ſunt. Omnia ſic ſe habere teſtatur Inſtrumentum publicum RR. DD. *Gaſparis* Pro-epiſcopi Auguſtani, inſertum *Roſweydo redivivo* WERLINI, & libro Gallico, *La Conteſtation &c.* cujus ſummam etiam inſerui *Inform.* p. 7. Ipſe etiam ante annos 38. ſic ſe habere hiſce meîs oculîs vidi, dùm nihil minùs, quàm de controverſiâ hâc aliquandò â me ſuſcipiendâ cogitans, Bibliothecæ illius rariora perluſtrarem.

CODEX XX.

§. 174.

De hoc Codice MS. A. R. P. *Heſerus* his verbis teſtatur:

In Collegio Can. Reg. ad S. Georgium Auguſtæ protraximus Codicem ex abſtruſiſſimô angulô, diù perquiſitum. Eſt liber formæ octavæ, antiquiſſimô charactere, maximàque induſtriâ ſcriptus, vix ut emendatiorem inter vetuſtos viderim, repræſentat librum 1. 2. & 3. De Imitatione Chriſti, unumquemque integrum, niſi quod frons duobus lata digitis ita præſecta ſit, ut nec ullius litteræ cauda præſecti nominis indicium præbeat. Quis, aut quid exſecuerit, incertum eſt; hoc certum eſt, eo tempore exſectum eſſe, quo in eadem Urbe duo ſupra laudati MSS. Codices Bibliothecæ Auguſtanæ exſecti, & Inſcriptiones referentes Thomam K. ſublatæ ſunt. Oſor Thomæi nominis abſque ſcrupulo exſecuit illos duos, ſi etiam hunc Georgianum capite minuit, veroſimile eſt, in fronte non Gerſenis, ſed Thomæ nomen prius apparuiſſe. Verum non propterea

tereà iſta retuli, ut ex hoc Codice deducam argumentum. Nolo inniti conjecturis. Sit itaque omiſſo Codice S-Georgiano alius Atrebatenſis, de quo RR. DD. *Petrus* Abbas in monte S. Eligii Atrebati apud *Heſerum* in Hecatomp. ſic ſcribit: *Admodum Reverende Pater. Poſt acceptas Paternitatis Veſtræ litteras, cùm indagaſſem, nùm priſca exemplaria non extarent, intellexi, in Abbatia S. Vedaſti Atrebati eſſe exemplar quoddam ſatis antiquum. Verum D. Abbas dictum librum ad ſe recepit, neque monſtrare illum voluit, ubi intellexit, idcircò peti, ut contra ſui Ordinis homines uſui eſſet.* Nùm D. Abbas aliam forte cauſam habuit, ſubtrahendi hunc Codicem, quam quod patrocinaretur cauſæ Kempenſi? poſſibile omnino eſt: multi enim caſus ſunt poſſibiles etiam extraordinarii, de quibus aliàs non liceret ſuſpicari. Hinc ne etiam ex hac parte Numerus præſens conjecturis innitatur, affero aliud Manuſcriptum, de quô vir eruditiſſimus cum doctrina, tum authoritate maximus D. *Philippus Chiffletius* Abbas Balernenſis in Epiſtola Bruxellis anno 1651. 2. Martii data ſic loquitur: *Fuit Abbas Ordinis S. Benedicti, qui cùm mihi commodaſſet elegans & antiquum Manuſcriptum, quod librum de Imitatione clarè Thomæ à Kempis legitimo ejus poſſeſſori attribuit, uti ſuô locô dicam, venerabilem antiquitatem additione ſuæ manus violavit, poſtquam è meis manibus exivit.* Ita *Heſ.* l. cc.

CODEX XXI. XXII. XXIII.

§. 175.

Sanderus in libro, cui titulus: *Bibliotheca Belgica Manuſcripta:* mentionem facit trium MSS. Codicum, Dunienſis lætien. Tungrenſis. Primus habetur in Monaſteriô, quod appellatur Dunum, Ordinis Ciſtercienſium in Flandria, reperitúrque, in octavô pluteô, in quô ſunt libri Spirituales, ſub titulô. *Thomæ à Kempis de Imitatione Chriſti.* Vid. p. 1. pag. 193.

Alter extare legitur in Catalogo librorum Manuſcriptorum

Monaſterii Lætienſis, Ordinis S. Benedicti, Diœceſeos Cameracenſis, ſub titulô: *Thomas à Kempis de Imitatione Chriſti. libri* 4. *Sand.* p. 2. pag. 32.

Tertius aſſervatur in Bibliothecâ Canonicorum Regularium Tungris in ſecundâ parte, ſub titulô, *Thomas à Kempis, de Imitatione, & Sermones ad Novitios. Sand.* p. 2. pag. 196.

CODEX XXIV. XXV.

§. 176.

In Monaſteriô Rebdorffenſi propè Eyſtadium reperiuntur duo MSS. Codices; de quibus A. R. P. *Heſerus* ſic habet: Primus inſignitur littera L. notatúrque numerô 27. alter littera M. numerô 21. ambo in Indicibus ſuorum opuſculorum tractatum de Imitatione Chriſti tribuunt Authori Thomæ de Kempis. Rem certam fecimus authoritate publica Notarii jurati, nec non adſcriptâ teſtificatione A. R. P. *Petri Breidendonck* Subprioris Rebdorffenſis. NB. Manuſcripta Monaſterii Rebdorf. nunc translata fuerunt in Bibliothecam Em^mi. Cardinalis Schönborn Epiſcopi Herbipolenſis.

CODEX XXVI.

§. 177.

Rinsbergæ Geldriæ in Monaſteriô Can. Reg. membranaceus Codex perantiquus viſitur, qui nomine *Thomæ à Kempis* præfixô libros *de Imitatione Chriſti* continet. *Roſw.* Teſtim. §. 1. num. 5.

CODEX XXVII. XXVIII. XXIX. XXX.

§. 178.

Juſſit Sereniſſimus Dux Bavariæ, & poſtea Elector Maximilianus annô 1610. ut omnia Monaſteria Bavariæ conficerent Catalogum omnium ſuorum Manuſcriptorum, eùmque ad Bibliothecam Electoralem deponerent. Catalogi itaque à Bibliothecariis omnium Mona-

monaſteriorum Bavariæ confecti, propria eorum manu ſcripti, & ad Bibliothecam Electoralem miſſi ſunt. Omnes hos catalogos perlegi & reperi in variis monaſteriis reperiri libros de Imitatione, aliquando ſub D. *Bernardi*, vel *Gerſonis*, plerumque tamen ſub *Thomæ K.* nomine, nunquam ſub *Gerſenis*. Reperi itaque 1. in Catalogo Manuſcriptorum Monaſterii Raittenhaslenſis annotatum librum hoc modo: *Liber, non errabis. De Imitatione Chriſti & vanitate mundi c.* 25. *Thomæ de Kempis lib.* 1. Item alium notatum hoc modo: *De Imitatione Chriſti tr. D. Bernardi. Huic quidem adſcriptus, ſed continet capita l.* 1. *Thomæ de Kempis.* 2. In Catalogo Monaſterii Staingadenſis reperi librum ſic notatum: *Thomæ de Kempis de Imitatione Chriſti l.* 4. *acceperunt hunc libellum mutuum Weingartenſes anno ſuperiori, ſcriptus eſt in chartam in* 4. 3. In Monaſterio S. Magni reperi notatum hunc librum. *F. Thomæ Ord. Can. Reg. S. Aug. Montis S. Agnetis Diœceſis Trajectenſis opuſculum in quatuor partes diviſum, quarum prima: Admonitiones ad ſpiritualem vitam. Secunda. Admonitiones ad interna trahentes continet. Tertia agit de interna conſolatione. Quarta, de Eucharistiæ ſumptione in* 8. 4. In Catalogo Monaſterii Ettallenſis reperi Codicem Manuſcriptum ſic notatum. *Libellus de Imitatione Chriſti & contemptu omnium vanitatum in* 8. *authore Fratre Thoma de Conventu & Ordine Canonicorum Regulæ S. Auguſtini Montis S. Agnetis Trayecenſis dyœceſis.*

CODEX XXXI.

IMPRESSVS 1480.

§. 179.

D. *Joannes Gelenius*, RR. ac Ser. P. *Ferdinandi* Archiep. & Elect. Colon. Vicarius Generalis teſtatus eſt, ſe vidiſſe libros de Imitatione Chriſti, ſub nomine Thomæ a Kempis impreſſos anno 1480. *Proſper Farr.* Teſtim. §. 3. n. 1.

CODEX

CODEX XXXII.

§. 180.

In S. Martini Collegio Can. Reg. Lovanii ſervatur nomine Thomæ K. liber, qui continet, hortulum roſarum, deindè librum 1. tùm 4. & 3. de Imitatione Chriſti. Ad cujus finem adſcriptum eſt eadem manu: *Expliciunt Tractatus quatuor Thomæ de Kempis, devoti, & interni; ſcripti, illuminati, & ligati per manus Fr. Simonis Jacobi de Leydis, Profeſſi in Leydendorp, pro tunc Socii Rectoris hujus Monaſterii Sanctimonialium antiquarum in Amſtelrodan anno Domini* 1482. Ita *Roſw.* Teſtim. §. 1. n. 3. Veritas rei publico Inſtrumento, quod inſerui *Inſerm.* p. 7. dimidium, confecto 1652. Inter alia ſic habet: *In eodem armariolo* (Bibliothecæ in Valle S. Martini) *ſervatur alius libellus manuſcriptus in octavo, & rubro corio, cum fractis clauſtris, in quo habentur hi libelli: 1. Hortulus roſarum. 2. Admonitiones ad vitam ſpiritualem utiles; incipit: Qui ſequitur me. 3. Devota exhortatio ad ſacram Chriſti communionem. Incipit: Venite ad me omnes. 4. De interna Chriſti locutione ad animam fidelem. Incipit: Audiam, quid loquatur. Et in fine habetur. Expliciunt Tractatus quatuor Fratris Thomæ Kempis devoti, & interni, ſcripti, illuminati &c.* ut ſupra. Ita Inſtrumentum. Hoc Manuſcriptum pariter cum aliis MStis à Canonicis Regularibus examinatum & incorruptum inventum eſt à Concilio Eruditorum Pariſienſium, cui interfuerunt Archiepiſcopus Pariſienſis, Domini Faure, Baluzius, Vion d'Herouval, du Cange, R. P. Garnierus, & R. P. Harduinus Jeſuitæ, R. P. du Bois è Congregatione Oratorii, R. P. Alexander Natalis Dominicanus. Actum eſt 4. Martii 1681. *Dupin.* Bibl. Eccl. t. 12. diſſ. §. 2 & 3.

CODEX XXXIII.
IMPRESSUS 1486.

§. 181.

In Schœlhornii Amænitatum litterariarum t. 4. deſcribitur inſignis Biblioth. Crafftiana Ulmæ aſſervata; recenſentúrque Codices rariores inibi etiamnum anno 1725. extantes, inter quos ponitur ſequens: *Thomæ à Kempis* Von der nachfolg Chriſti *Auguſtæ* 1486 *in* 4. *per Antonium Sorg*. eſt Codex impreſſus, & Germanicus de Imitatione Chriſti.

CODEX LOVANIENSIS
XXXIV. XXXV. XXXVI. XXXVII. XXXVIII. XXXIX.

§. 182.

Lovanii in Monaſterio Canonicorum Regularium Vallis S. Martini ſervatur Catalogus MS. variarum Bibliothecarum Belgii, circa annum 1487. conſcriptus; inter alios libros recenſet etiam opera Thomæ K. in variis Monaſteriis aſſervata. Libros de Imitatione MSS. ſub nomine Thomæ K. aſſervari ait; in Campo Ciſtercienſium propè Bercham, in Gaesdonk Regularium propè Goch. Apud Martinienſes Lovanii, apud S. Catharinæ Regulares propè Noviomagum. Apud Regulares propè Endoviam. Roſw. Teſtim. §. 1. n. 1. Sed ne fides *Roſweidi* ſuſpecta ſit, res denuo publico Inſtrumento jam ſæpiùs allegato 1652. 15. Mart. confirmata eſt. Inſtrumentum ſic habet: *Item in eodem armariolo alius liber valde antiquus Manuſcriptus in oblonga forma, qui eſt Catalogus ſive Regiſtrum multorum & diverſorum librorum Manuſcriptorum in diverſis Bibliothecis Belgii extantium. In quo inter alia opera Thomæ à Kempis ponuntur libelli quatuor de Imi-*

tatione Chriſti, cum annotationibus principii, & finis cujusque libri hoc modo:

Admonitiones ad ſpiritualem vitam, aliàs de Imitatione Chriſti. Principium. Qui ſequitur me. Finis. Tantùm proficies, quantùm tibi ipſi vim intuleris. Notaturque in margine, extare in campo B. Mariæ Monaſterio Ordinis Ciſtercienſis prope Bercam. in Monaſterio Guesdonk Ord. Can. Reg. S. Aug. apud Gog.

Item in Monaſterio S. Catharinæ apud Noviomagum, & Valle S. Martini Lovanii Canonicorum Regularium S. Aug.

Admonitiones ad interna trahentes, ſive de interna converſatione. Principium. Regnum Dei intra vos eſt. Finis. Quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. Notaturque in margine, extare in Campo in Guesdonk, & Valle S. Martini præſcriptis. De interna conſolatione, ſeu locutione Principium. Audiam, quid loquatur in me Dominus Deus. Finis. Dirige per viam pacis ad patriam perpetuæ claritatis. Notaturque in margine, extare in campo, in Guesdonk, S. Catharinæ, Valle S. Martini præfatis. Et Endoviæ in dumo B. M. Ord. Can. Reg. S. Auguſt.

De ſacra Communione & præparatione hominis ad eandem. Principium. Venite ad me omnes. Finis. Non eſſent mirabilia ac ineffabilia dicenda.

Notaturque in margine, extare in Guesdonck, in Valle S. Martini, & Endoviæ in dumo præfatis. V. Heſ. Hecatomp.

Hic Catalogus, qui comprehendit libros fere centum Bibliothecarum Germaniæ cum ſuccincto eorum elogio, pagina 302. habet hæc verba: *Frater Thomas de Kempis Diæceſis Colonienſis Canonicus Regularis in Monte S. Agnetis prope Swollam Diæceſis Trajectenſis, verſatus in S. Scriptura compilavit plures parvos tractatus teſtes ſuæ devotionis & utiles pro religioſis, videlicet, Exhortationes ad vitam ſpiritualem, aliàs, de Imitatione Chriſti; Admonitiones ad vitam internam trahentes, de conſolatione ſeu locutione interna. De Communione ſacra, ſeu Præparatione hominis ad Communionem* Productus eſt his catalo-

gus in Concilio Eruditorum Pariſienſium ſupra relato 1681. *Dupin* l. cc.

CODEX XL.

ARGENTORATENSIS impreſſus 1487.

§. 183.

De hoc Codice A. R. P. *Heſerus* in ſuo Hecatompylo ſic ſcribit: In Cæſarea Regiâque Bibliotheca Pragenſi aſſervatur Codex in 4 pretioſè veſtitus, cujus principium ita habet: *Incipit liber primus Fratris Thomæ de Kempis Canonici Regularis Ord. S. Aug. de Imitatione Chriſti, & de contemptu omnium vanitatum mundi* C. 1. *Qui ſequitur me.* In fine habetur. *Fratris Thomæ de Kempis de Imitatione Chriſti, & de contemptu mundi devotum & utile opuſculum, finit feliciter Argentinæ impreſſum per Martinum Flach anno Domini milleſimo quadringenteſimo octogeſimo ſeptimo.* Ex litteris ad me Praga datis 29. Aprilis 1648. Quem ipſum librum poſtea reperi Auguſtæ in Bibliotheca Canonicorum Regularium ad S Georgium, & omnia ſic ſe habere comperi.

CODEX XLI.

Impreſſus Norimbergæ 1487.

§. 184.

Codex iſte de Imitatione Chriſti, impreſſus Norimbergæ anno 1487. nomen Thomæ de Kempis litteris œneis inſcriptum tanquam veri authoris omnibus legendum præbet. Teſtem habeo *Joannem Saubertum, in Appendice ad Hiſtoriam Bibliothecæ Reipublicæ Norimbergenſis*, ubi catalogum texit librorum proximis annis ab inventa typographia uſque ad annum 1500. excuſorum.

COD. REBDORF. XLII. XLIII. XLIV.

§. 185.

De his tribus Codicibus Manuſcriptis teſtatur A. R. P. *Heſerus* in ſuo Hecatompylo his verbis. Ex nobili cum primis & Codicibus perantiquis manu exaratis inſtructiſſimâ Bibliotheca Monaſterii Rebdorffenſis Can. Reg. Ord. S. Aug. non procul Eyſtadio nactus ſum Codices Manuſcriptos tres, quorum duo ſilent ætatem ſuam: tertius exſcriptus eſt anno 1488. in ſingulis his Codicibus legere eſt Vitam Thomæ K. ab authore anonymo, ſynchrono tamen, qui teſtatur, *ſe ea, quæ ſcribit, à Fratribus illius Conventus, in quo Thomas K. vixit*, accepiſſe, elaboratam: teſtatur inſuper author ille anonymus, *fratres*, à quibus notitiam habet, in Monaſterio Thomæ K. *adhuc vivere.* Vita hæc typis quidem in vulgus ſparſa eſt anno 1494. Norimbergæ, nec non in aliis ſubinde locis; verùm in omnibus his antiquioribus editionibus omiſſus eſt catalogus librorum à Thoma K. conſcriptorum ad calcem annexus, quem tamen annexum eſſe, ac ſubjunctum author in ipſa deſcriptione Vitæ affirmabat. Hunc ego catalogum perquàm accurata confectum induſtria tribus illis in Codicibus continuò ſubnexum vitæ, ut tandem in publicum proferrem, exſcripſi; exſcriptum oculis Procancellarii Academiæ Ingolſtadienſis ſubjeci, qui fideliter á verbo ad verbum tranſcripta eſſe omnia teſtatus eſt die 15. Auguſti anno 1650. Vulgavi typis intra bimeſtre bis, Ingolſtadii & paulò poſt typis regiis Lutetiæ Pariſiorum. In hoc itaque Catalogo librorum Thomæ K., à Scriptore ſynchrono, & ex notitia ex ipſo Monaſterio Thomæ K. hauſta, conſcripto, inter opuſcula Thomæ K. recenſentur etiam ſequentia:

Quintum. Libellus Sententiarum; & verborum humilis JEſu. Aliàs vocatur de Imitatione Chriſti, ſcilicet: Qui ſequitur me.

Sextum. Secundus Tractatus. Regnum Dei intra vos eſt.

Septimum. Tertius Tractatus. De Sacramento. Venite ad me.

Octavum. Quartus, de interna locutione Chriſti ad animam fidelem, ſcilicet. Audiam, quid loquatur in me.

En!

En! hæc notitia hauſta eſt à Fratribus Monaſterii, in quo Thomas K. vixit, qui fratres adhuc vixerunt, dum hæc ſcriberentur, & ſæpius deſcriberentur: num & ipſi Confratres Thomæ K. decepti ſunt authographo Antwerpienſi? num ii, quorum maxima occupatio erat in ſcribendis, aut deſcribendis libris ignoraſſent, quem ſenſum haberet illa omnium librariorum iſto ſæculo formula: *per manus Fr. Thomæ &c.* num per tot annorum ſpatium, quibuscum cum Thoma K. vixerunt, perpetuum de libro tali ſilentium; quem ipſimet toties deſcripſerunt, quem jam tunc temporis tota Germania celebrem ubique deſcribi, diſtrahi, ac laudari audierunt? num auſi forent, librum ſuo Confratri adſcribere jam anno 1220. ſcriptum, jam à Bonaventura laudatum, jam Codicibus ante Thomam K. ſcriptis inſertum? num hoc auſi fuiſſent per totam Germaniam, num hoc creditum fuiſſet, ſi uspiam vel umbra antiquioris Thoma K. Codicis extitiſſet. Hoc quidem perſæpè legimus, Codices & libros recentiores adſcriptos eſſe authoribus antiquioribus per fraudem, aut errorem; libros verò antiquiores, quorum adhuc extiterunt plura exemplaria antiquiora, adſcripta eſſe authoribus recentioribus, adhuc viventibus, & hoc factum eſſe ab integra natione, & ab iis, qui cum authore in eodem vixerunt Collegio, & factum eſſe circa librum omnium celeberrimum, cujus authorem noſſe intererat, & ſimul quotidiana indagandi veritatem tam in Concilio Baſileenſi, quàm in Capitulis generalibus Windesheimenſibus, & Fratrum in Monaſterio Thomæ K. quotidianis congreſſibus erat occaſio; hæc, inquam, omnia ſimul aliquando facta eſſe, nullum habetur exemplum, & ut facilè fieret, nulla diſpoſitio, ſed impedimenta plurima. Hoc in legibus criticis vocatur improbabile, ejus vero oppoſitum moraliter certum. Verùm reſumamus filum.

CODEX XLV. XLVI. XLVII. XLVIII. XLIX. L.

§. 186.

Opera Joannis Gerſonis Cancellarii impreſſa ſunt Coloniæ anno 1483. apud Joannem Kœlhœf de Lubek. Exemplar vidi in Bibliotheca FF. Minorum Auguſtæ, ubi Gerſon in fronte vocatur *Dominus conſolatorius Joannes de Gerſenne.* Et vol. 2. dicitur: *per Dominum Joannem de Gerſenne Doctorem conſolatorium.* Altera editio eſt Argentinenſis anno 1488. apud *Petrum Schottum.* Tertia Baſileæ anno 1489. Quarta Argentinæ 1494. 1502. & 1514. Quinta Pariſiis anno 1521. & 1606. In harum editionum nulla reperiuntur libri de Imitatione: quia tamen quidam ſeducti ex titulo libri de Imitatione, qui in nonnullis Codicibus erat iſte: *libellus conſolatorius*, eum adſcripſerunt Joanni Gerſonni Cancellario, communiter vocato *Domino conſolatorio*, vel *Doctori conſolatorio*, prodierunt nonnullæ quidem editiones ſub nomine Gerſonnis ſeorſim libri de Imitatione ſed, quod huc in rem noſtram facit, in omnibus ferè ubicunque evulgatis exemplaribus ſeu in fronte præfigitur, ſeu ad calcem adjungitur, non eſſe Gerſonnis, ſed Thomæ à Kempis, his vel ſimilibus verbis: *Quamvis iſte libellus dicatur Joannis Gerſonnis, author tamen ipſius fuit Thomas de Kempis Canonicus Regularis.* Cæterum inter editiones Operum Gerſonis dantur quinque, in quibus liber de Imitatione Thomæ K. adſcribitur, nempe editio anni 1488. 1489. 1494. 1514. & 1606. His enim editionibus præfigitur compendioſa laus Joannis de Gerſon Cancellarii Pariſienſis, in cujus fine ſic habetur: *Inter hæc autem Opera licet nonnulla ſint, quæ Joannis de Gerſon non eſſe veroſimilius ſit, ut eſt Tractatus contra Proprietarios S. Auguſtini, Compendium Theologiæ, Sermo de Conceptione, & ſiqui plu-*

res

res reperiantur, tamen, quia author alius non patebat, ideo loco ſuo perſtiterunt. Alii autem tractatus, qui ſibi nonnunquam tribuuntur, ſed tamen authorem certum habent, ut eſt libellus de contemptu mundi, quem conſtat eſſe à quodam Thoma Canonico Regulari editum, & plures alii non ſunt Operibus inſerti. En! editoribus Operum Gerſonnis certò conſtabat, Thomam K. eſſe authorem libri de Imitatione; erant coævi. Exemplar talis editionis Operum Gerſonis reperitur in Bibliotheca noſtra Pollingana de anno 1494.

CODEX LI.

ARGENTINENSIS 1489. impreſſus.

§. 187.

De hoc Codice A. R. P. *Heſerus*, teſtis oculatus, in ſuo Hecatomp. ſic habet: Anno 1489. Argentorati impreſſi ſunt libri quatuor de Imitatione Chriſti, præfixô, & ſubjunctô Thomæ K. nomine. Libri frons ſic habet: *Thomas de Kempis de Imitatione Chriſti & de contemptu omnium vanitatum mundi; de interna converſatione. De interna locutione Chriſti ad animam fidelem. Cum quanta reverentia Chriſtus ſit ſuſcipiendus. Item, Joannes Gerſon de meditatione cordis.* Ita habet frons libri, judicans tractatus in libro contentos. Dein ſequitur Index Capitum. Poſt Indicem verò ſic legitur: *Incipit liber primus Fr. Thomæ de Kempis Canonici Regularis Ord. S. Auguſtini de Imitatione Chriſti. & de contemptu omnium vanitatum mundi.* In fine. *Fratris Thomæ de Kempis de Imitatione, & de contemptu mundi devotum & utile opuſculum finit feliciter.* Dein ſubditur novem pagellarum tractatus Joannis Gerſon de *Meditatione cordis.* Monſtravi hunc & Zaineri Codicem impreſſum, de quo ſuprà, multis, qui contendebant, non extare vetuſtiorem editionem typographicam, quam Norimbergenſem. Ita *Heſerus.*

CODEX LII.

MEMMINGENSIS impreſſus 1489.

§. 188.

Memminga urbs eſt Imperii libera: Id loci anno 1489. Tractatus de *Elevatione mentis in Deum* typis excuſus eſt ab Alberto Kunne de Duderſtadt. Ipſo in limine libelli aliquis paucula præfatus ſic ait: *Author tractatus diviniſſimi de Imitatione Chriſti vocatur Dominus Thomas Præpoſitus & Prælatus Canonicorum Regularium.* (a) Obſervandum enim eſt ex Vita Thomæ K, eum bis egiſſe tantùm *Suppriorem*, quod in Congregatione Windesheimenſi, in qua Abbates ſeu Præpoſiti vocantur uſque in hodiernum diem *Priores*, idem eſt, ac apud nos eſſe *Decanum*, aut *Priorem.* Proëmiator Memmingenſis oſtendit, facilem eſſe lapſum circa qualitatem authoris, nec prudenter facere eum, qui unum aut alterum Codicem, tot inter probos partus veluti calami aberrantis celebre monſtrum, centum aliis præferre maluerit.

CODEX LIII.

LUGDUNENSIS impreſſus 1489.

§. 189.

A. R. & doctiſſimus vir, *Thomas Carræus* in libro, cui nomen eſt, *Thomas de Kempis à ſeipſo reſtitutus* repet. 2. num. 4. indicium iſtius Codicis continentis quatuor libros de Imitatione, impreſſi Lugduni anno 1490. facit, aſſeritque eum aſſervari in Sorbona. Hujus ipſius editionis aliud exemplar aſſervari Pariſiis in Bibliotheca S. Genovefæ docet liber, cui titulus: *La conteſtation touchant l'autheur de l'imitation. part. 1. prob.* 4. cujus author erat Canonicus ad S. Genovefam.

CODEX

(a) Erroneè.

CODEX LIV.
PARISIENSIS impreſſus 1493.
§. 190.

Ecce rurſus Galliam, adulto jam anno 1493. pro veritate ſtantem, patriaque voce proclamantem, non S. Bernardum Abbatem, non Joannem Gerſonem Cancellarium, quantacunque decora ſui regni, ſed Thomam K. ùt verum authorem librorum de Imitatione. Prodiit videlicet anno 1493. Pariſiis verſio Gallica librorum de Imitatione, cujus initium ſic habet lingua Gallica: *Hic incipit liber ſaluberrimus, inſcriptus de Imitatione D. N. J. C. & perfecto contemptu præſentis hujus miſeri mundi. Qui hactenus ab aliquibus S. Bernardo attributus, fuit, aut Magiſtro Joanni Gerſoni, eſto res aliter ſe habeat. Nam author illius in Domino fuit quidam venerabilis & devotiſſimus Religioſus, Canonicus Regularis S. Auguſtini dictus Frater Thomas de Kempis &c. translatus è Latino in Gallicum pro conſolatione rudium latinam linguam non intelligentium. Quæ translatio diligenter correcta eſt ſecundum Originale.* Hucuſque Interpres & Proëmiator Gallicus. Ad calcem adſcripta ſunt hæc verba: *Cy finiſt le livre de l'Imitation translate de latin en francois et imprimé à Paris par Jehan Lambert le* 26. *jour de Novembre* 1493. Indicium hujus Codicis præbet vir religioſiſſimus, famâ pietatis & doctrinæ celebris *Joannes Fronto* Canonicus Regularis ad S. Genovefam, SS. Theologiæ Doctor, in Univerſitate Pariſienſi Cancellarius *in ſuo Thoma K. vindicato* part. 3. §. 3. Et Thomas Carræus *in Thoma K. à ſeipſo reſtituto* repet. 2. n. 7. & author libri Gallici ſuprà laudati, *la conteſtation &c. & Dupin* Bibl. Eccleſ. T. 12. Diſſ. §. 4.

CODEX LV.
PARISINUS impreſſus 1493.
§. 191.

Author libri, *la conteſtation &c.* cum de variis editionibus verba facit, pag. 17. ſic ait: *Eſt alia editio Pariſienſis formis Mittelbuſii,*

eodem anno 1483. *Ea extat & monſtrâtur apud Canonicos Regulares Pontis Mouſſonii.*

CODEX LVI.

NORIMBERGENSIS, impreſſus 1494.

§. 192.

Opera pleraque Thomæ à Kempis uno volumine excuſa ſunt Norimbergæ 1494. per Caſparum Hochfeder. Exemplar hujus editionis videri poteſt in noſtra Bibliotheca Pollingana, & Schefflarienſi. Primum locum obtinent libri quatuor de Imitatione, quibus hæc præfiguntur verba: *Dulciſſimi ac Divi Thomæ de Kempis, viri piiſſimi, religioſiſſimique de Imitatione Chriſti opus, quod falſo apud vulgares Gerſoni Pariſienſi Cancellario impingitur.*

CODEX LVII.

§. 193.

Joannes Fronto, Cancellarius Pariſienſis *in ſuo Thoma K. vindicato* part. 3. §. 5. fidem ſuam interponit, ſe vidiſſe plures editiones in Italia factas ante annum 1500. quæ Thomæ à Kempis opus hoc attribuunt. Cùm plures ille viderit, non erro, ſi ſaltem ad minimum in probationem admiſero duas.

CODEX LVIII.

§. 194.

In Bibliotheca Collegii Can. Reg. in Gars in Bavaria duo reperiuntur Codices impreſſi Coloniæ, quorum alter in fine librorum de Imitatione ſic habet: *Explicit liber quartus & ultimus libri bujus de Imitatione Chriſti ab egregio viro Thoma de Kempis editi.* Sequitur tractatus Joannis Gerſonis de Meditatione cordis, & in fine tabulæ hæc habentur: *Finit iſte libellus Coloniæ retrò Minores fauſtiſſime impreſſus anno* 1501., *ultimo Julii.* Alterius Codicis eadem ſunt verba, ſi annum & diem excipias, quos ita deſignat: *Anno* 1505. *quinto Octobris.* Ita teſtatur *Heſerus* l. cc.

CODEX LIX. LX.

§. 195.

Idem rurſus *Heſerus* l. cc. teſtatur, ſe in Bibliotheca Augienſi Can. Reg. in Bavaria reperiſſe Codicem, cujus hoc initium: *Incipit liber primus Egregii Viri Thomæ de Kempis, de Imitatione Chriſti. -- Explicit liber quartus & ultimus libri hujus de Imitatione Chriſti, ab Egregio Viro Thoma de Kempis editi.* Finitur iſte libellus impreſſus Coloniæ per Martinum de Werdena anno 1507.

Alius item ex Augienſi Can. Reg. in Bavaria Bibliotheca ſeſe Codex in conſpectum offert, ab Martino quoque Werdenſi impreſſus, ſed biennio poſt. Conſentit in omnibus verbis cum priori editione, niſi in anno, qui ſignatur 1509.

Thomas Carræus *in Thoma K. à ſeipſo reſtituto* mentionem facit alterius editionis Antwerpienſis libri de imitatione ſub titulo Thomæ K. anno 1519.

ARGUMENTUM II. pro Kempiſio.

§. 196.

Per idiotiſmos ſtyli intelligo modos peculiares loquendi, ſcriptori, præter ordinarium ſcribentium morem *familiares. Familiares* voco, qui neglectis aliis terminis ſynonimis, melioribus aut pejoribus, ab authore frequentiùs uſurpantur. Ad modos loquendi pertinent termini, phraſes, methodus, ſelectus materiæ &c. &c. Hinc ad idiotiſmos non ſolùm deviationes à cōmuni uſu puri ſermonis latini per defectum, ac corruptionem, ſed etiam per mediocritatis exceſſum in melius pertinent. Sicut autem variationes ſtyli latini, ſeu diverſæ conbinationes partium orationis, phraſium, verborum &c. non minus quàm viginti quatuor litterarum alphabeti, viginti quatuor alearum, viginti quatuor Regiſtrorum Organi, aut partium elementarium naturæ humanæ, propemodùm infinitæ ſunt, ità ut contingenter abſque ſtudioſa ſelectione, imitatione, ac æmulatione vix in ſerie millies mille caſuum ſimilium eadem contingenter eveniant,

niant, ita vix unquam contingit, duos ſcriptores circa 400. differentialia latini ſermonis, præſertim recedentia à mediocritate puri ſermonis per defectum, in quibus locum non habet ſtudioſa imitatio, aut receſſio per exceſſum affectatum, conſtanter in diverſis libris, varietate materiarum & temporum ſejunctis, convenire. Cùm enim humanus intellectus ad paucas omnino rerum ideas conſtringatur, fieri ſolet, ut etiam circa pauca objecta communiter occupetur. Quantumcunque igitur diſcurrendo laboret, frequenter in eandem idearum ſylvam regreditur, frequenter ad objecta ſibi familiaria ac quaſi collectanea reſpicit, frequenter ad objecta cognata, connexa, ac ſimilia prioribus revolvitur, frequenter in conbinatione idearum veteres, notiores, familiares, ac magis obviæ ideæ ſeſe novis conceptibus, qua data porta, ingerunt, & quo locum opportunum reperiunt, ſeſe collocant; denique, quia ideæ ſemel in humano intellectu conjunctæ manent conjunctæ, frequenter fit, ut una harum idearum excitata excitetur & altera; & quia plerumque fit, quod pronum eſt fieri, ſolent ſpiritus relegere jam tritas memoriæ vias, ac premere jam nota veſtigia, verbô, humana attentio ſolet chorda ſemper oberrare eadem, in eodem rhombo conſiſtere, & minimè diviſa cauſarum connexione in eadem, vel ſimili, vel connexâ quoquô modô materiâ perſeverare. Itaque ſi in libris Kempiſianis & de *Imitatione* ejusmodi conformitas reperitur, idem ingenium, idem animi propoſitum; eundem etiam memoriæ, phantaſiæ, intellectus & voluntatis, ut ita dicam, modulum, verbô, unum eundemque authorem librorum de Imitatione & Kempiſium reperiri neceſſe eſt, quod ſequens deductio monſtrabit.

§. 197. De authoribus ex ſtylo dignoſcendis RR. Werlinus Præpoſitus Dieſſenſis jam ante centum annos annotavit illuſtrium ſcriptorum judicia, quæ annecto.

1. *M. Terentius Varro.*

Gellius lib. 3. cap. 3. Verum eſſe comperio, quod quosdam benè litteratos homines dicere audivi, qui plerasque Plauti comœdias curiosè atque contentè lectitaverunt, non indicibus Ælii Sedigiti, nec

Clau-

Claudii, nec Aurelii, nec Accii, nec Manilii ſuper his fabulis quæ dicuntur ambiguæ, credituros, ſed ipſi Plauto moribúsque ingenii atque linguæ ejus. Hac enim judicii norma Varronem quoque uſum videmus. Nam præter illas unam & viginti, quæ Varronianæ vocantur, quas idcirco à cæteris ſegregavit, quoniam dubioſæ non erant, ſed conſenſu omnium Plauti eſſe cenſeantur, quasdam item alias probavit, adductus ſtylô atque facetiâ ſermonis Plauto congruentis: eásque jam nominibus aliorum occupatas Plauto vindicavit. Sicuti iſtam, quam nuperrimè legebamus, cui nomen eſt Bœotia: nam cùm in illis una & viginti non ſit, & eſſe Aquilii dicatur; nihil tamen Varro dubitavit quin Plauti foret. Neque alius quiſquam non infrequens Lector dubitaverit.

2. *C. Julius Cæſar.*

Cicero lib. 9. ad fam. ep. 16. Ipſe Cæſar habet peracre judicium. Et ut Servius frater, quem litteratiſſimum fuiſſe judico, facile diceret, Hic verſus Plauti non eſt, hic eſt, quod tritas haberet aures notandis generibus poëtarum, & conſuetudine legendi: Sic audio Cæſarem, cùm volumina jam confecerit, ἀποφθεγμάτων, ſiquid afferatur ad eum pro meo, quod meum non ſit, rejicere ſolere.

3. *M. Tullius Cicero.*

Lib. 7. ep. 32. Ad Volumnium Eutrapelum. Quod ſine prænomine familiariter, ut debebas, ad me epiſtolam miſiſti; primùm addubitavi, num à Volumnio Senatore eſſet, quocum mihi eſt magnus uſus: deinde εὐτραπελία litterarum fecit, ut intelligerem tuas eſſe. *De Oratore* lib. 3. Natura nulla eſt (ut mihi videtur) quæ non habeat in ſuo genere res complures diſſimiles inter ſe, quæ tamen conſimili laude dignentur &c. At hoc idem, quod eſt in naturis rerum, transferri poteſt etiam ad artes. Una fingendi eſt ars; in qua præſtantes fuerunt Myro, Polycletus, Lyſippus, qui omnes inter ſe diſſimiles fuerunt, ſed ita tamen, ut neminem ſui velles eſſe diſſimilem. Una eſt ars ratióque picturæ; diſſimillimi tamen inter ſe Zeuſis, Aglao-

 phòn,

phon, Apelles; neque eorum quiſquam eſt, cui quidquam in arte ſua deeſſe videatur. Et ſi hoc in his quaſi mutis artibus eſt mirandum, & tamen verum: quanto admirabilius in oratione atque in lingua? quæ cùm in iisdem ſententiis verbisque verſetur, ſummas habet diſſimilitudines, non ſic ut alii vituperandi ſint, ſed ut ii quos conſtet eſſe laudandos; in diſpari tamen genere laudentur. Atque id primum in poëtis cerni licet (quibus eſt proxima cognatio cum oratoribus) quàm ſint inter ſeſe Ennius, Paccuvius, Accius que diſſimiles; quàm apud Græcos Aeſchylus; Sophocles, Euripides: quamquam omnibus par pænè laus in diſſimili ſcribendi genere tribuatur. Aſpicite nunc eos homines atque intuemini, quorum de facultate quærimus, quid interſit inter oratorum ſtudia atque naturas. Suavitatem Iſocrates, ſubtilitatem Lyſias, acumen Hyperides, ſonitum Aeſchines, vim Demoſthenes habuit. Quis eorum non egregius? tamen quis cujusquam niſi ſui ſimilis? Gravitatem Africanus, lenitatem Lœlius, aſperitatem Galba, profluens quiddam habuit Carbo & canorum. Quis horum non princeps temporibus illis fuit? & ſuo tamen quiſque in genere princeps. Etc.

4. M. Fab. Quintilianus.

Lib. 2. Cap. 9. Eſt in ingeniis incredibilis quædam varietas, nec pauciores animorum pænè, quàm corporum formæ. Quod intelligi etiam ex ipſis oratoribus poteſt, qui tantùm inter ſe diſtant genere dicendi, ut nemo ſit alteri ſimilis, quamvis plurimi ſe ad eorum quos probant, imitationem compoſuerint. Lib. 10. Cap. 1. Meſſala nitidus & candidus, & quodam modo præſeferens in dicendo nobilitatem ſuam, viribus minor. In C. verò Cæſare tanta vis eſt, id acumen, ea concitatio, ut illum eodem animo dixiſſe, quo bellavit, appareat.

Lib. 12. Cap. 10. Mihi orationis differentiam feciſſe & dicentium & audientium naturæ videntur. Et mox: Tranſeo plurimos, Lycurgum, Ariſtogitona, & his priores, Iſæum, Antiphontem, quos ut homines inter ſe genere ſimiles, differentes dixeris ſpecie.

5. M. Valerius Martialis.

Lib. 12. ep. 3. Quid titulum poſcis: verſus duo tresve legantur:
Clamabunt omnes, te, liber, eſſe meum.

6. *Fa-*

6. *Favorinus Philoſophus.*

Gellius loc. cit. Favorinus quoque noſter, quum Nervolariam Plauti legerem, quæ inter incertas eſt habita, & audiſſet ex ea comœdia verſum quemdam delectatus faceta verborum antiquitate, vel unus, inquit, hic verſus Plauti eſſe hanc fabulam ſatis poteſt fidei eſſe.

7. *Aulus Gellius.*

Lib. cit. Nos quoque ipſi nuperrimè, quum legeremus Fretum (nomen eſt id comœdiæ, quam Plauti eſſe quidam non putant) haud quidquam dubitavimus quin Plauti foret, & omnium maximè genuina.

8. *S. Gregorius Nazianzenus* de ſuomet ſtylo ita loquitur.

Epiſt. 208. ad Nicobulum. Quemadmodum cum ingenuo partu, ita cum oratione, pater, una ſemper apparet: non minus quam ii qui procrearunt, corporeis notis ut plurimum innoteſcunt.

9. *S. Hieronymus.*

Epiſt. 66. ad Rufinum. Præfatiuncula librorum περὶ ἀρχῶν ad me miſſa eſt, quam ex ſtylo intellexi tuam eſſe.

Lib. 3. adv. Pelagium. Hæc duo Capitula orationis & laudis, ſoles cum tuis jurare diſcipulis non eſſe tua, cùm perſpicuè in eis ſtyli tui ſplendor eluceat. Ep. 13. apud S. Aug. Ego ſimpliciter fateor dignationi tuæ, licet ſtylus & ἐπιχειρήματα tua mihi viderentur, tamen non temerè exemplaribus litterarum credendum putavi.

Ep. 21. ad Paul. concord, Miſimus interim te tibi, id eſt, Paulo ſeni Paulum ſeniorem; in quo propter ſimpliciores quosque multum in dejiciendo ſermone laboravimus. Sed neſcio, quomodò etſi aqua plena ſit, tamen eundem odorem lagena ſervat, quo, dum rudis eſſet, imbuta eſt.

Lib. 2. contra Rufin. Stylum meum, qualiſcunque eſt, & formam eloquii, vir diſertiſſimus exprimere non potuit, ſed inter ipſas præſtigias & alterius perſonam, qua ſe fraudulenter induerat, quis eſſet oſtendit.

Lib. de Script. c. 68. *Minutius Felix,* Romæ inſignis cauſidicus, ſcripſit dialogum Chriſtiani & ethnici diſputantium, qui *Octavius* inſcribitur. Sed & aliud ſub nomine ejus fertur de fato vel contra mathematicos: qui cùm ſit & ipſe diſerti hominis, non mihi videtur cum ſuperioris libri ſtylo convenire. Lege etiam Cap. 35. 42. 10.

10. S. *Auguſtinus epiſt.* 48.

Stylus ejus (S. Cypriani) habet quamdam propriam faciem, qua poſſit agnoſci. 11. C. *Sollius Apollinaris Sidonius*.

Lib. 1. ep. 1. *De M. Tullio* ſilere me in ſtylo epiſtolari meliùs puto, quem nec Julius Titianus ſub nominibus illuſtrium fœminarum digna ſimilitudine expreſſit. Propter quod illum ceteri quique Frontonianorum, Oratorum Simiam nuncupaverunt.

L. 4. ep. 3. de Claudiano Mamerto. Sentit ùt Pythagoras, dividit ùt Socrates, explicat ùt Plato, implicat ùt Ariſtoteles, ùt Aeſchines blanditur, ut Demoſthenes iraſcitur, vernat ùt Hortenſius, æſtuat ùt Cethegus, incitat ùt Curio, moratur ùt Fabius, ſimulat ut Craſſus, diſſimulat ùt Cæſar, ſuadet ùt Cato, diſſuadet ùt Appius, perſuadet ùt Tullius. Jam ſi ad ſacroſanctos Patres pro comparatione veniatur, inſtruit ùt Hieronymus, deſtruit ùt Lactantius, adſtruit ùt Auguſtinus, attollitur ut Hilarius, ſubmittitur ut Joannes, ut Baſilius corripit, ut Gregorius conſolatur, ut Oroſius affluit, ùt Rufinus ſtringit, ùt Euſebius narrat, ùt Eucherius ſollicitat, ùt Paulinus provocat, ùt Ambroſius perſeverat. Lib. 7. ep. 18. Ita mens patet in Libro, ſicut vultus in ſpeculo.

12. *Magnus Aurelius Caſiodorus Senator*. Divinar. inſtitut. cap. 6. Quidam etiam eſt anonymus, ex cujus ſtylo beatum eſſe ſuſpicamur Hilarium, qui commenta libri ipſius (S. Job) ſcripſit in ordinem.

13. *Photius Conſtantinopolitanus*. In Bibliotheca, pag. 832. Hæc oratio Chryſoſtomi nomine inſcribitur, non tamen mihi ejus eſſe videtur. Argumentis enim, modoque ſcribendi, multum à reliquis ejus orationibus diſtinguitur.

§. 198. Ipſam artem methodicè ex ſtylo Authores dignoſcendi tradidi fusè in mea *Arte Critica*, quam tanquam præcipuam Logicæ partem inſerui *Philoſophiæ Pollinganæ*. Ars ea conſiſtit potiſſimum in eo, ut omnes partes lat. ſermon. quarum præcipuas inferius in fine videlicet §. 220 &c. &c reperies, diſtinctè in quovis authore conſiderentur, in data quavis arbitraria vocularum aut ſyllabarum v. g. 1000. 2000. 3000. 10000. &c. collectione numerentur; & in diverſis Scriptoribus ad invicem comparentur. Ex hac collatione ad invicem patebit, eundem authorem in diverſis Scriptis differre poſſe à ſeipſo; diverſos autem Scriptores circa omnia differentialia ſeu idiotica ſtyli convenire nunquam.

§. 199 Hac ergo methodo jam comparationem inter ſtylum authoris librorum de Imitat. & inter ſtylum Kempiſianum aggredior. PARAL-

PARALLELUM
INTER SCRIPTA AUTHORIS
DE IMITATIONE
ET KEMPISIANA

COLUMNA
PRIMA EXHIBET IDIOTISMOS REPERIBILES
IN LIBRIS

DE IMITATIONE,

SECUNDA
OSTENDIT TEXTUS VEL TERMINOS PARALLELOS REPERIBILES IN ALIIS OPERIBUS KEMPISII.

PARALLELUM.

Ex LIBRIS DE IMITATIONE.	Ex ALIIS OPERIBUS THOMÆ K.
§. 200.	
1. *In ingreſſu cujusque libri ſolet ponere textum ſcripturæ.*	1. Idem ſolet obſervare in omnibus ſuis opuſculis, & ſermonibus.
l. 1. c. 1. Qui ſequitur me non ambulat in tenebris. Jo. 8.	Serm. ad Novit. Ecce quàm bonum & quam jucundum Pſalm. 132.
l. 2. c. 1. Regnum Dei intra vos eſt. Luc. 17.	Serm. de Nativ. ſcrutamini ſcripturas. Joa. 5.
l. 3. c. 1. Audiam quid loquatur in me Deus. Pſ. 84.	Hort. c. 1. Cum Sancto Sanctus eris. Pſ. 17.
l. 4. c. 1. Venite ad me omnes, qui laboratis, &c. Math. 11.	Vall. c. 1. Ego flos campi. Cant. 2.
	Taber. c. 1. Patientia pauperum non peribit in finem. Pſ. 9.
	Diſcipl. c. 1. Apprehendite diſciplinam. Pſ. 2.
	Diſpenſ. §. 1. Hic jam quæritur inter Diſpenſatores. S. Paul.
	Hoſpit. c. 1. Dominus regit me, Pſ. 22.
	Dial. Nov. Colligite, quæ ſuperaverunt fragmenta. Jo. 6.
	Exercit. c. 1. Renovamini Spiritu. Eph. 4.
	Doctr. c. 1. Fili, à juventute excipe Doctrinam. Eccli. 6.

Recog.

	Recog. c. 1. Cognovi Domine, quia æquitas judicia tua. Pſ. 118.
	Enchir. c. 1. Via juſtorum recta. Sap. 10. Oſ. 14.
	Man. parv. c. 1. Sinite parvulos venire ad me. Math. 11.
	Elev. c. 1. Vacate & videte, quoniam ego ſum Deus. Pſ. 45.
§. 201.	
2. *ſolet ſe reſtringere ad Aſcetica.*	2. Idem facit in omnibus aliis libris.
§. 202.	
3. *dirigit ſua Aſcetica ad Religioſos.* l. 1. c. 17. ex inſtituto tractat de *Monaſtica vita.* per decurſum frequenter agit de obedientia, cuſtodia cellæ, ſilentio, vita religioſa, & l. 4. c. 19. Codicis MSS. Pollingani dicit. *Ut Religioſæ perſonæ, quibus principaliter hoc ſtudium dedicavi.*	3. Idem facit in *Sermonibus ad Novitios*, in *dialogo Novitiorum. Enchiridio Monachorum; de fideli diſpenſatore*, ſeu Cellario. *de Silentio* & fere omnibus opuſculis.
§. 203.	
4. *in materia aſcetica tantùm verſatur circa veritates univerſaliſſimas, & in particulari maxime circa actiones religioſas quotidianas.*	4. Idem facit in aliis opuſculis, inſpiciamus & conferamus titulos & materiam Capitum.
l. 2. c. 3. de bono pacifico homine.	Serm. ad Novit. p. 1. S. 1. *de concordia fratrum.*
l. 1. c. 16. de ſufferentia defectuum aliorum.	S. 5. De Patientia conſervanda inter deſides & perverſos.

l. 3. c. 45. de facili lapſu verborum.	S. 7. De Cuſtodia oris.
l. 1. c. 10. de cavenda ſuperfluitate verborum.	S. 9. de periculo ex multiloquio.
l. 3. c. 40. quod homo de nullo gloriari poteſt.	S. 8. & p. 2. S. 8. de vana gloria cavenda.
l. 3. c. 41. de contemptu omnis temporalis honoris.	
l. 1. c. 9. de obedientia & ſubjectione.	S. 7. de obedientia ſuperioris.
l. 2. c. 2. de humili ſubmiſſione.	S. 8. p. 2. de humili obedientia ſectanda.
l. 3. c. 3. de obedientia humilis ſubditi.	
l. 1. c. 12. de utilitate adverſitatis.	Part. 2. S. 1. de multis tribulationibus juſtorum.
l. 1. c. 21. de compunctione cordis.	Part. 2. S. 4. de cauta cuſtodia cordis.
l. 3. c. 25. in quibus pax cordis conſiſtat.	
l. 3. c. 27. oratio, pro purgatione cordis.	
l. 3. c. 33. de inſtabilitate cordis.	
l. 3. c. 37. de reſignatione ad obtinendam cordis libertatem.	
l. 1. c. 13. de tentationibus reſiſtendis.	Part. 2. S. 6. de cauta cuſtodia contra tentationes.
l. 3. c. 35. quod non eſt ſecuritas à tentatione in hac vita.	
l. 1. c. 23. de judicio.	Part. 2. S. 7. de diſtricto Dei judicio.
l. 3. c. 14. de occultis Dei judiciis.	
l. 1.	Part.

l. 1. c. 22. de conſideratione humanæ miſeriæ.	Part. 2. S. 10. de variis bellis & periculis hujus vitæ.
l. 3. c. 12. de informatione patientiæ.	
l. 3. c. 20. de propria infirmitate & hujus vitæ miſeriis.	
l. 3. c. 35. quod non eſt ſecuritas à tentatione in hac vita.	
l. 2. c. 11. de paucitate amatorum crucis.	Part. 3. S. 1. de cruce quotidie tollenda.
l. 2. c. 12. de Regia via ſanctæ Crucis.	
l. 3. c. 56. quod Chriſtum imitari debemus per crucem.	In *Soliloquio*
l. 3. c. 21. quod in Deo ſuper omnia bona requieſcendum.	c. 1. de deſiderio animæ quærentis Deum.
l. 1. c. 23. & l. 3. c. 14. ſupra.	c. 2. de diſtricto Dei judicio.
l. 1. 22. de conſideratione humanæ miſeriæ.	c. 5. de brevitate & miſeria præſentis vitæ.
l. 3. c. 47. quod omnia gravia pro æterna vita ſunt toleranda.	c. 6. de anhelatione æternæ vitæ.
l. 3. c. 49. de deſiderio æternæ vitæ.	
l. 1. c. 23. de meditatione mortis.	c. 7. de optatione bonæ mortis.
l. 3. c. 31. de neglectu omnis creaturæ.	c. 9. de elongatione à creaturis.
l. 1. c. 1. de contemptu omnium vanitatum mundi.	c. 8. de mortuo mundo.
l. 3. c. 16. quod verum ſolatium in ſolo Deo quærendum.	c. 10. de contemptu omnium conſolationum terrenarum.
l. 3. c. 10. quod ſpreto mundo dulce eſt ſervire Deo.	c. 11. de magna dulcedine, & conſolatione in Deo.

l. 3. c. 27. quod privatus amor à ſummo bono retardat.	c. 12. de unico & ſummo bono quærendo.
l. 3. c. 9. quod omnia ad Deum ſicut ad finem ultimum ſunt referenda.	
l. 2. c. 9. de carentia omnis ſolatii.	c. 13. de ſubtractione gratiæ.
l. 3. c. 52. quod homo reputet ſe conſolatione indignum.	c. 14. de triſtitia animæ abſente dilecti gratia.
l. 3. c. 55. de efficacia divinæ gratiæ.	c. 17. de reſponſione dilecti, quæ ſit ratio receſſus ſui.
l. 3. c. 30. de divino petendo auxilio & confidentia recuperandæ gratiæ.	c. 18. de fiducia divinæ miſerationis.
l. 3. c. 48. de die æternitatis, & hujus vitæ anguſtiis.	c. 9. de unione animæ cum Deo.
l. 3. c. 49. de deſiderio æternæ vitæ, & quanta bona ſunt promiſſa.	c. 19. de deſiderio divinæ fruitionis.
l. 3. c. 34. quod amanti Deus ſapit ſuper omnia.	c. 20. de gemitu animæ ex dilatione gloriæ.
	c. 21. de memoria cœleſtis patriæ.
l. 2. c. 10. de gratitudine pro gratia Dei.	c. 25. de reddendis gratiis pro acceptis beneficiis.
l. 3. c. 22. de recordatione multipliciorum beneficiorum Dei.	
	In Hortulo Roſarum
l. 1. c. 4. de prudentia in agendis, ubi etiam de ſocietate.	c. 1. de bona ſocietate quærenda.
l. 1. c. 8. de cavenda nimia familiaritate. Ubi de bonis ſociis.	
l. 1. c. 1. de contemptu mundi.	c. 2. de fuga ſæculi.
l. 3. c. 31. de neglectu omnis creaturæ.	

l. 1. c. 3. de doctrina veritatis.	c. 3. de vera ſapientia apud Deum quærenda.
l. 3. c. 2. quod veritas intus loquitur.	
l. 3. c. 43. contra vanam & ſæcularem ſcientiam.	
l. 3. c. 27. oratio, pro cœleſti ſapientia.	
l. 1. c. 6. de inordinatis affectionibus.	c. 4. de pugna contra propria vitia.
l. 1. c. 13. de tentationibus reſiſtendis.	
l. 1. c. 12. de luctamine adverſus concupiſcentias.	
l. 3. c. 3. oratio, ad implorandam devotionis gratiam.	c. 5. de devotionis gratia acquirenda.
l. 1. c. 5. de lectione ſanctarum ſcripturarum.	c. 6. de auditione & lectione divini ſermonis.
l. 3. c. 29. qualiter inſtante tribulatione Deus invocandus & benedicendus.	c. 7. de divina conſolatione in tribulatione.
l. 2. c. 6. de lætitia bonæ conſcientiæ.	c. 8. de gaudio bonæ conſcientiæ.
l. 1. c. 19. de exercitiis boni religioſi.	c. 9. de bonis moribus humilis fratris.
l. 3. c. 33. de inſtabilitate cordis.	c. 10. de inſtabilitate humani cordis.
l. 3. c. 38. de recurſu ad Deum in periculis.	c. 11. de fiducia in Deo habenda tempore anguſtiæ.
l. 3. c. 50. qualiter homo tribulatus ſe debet in manus Dei offerre.	

l. 3. c. 29. qualiter inſtante tribulatione Deus invocandus.	
l. 3. c. 30. de confidentia recuperandæ gratiæ.	
l. 3. c. 59. quod omnis fiducia in Deo eſt figenda.	
l. 1. c. 5. de lectione S. Scriptur.	c. 12. de virtute orationis, & utilitate ſacræ lectionis.
l. 3. c. 3. c. 15. c. 23. c. 27. oratio.	
l. 1. c. 15. de operibus ex charitate factis.	c. 13. de fructibus charitatis.
l. 3. c. 5. de effectibus divini amoris.	
l. 1. c. 13. de tentationibus reſiſtendis.	c. 14. de vigili cura contra tentationes.
l. 3. c. 12. de luctamine contra concupiſcentias.	
l. 3. c. 57. quod homo non ſit nimis abjectus, dum labitur in defectus.	
l. 1. c. 16. de ſufferentia defectuum aliorum.	c. 15. de fraterno onere invicem portando.
l. 3. c. 7. de amore JESU ſuper omnia.	c. 16. de amore Chriſti & odio mundi.
l. 1. c. 1. de Imitatione Chriſti.	c. 17. de Imitatione ſanctiſſimæ vitæ Domini noſtri Jeſu Chriſti.
l. 3. c. 56. quod imitari Chriſtum debemus.	
l. 3. c. 18. quod miſeriæ exemplo Chriſti ferendæ.	
	IN VALLE LILIORUM.
l. 3. c. 3. Ego fortis probator omnium devotorum.	c. 3. de probatione devotorum per contraria.

l. 1. c. 4.

l. 1. c. 12. de utilitate adverſitatis & l. 1. c. 13. ubi etiam agitur de hac probatione.	
l. 3. c. 6. de probatione veri amatoris.	c. 4. de vero amatore Dei.
l. 1. c. 11. de pace acquirenda.	c. 8. de pace cordis, & quiete in Deo.
l. 3. c. 23. de quatuor magnam importantibus pacem.	
l. 3. c. 25. in quibus pax cordis conſiſtit.	
l. 3. c. 42. quod pax non eſt ponenda in hominibus.	
l. 2. c. 1. de interna converſatione.	c. 9. de recollectione cordis cum Deo.
l. 3. c. 1. de interna Chriſti locutione ad animam.	
l. 1. c. 23. de pænis peccatorum.	c. 11. de timore æternæ pœnæ, contra vitia.
l. 1. c. 20. de amore ſolitudinis & ſilentii.	c. 18. de ſolitudine & ſilentio.
l. 1. c. 17. de vita monaſtica.	c. 23. de bonis moribus humilis monachi.
l. 1. c. 18. de moribus boni religioſi.	

Verùm nimis longum foret omnes alios titulos ad parallelum ducere; tantum hic recenſebo titulos capitum, quos Thomas K. in aliis ſuis opuſculis adhuc poſuit.

IN VALLE LILIORUM.

C. 6. de conformitate animæ cum Crucifixo. l. 3. c. 18. c. 7. de ambulatione animæ puræ cum Deo. l. 2. c. 8. c. 10. de vigilatione & oratione contra tentationes. l 1. c. 13. c. 12. de memoria dominicæ paſſionis. l. 2. c. 1. & l. 2. c 12. c. 14. de forti certamine contra vitia l. 1. c. 13. c. 15. de ſtabilitate in loco & ordine. c. 16. de

divino ſolatio in tribulatione. c. 17. de cuſtodia conſcientiæ. c. 18. de ſilentio. c. 19. de refugio pauperis ad Deum. c. 20. de claro intellectu ſacræ ſcripturæ. c. 24. de provida locutione & fraterna compaſſione. c. 25. de incerta hora mortis. c. 28. oratio devoti amatoris Dei. c. 29. de unione cordis cum Deo habenda. c. 30. de vera pace in ſolo Deo. c. 31. de recta intentione ad Deum. c. 33. de bona ſocietate cum JEſu. c. 34. de ſummo bono & ultimo fine in Deo ponenda.

DE TRIBUS TABERNACULIS.

C. 2. de humilitate. c. 3. de patientia.

DE DISCIPLINA CLAUSTRALIUM.

C. 4. de obedientia humilis ſubditi erga Prælatum ſuum. c. 5. de cuſtodia cordis & reditu ad interiora. c. 6. de cuſtodia oris, & exercitio laboris. c. 7. de commendatione cellæ & ſolitudinis. c. 16. de deſiderio animæ ad cœleſte regnum.

DE FIDELI DISPENSATORE.

C. 12. de cuſtodia oris. c. 15. de non credendis novitatibus & aliis referendis.

IN HOSPITALI PAUPERUM.

C. 1. de contemptu omnium mundanorum bonorum. c. 4. de inſtabilitate humani cordis. c. 5. de obedientia ſimplicis ac humilis fratris. c. 12. de vitio vanæ gloriæ.

IN SPIRITUALIBUS EXERCITIIS.

C. 1. de fervida exhortatione ad virtutes. c. 2. de firmo propoſito ſervando per diem. c. 3. de elevatione & directione cordis ad Deum. c. 4. de cuſtodia cellæ, & ſenſuum exteriorum. c. 7. de otio vitando, & fabulis. c. 8. de beneplacito Dei & confidentia in adverſis. c. 9. de examinatione conſcientiæ. c. 12. de virtute ſanctæ obedientiæ.

IN DOCTRINALI JUVENUM.

C. 1. de commendatione S. Scripturæ. c. 10. de moribus humilis fratris. c. 11. de abnegatione ſui & omnium rerum. c. 12. de deſiderio cœleſtium gaudiorum.

IN

In Libro DE VERA COMPUNCTIONE CORDIS titulus libri ſat loquitur.

DE SOLITUDINE ET SILENTIO.

C. 5. de amore ad ſolitudinem & Secretum. c. 7. contemptus conſolationum extranearum, c. 16. reprobatio temporalis ſolatii. c. 17. commendatio dulcedinis cœleſtis, quæ eſt in Chriſto JEſu. c. 18 de de familiaritate cum JEſu. c. 19. de laude patientis adverſa cum JEſu. c. 20. de ſolatio habendo cum Chriſto JEſu. c. 23. de quiete cellicolæ. c. 24. de incluſorio & ſecreto cordis in omni loco.

In Libro DE RECOGNITIONE PROPRIÆ INFIRMITATIS.

C. 1. de recognitione propriæ infirmitatis. c. 2. de contemptu vanæ gloriæ. c. 3. de fideli amico. c. 4. de ſupportatione fraternæ infirmitatis. c. 5. de ſpirituali inopia ex ſubtractione ſuavitatis internæ. c. 6. de humili ſubjectione, & propria reſignatione. c. 7. de laude DEI in tribulatione.

In Enchiridio Monachorum.

C. 2. de cuſtodia cordis & oris. c. 4. de certamine contra quotidiana vitia. c. 6. de vera & interna conſolatione animæ. c. 7. de recollectione cordis in ſilentio oris. c. 10. de vera pace cordis.

IN MANUALI PARVULORUM.

C. 2. de doctrina JEſu. c. 5. de humilitate S. Franciſci. c. 7. de brevitate omnis rei ſub cœlo. c. 13. de arcta cuſtodia cordis & oris. c. 15. de æternæ vitæ præmio promerendo.

Hæc omnia Capitula, nullo omnino excepto, continentur in libro de Imitatione; imo liber de Imitatione nihil aliud eſt, quam Collectio omnium horum Capitulorum, ita ut opera Thomæ Kempenſis nihil aliud videantur, quam diffuſior libri de Imitatione explicatio, præciſè addito ſubinde uno vel altero articulo. Verum ad alia puncta, quæ in conſideratione materiæ perpendenda ſunt, progredior. Itaque

IN LIBRO DE IMITATIONE.	IN OPERIBUS THOMÆ K.
§. 204. 5. *Materia eſt captui ſimplicium accomodata. Non inflatur phraſibus, figuris, tropis, eruditione, numero, aut methodo ſcientifica,* intendente ac fatigante memoriam. Neque agit de objecto ullo, antecedenter plebi inconito.	5. Idem eſt in aliis operibus. Agit de pace cordis, conſolatione deſolatione, oratione, tentationibus, adverſitatibus, ſilentio, morte, judicio, pœnis, præmiis, vanitate mundi &c. Hæc omnia ſunt objecta, quorum plebs ſine ulla definitione aut explicatione ſufficientem ideam ac notionem habet. Et hoc plane inter ſingulares Thomæ K. dotes eſt, quod prorſus nunquam immiſceat textum primum explicationis indigum, aut factum hiſtoricum, aut dogma ſcientificum, aliquo modo tranſcendens præviam plebis notitiam.
§. 205. 6. *Multa paucis dicit; quia nec periodis, nec epithetis, nec ſynonimis creſcit.*	6. Idem eſt in aliis operibus.
§. 206. 7. *Nunquam materiam methodica diviſione in certa membra dividit, aut in locos diſtribuit.* v. g. l. 1. c. 2. ait 1. *Omnis homo naturaliter ſcire deſiderat.* 2. *Sed ſcientia ſine timore Dei quid importat?* 2. *Me-*	7. Idem eſt in omnibus operibus. Tantum nuda recenſione proponit ſuas cogitationes, quarum una poſt alteram nullo certo nexu aut conſilio naſcitur, ut non provocatæ, ſed caſu enatæ

3. *Melior eſt profectò humilis ruſticus qui Deo ſervit, quàm ſuperbus Philoſophus, qui ſe neglecto curſum cœli conſiderat.* 4. *Qui benè ſeipſum cognoſcit, ſibi ipſi vileſcit, nec laudibus delectatur humanis.* 5. *Si ſcirem omnia, quæ in mundo ſunt, & non eſſem in charitate, quid me juvaret coram Deo.* 6. *Quieſce à nimio ſciendi deſiderio, quia magna ibi invenitur diſtractio.* Quis poſt primam harum ſententiarum exſpectaret ſecundam? aut tertiam poſt ſecundam? quælibet alteri ex improviſo veluti è machina cœlitus delapſa ſuccedit. Ex hoc ipſo verò ſequitur

tæ videantur. Rarò ex ſententia præcedente ſperatur conſequens. Et hic modus tractandi materiam eſt aliquid non multis authoribus commune.

§. 207.

8. *Membra materiæ confusè proponit; ut nec facile dici poſſit, an initium ac prima ſententia primum, medium, ultimumve locum occupare rectius poſſit.* Tales libri hoc ſpeciale habent, ut quis lectionem inchoare poſſit ubi voluerit, in medio, aut in fine. Adeoque non ſunt opus ſtudii, ſed pia lumina, quæ ſicut ſtellæ, nonniſi noſtro arbitrio in certas conſtellationes ac ſyſtemata reduci poſſunt.

8. Idem fit in aliis operibus, niſi aliquot ſermones exceperis, v. g. de diſcipl. clauſt. c. 7. de commendatione cellæ ſic ait: 1. *Qui cellam amat, & libenter in ea commoratur, à multis peccatis & tentationibus cuſtoditur.* 2. *Quanto ſtudioſius inhabitatur, tanto plus placet & amatur.* 3. *Benè illi, qui eam diligit, & incolit, quia unctio ſpiritus eum docebit.* 4. *Beatus, cui inhabitare cellam donatum eſt, & qui*

uſque ad terminum vitæ in eaperſeverat. Non redolet habitum diſcurſivum logicum, quo unum infertur ex alio, ſed intellectum angelicum, quo unum intelligitur poſt alterum.

§. 208.

9, *Sicut in hoc Authore nec diviſio, nec ordo, nec ſyſtema locum habet, ita nec ſcopus datur, ad quem ſingula membra relata uno obtutu mentis comprehendi poſſint.*

9. Idem in aliis opuſculis.

§. 209.

10. *Materiam breviſſimè tractat, quia nec opus habet ſuppoſitorum, axiomatum & poſtulatorum explicatione, nec definitione, nec diviſione, nec probatione, nec ornatu Rhetorico ad perſuadendum.* Verſatur enim circa eas veritates, quæ, ut conſpiciuntur, approbantur, quin verius, tantum admonet animum de præcipuis veritatibus, jam antecedenter cognitis; prout enim Socrates dicere ſolebat, ſe arte obſtetricia eas veritates educere, quæ jam in aliorum animis laterent; ita videtur hic libellus comparatus, inſigniter brevis.

10. In aliis opuſculis plus rerum, non verborum habet; attingit circumſtantias magis particulares; addit novas obſervationes, & alia connexa quandoque objecta tangit. Brevitas itaque eadem eſt, materiæ verò major copia.

§. 210. C. II.

§. 210.

C. 11. *Varietate rerum, eaque conſtanter delectatur, nulla eſt propoſitionis pars. aut nova propoſitio, quæ non retegat novum objectum, aut novam objecti circumſtantiam nova ac ſpeciali attentione dignam,* v. g. l. 1. c. 16. ſic habet: *Quæ homo in ſe, vel in aliis emendare non valet, debet patienter ſuſtinere, donec Deus aliter ordinet. Cogita, quia ſic forte melius eſt pro tua probatione & patientia, ſine qua non ſunt multum ponderanda merita noſtra; debes tamen pro talibus ſupplicare, ut Deus tibi dignetur ſubvenire, & poſſis benignè portare.* Hic in ſingulis propoſitionum propemodum particulis ſpecialiter excitatur nova attentio ad novum objectum, ubique aliquid novi diſcimus; ſeu moniti advertimus.

C. 11. Ea rerum varietas in aliis operibus eſt perpetua. Nequit unquam author in eodem conſiſtere; currit velocitate mira ab uno objecto ad alterum; & quia objecta non ſunt difficilia captu, libenter patitur ſe rapi, ac exerceri humani intellectus in diſcurrendo activitas, v. gr. de recognitione propr. fragil. c. 4. ſic habet: *Optima doctrina patientia in anguſtiis. Pronus ad vindictam non effugiet iram. Qui ſemper vult vindicare, paucos habebit amicos. Diſpliceat ſemper malum, placeat tolerantia mali.*

§. 211.

12. *Præ omnibus aliis objectis frequentius ad ſequentia reſpicit.* 1. *Ad vanitates, miſerias, tentationes, ac pericula mundi hujus.* 2. *Ad quietem, recollectionem, pacem, conſolationem, ac internam converſationem mentis.* 3. *Ad adju-*

12. Idem facit in aliis opuſculis: prout ex titulis Capitum ſupra memoratis colligi poteſt. In dialogo Novitiorum, & in ſermonibus ſemper immiſcet exempla, maximè domeſtica. Et in ultima parte operum deſcribit

adjutorium gratiæ. 4. *Ad exempla Chriſti, ſanctorum, & devotorum.* 5. *Ad noviſſima præcipue vitam æternam.* Hæc objecta totum explent animum authoris, & detinent attentionem illius.

§. 212.

13. *Occupatur in expendendis adjunctis rei; ſine ſtudio tamen ac fatigatione, quia tantum expendit illa Adjuncta rei, quæ parùm attento, ac felicis ingenii obvia ſunt. De ſcrutandis eſſentiis rerum ac inveſtigandis cauſis ne ſollicitus quidem eſt.* v. g. l. 3. c. 41. *Fili, humanum ne metuas judicium, ubi te conſcientia pium reddit & inſontem. Multi multa loquuntur, & ideo parva fides eſt adhibenda. Sed & omnibus ſatis eſſe, non eſt poſſibile. Etſi Paulus omnibus ſtuduit placere, ſed ne ab aliis judicaretur, & deſpiceretur, cobibere non potuit. Quis tu, ut timeas à mortali homine? hodie eſt, & cras non comparet. Quid poteſt aliquis in te verbis vel injuria? ſibi potius nocet quàm tibi.*

§. 213.

bit multas vitas devotorum ſui inſtituti.

13. Idem conſiderationis modus ex aliis opuſculis relucet, v. g. de Recog. c. 3. de veraci amico ſic ait: *Eſto bonus & fidelis, & invenies amicum fidelem: ſine Deo nulla amicitia ſtabit. Multi amici in proſperis, in adverſitate vix unus adhærebit. Suſtine verbum amici, & memento, quia homo eſt, ſicut & tu. Quod non vis ſciri, dicito nulli. Arduum & rarum celare verbum. Sic refer ſecretum, ut non erubeſcas, cùm fuerit detectum. Qui neſcit tacere, non diu ſervabit amicum.* Ex his patet, Thomam K. tantum conſiderare Adjuncta rei, quæ communiter rei adhærent, & parum attento obvia ſunt, ſed tamen memoriâ digna, & directiva in praxi per modum regulæ generalis, cujus natura eſt, ut nos moneat de veritate aliàs non obvia ob defectum attentionis, & ut facile ſit applicabilis.

§. 213.

§. 213.
De inventione, conſilio & affectibus authoris.

14. Ingenium authoris fœcundum eſt in cogitando. Id apparet ex eo, quia profert copiam ſententiarum ingentem. 2. Quia profert ſententias inexſpectatas. 3. Quia multa rerum adjuncta conſiderat, quæ ſtatum rei ad vivum menti objiciunt. 4. Quia tam promptus eſt ad affectus, & ſubitas admirationes, quæ vivam phantaſiam ac imaginationem feracem requirunt: nemo enim movetur ad affectus, niſi prævia admiratione objecti mediante. 5. Quia varietate rerum perpetua delectatur. v. g. l. 1. c. 3. O veritas Deus, fac me unum tecum in charitate perpetua. Tædet me multà ſæpè legere, & audire, in te eſt totum quod volo & deſidero. Taceant omnes Doctores, ſileant univerſæ creaturæ in conſpectu tuo, tu mihi loquere ſolus. Non eſt culpanda ſcientia, ſed præferenda eſt bona conſcientia, & virtuoſa vita. Quia verò plures magis ſtudent ſcire, quàm benè vivere, ideo ſæpe errant. O ſi tantam adhiberent diligentiam ad extirpanda vitia,

14. Idem relucet ex aliis operibus, v. g. de diſcipl. c. 13, ait: Optimum exercitium, & ſuaviſſimum ſolatium, quod in hac vita poteſt haberi, eſt vita & paſſio Domini N. J. Chriſti. Quia docet hominem ſine errore & multis argumentis, quod in aliis ſcientiis rarò invenitur. Diſce ergo ad ejus amorem & honorem juncta exercitia tua trahere & ordinare, & tanquam præſentem JEſum in omni loco & tempore attende. Conforma te ſanctiſſimæ vitæ Jeſu, ejus paupertatem, humilitatem, patientiam, & contemptum mundi pro modulo tuo imitando. O dulce & ſalutare verbum, nunquam oblivioni tradendum! quam felix eſt anima ſancta, cui Chriſtus totum eſt, quidquid vivit! verè vivit, & beatè vivit, cui Chriſtus eſt omnia in omnibus, & ſuper omnia ſingulariter dilectus! qui magis in Chriſto, quàm in ſeipſo manet, nihil de ſeipſo tenens, ſed in Chriſto dulciter ac fruitivè quieſcens.

15. Idem

vitia, ſicut ad movendas quæſtiones.

§. 214.

15. *Authoritatibus ferè nullis utitur, niſi ex ſcriptura, & textibus, qui habentur in Breviario.*

15. Idem in aliis.

§. 215.

16. *Exemplis ferè nullis utitur niſi Chriſti, Sanctorum, præcipuè Abrahami, Davidis, Moyſis, S. Joannis, S. Pauli, S. Agathæ, S. Agnetis, & devotorum quibuscum vixit,* v. g. l. 4. c. 1. *O dulce & amicabile verbum in aure peccatoris, quod tu Domine Deus egenum & pauperem invitas ad communionem tui ſanctiſſimi Corporis; Et quis ego ſum, ut ad te præſumam accedere? Ecce Noe vir juſtus in arcæ fabrica centum annis laboravit, & ego quomodo potero me una hora præparare? Moyſes famulus tuus magnus arcam mundiſſimo veſtivit auro, & ego putrida creatura &c.*

16. Idem alibi, v. g. de Incarn. ſ. 2. *O quanto deſiderio olim ardebant S. Patriarchæ & Prophetæ de ſola futura promiſſione. Pudendum nobis eſt valde, ſi minori nunc flagremus deſiderio ad exhibitam Chriſti præſentiam, quando illi ſic ardebant ad ſolam verbi incarnandi memoriam. Exultavit Pater Abraham, ut videret diem Chriſti; ſimiliter autem & alii multi antiqui ſancti idipſum frequenter deſideraverunt &c.*

§. 216.

17. *Corpus doctrinæ videtur in eo conſiſtere, ut homo ſpretis omnibus vanitatibus mundi, etiam ſcientiis nihil aliud quærat, quàm in hac vita quietem & conſolationem internam, in altera Deum ſolum.*

17. In idem ſyſtema omnia alia Thomæ K. dogmata reſolvi poſſunt, ut patet inſpicienti titulos Capitum ſupra recenſitos.

Ad 18. Idem

Ad quietem vero neceſſariam eſſe recollectionem internam, & gratiam, ad quæ conferunt patientia, ſolitudo, familiaritas cum JEſu, devotio. Hinc in l. 1. abducit animum à vanitatibus, à ſcientiis, & vitiis per varia media, etiam per conſiderationem mortis, judicii, pœnarum; in l. 2. & 3. frequenter agit de ſolitudine, recollectione interna, familiaritate cum JEſu, patientia, ſolatio, gratia, deſiderio æternorum. In l. 4. totus occupatur in unione cum JEſu Eucharistico in hac vita.

§. 217.

18. *Omnia ordinat ad quietem, & ſolatium mentis in hac vita, & fruitionem Dei in altera vita.*

18, Idem in aliis opuſculis, ut ex titulis Capitulorum patet.

§. 218.

19. *In affectuum teneritudine, mobilitate, converſione, maximè in admiratione, deſideriis, eſt prorſus ſingularis. Afferam hic omnes affectus, exclamationes, & aſpirationes, per quatuor libros recurrentes.*

19. Simillimus in aliis opuſculis. Afferam ſimiliter affectus, quos habet in aliis libris.

l. 1. c. 1. Vanitas vanitatum, & omnia vanitas, præter amare Deum, & illi ſoli ſervire!

Serm. ad Nov. 1. O quàm gratum Collegium!

ib. Eja Chariſſimi attendite præſentiam Chriſti!

l. 1. c. 3. Felix, quem veritas per ſe docet!

l. 1. c. 3. O veritas Deus, fac me unum tecum!

l. 1. c. 3. O ſi tantam adhiberent diligentiam ad extirpanda vitia!

l. 1. c. 3. O quàm citò tranſit gloria mundi! utinam vita eorum ſcientiæ ipſorum concordaſſet!

l. 1. c. 3. Quàm multi pereunt per vanam ſcientiam!

l. 1. c. 10. De his, quæ diligimus, lubet loqui, ſed proh dolor! ſæpe inaniter.

l. 1. c. 11. O ſi adverteres, quantam tibi pacem faceres!

l. 1. c. 15. O qui ſcintillam haberet veræ charitatis!

l. 1. c. 18. Heu! quid eſt vita noſtra?

l. 1. c. 18. O quam multas tribulationes paſſi!

l. 1. c. 18. O quàm ſtrictam vitam duxerunt, quàm longas tentationes pertulerunt! quàm frequenter vexati! quàm crebras orationes obtulerunt! quám rigidas abſtinentias peregerunt! quàm magnum zelum habuerunt! quàm forte bellum geſſerunt! quàm puram intentionem tenuerunt!

S. 3. O pretioſum verbum!

ib. Quia, proh dolor! à ſancto propoſito.

ib. Et utinam Novitiorum exercitia apprehenderent.

ib. Ecce, quàm ſancta mandata!

ib. O qualis erit hic puer!

ib. O felix & meritoria obedientia.

ib. O quàm ſancta anima, quæ ſe nititur reſignare!

ib. Ecce, fratres, jam multa audiſtis.

S. 5. Ecce, chariſſimi, per hæc exempla!

S. 6. Heu! non eſt timor Dei ante oculos eorum.

ib. O. frater Aſelle!

ib. Heu, quid facies in mortis articulo!

S. 7. Heu, ſuperbiant! quàm cœca! - O quanta bona dicta ſunt de te humilitas!

S. 8. Beatus, qui nil temporale in ſecretarium cordis ſinit intrare. - Beatus, qui multa bona ſcit & facit!

S. 9. Heu! quanta bona perditis!

S. 11. O dilecti fratres!

ib. Heu! quanti foris vagando perierunt! - O quam multi per rectoris virgam reducti ſunt.

S. 13 Et heu! vix cum magno labore devotionem recuperabit!

l. 1. c. 18. O quantus fervor religioſorum in principio! O quanta devotio orationis! quanta æmulatio virtutis! quàm magna diſciplina! quanta reverentia! O tepor & negligentia ſtatus noſtri! utinam in te penitus non dormitet profectus!

l. 1. c. 20. O qui nunquam tranſitoriam lætitiam quæreret! O qui omnem vanam ſollicitudinem amputaret!

l. 1. c. 20. Ecce cœlum & terram!

l. 1. c. 21. Felix, qui abjicere poteſt omne impedimentum diſtractionis! felix, qui à ſe abdicat, quidquid conſcientiam maculare poteſt.

l. 1. c. 22. Ecce! quám bonam vitam ille homo habet!

l. 1. c. 23. O inſani, qui tam profundè in terris jacent!

l. 1. c. 22. O quanta fragilitas humana! quæ ſemper ad vitia prona.

l. 1. c. 22. Væ nobis, ſi ſic volumus declinare ad quietem.

l. 1. c. 23. O hebetudo cordis humani:

l. 1. c. 23. Ah! longa vita non ſemper emendat culpam, ſed auget.

ib. O frater monache. - o quàm benè eſt cuſtoditus!

ib. O quàm rarum eſt iſtud?

S. 14. Ecce! nunc dantur bona.

ib. O dulce verbum!

ib. O Deus, ſi in tali loco eſſem!

ib. Heu! miſer & inſipiens homo,

S. 15. Heu, heu! fratres, multa pericula nos circumdant.

ib. O perverſitas hoſtis doloſi!

ib. Heu, heu! quanta anguſtia animæ!

ib. Ecce! merces veſtra. - Ecce, quomodo virtutes obſcurantur!

S. 16. O utinam mortales iſta penſarent!

S. 18. O ſacra trophæa virginum! o fortia bella puellarum! - o verè beata concio virginalis ſexus. - Heu! quanta conſilia machinatus eſt ſatanas!

S. 19. Heu! quam ſevera ſententia!

ib. Heu! etiam paradiſum perdidit!

ib. Heu! omnes ſibi conſentientes allicit!

ib. O ſerve Dei, o miles Chriſti, audi!

ib. O quàm delectabile erit animæ! o ſancta obedientia! - o quam laudabilis humilitas!

auget. Utinam per unum diem eſſemus benè converſati!

l. 1. c. 23. Quàm felix, qui talis nunc nititur eſſe, qualis oportet inveniri in morte.

l. 1. c. 23. Ah ſtulte quid cogitas te diu victurum.

l. 1. c. 24. O miſerrime peccator!

l. 1. c. 25. O ſi ſcirem, quod perſeveraturus eſſem!

l. 1. c. 25. Quàm jucundum, videre fervidos! quàm nocivum negligere vocationis propoſitum!

l. 1. c. 25. O ſi JEſus in cor noſtrum veniret, quàm cito docti eſſemus!

l. 1. c. 25. O ſi nihil aliud faciendum incumberet, niſi Dominum laudare! O ſi nunquam indigeres comedere! utinam non eſſent iſtæ neceſſitates, ſed ſolum ſpirituales refectiones, quas heu ſatis raro deguſtamus!

l. 2. c. 1. Eja! anima fidelis!

l. 2. c. 11. O quantum poteſt amor JEſu!

l. 2. c. 12. Ecce! in cruce totum conſtat.

l. 3. c. 1. Animadverte hæc, o anima mea.

S. 20. O verè beata crux Chriſti;

ib. Beati, qui paſſionem Chriſti quotidie recolunt. - O verè pretioſiſſimum lignum! o JEſu Nazarene! - Sed væ amatoribus mundi! - væ ſuperbis! - væ delicatis! - væ avaris!

ib. O quàm longè ſunt iſti à ſummo bono! væ etiam vagis monachis!

ib. O utinam omnes ſaperent! - o quam ſanctum eſt, in cuſtodia oris ſtare! o religioſe frater! - o verè beata crux Chriſti!

ib. O religioſe monache!

ib. O dulciſſima crux! - o arbor decora! - o vitis fœcunda! - o oliva ſpecioſa! - o lignum vitæ! o crux ſcutum! - o crux ſalutifera! o crux arbor ſpecioſiſſima! - o crux ſplendidiſſima! - o crux valdè amabilis!

S. 21. O flebile ſpectaculum! - o immenſi doloris magnitudo!

ib. O verè ſingulare martyrium! - o quàm læta erit anima illa!

ib. Et ecce! levato ſtramine! - ecce occurrit eis vir!

S. 22. Felix, qui meretur admonitiones JEſu;

ib. O ſi poſſes in amore JEſu proficere! - o ſi poſſes illis intereſſe!

l. 3.

l. 3. c. 3. Sed proh dolor, pro bono incommutabili fatigari pigritatur.

l. 3. c. 6. O Pater miſericordiarum.

l. 3. c. 6. Eja Domine Deus!

l. 3. c. 9. Benedictus ſis Deus meus!

l. 3. c. 11. O quàm magna multitudo dulcedinis tuæ! o fons amoris!

l. 3. c. 11. O grata Dei ſervitus! o ſacer ſtatus famulatus religioſi! o amplectendum ſervitium!

l. 3. c. 15. O quàm humiliter de meipſo ſentiendum! quàm nihili pendendum, ſi quid boni videar habere! O quàm profundè ſubmittere me debeo! o pondus immenſum! o pelagus intransnatabile.

l. 3. c. 20 O quantas tibi gratias teneor referre.

l. 3. c. 22. Heu! qualis eſt hæc vita!

l. 3. c. 22. Vincit, proh dolor, delectatio prava mentem.

l. 3. c. 23. O mi dulciſſime ſponſe! o quando ad plenum dabitur vacare! quando recolligam me! o JEſu, ſplendor gloriæ!

l. 3. c. 30. O Deus meus dulcedo! l. 3. eſſe! - o quàm jucundum eſt iſtis ſervire. - O quantum decet! - o unica ſpes mea JEſus!

S. 23. O quàm gratioſè recipit!

S. 24. Sed heu denuò deſcendere cogit!

S. 25. O verè inclyta proles! - o felix virgo! o ſplendida virginum gemma! - o ſacra virgo! - o Maria! - o ſumme venerabilis virgo! - o virgo virginum! - o virgo mitis! o radix ſancta! - o clementiſſima Mater!

S. 26. O utinam tam devotas preces! - o verè admirabilis conſtantia!

S. 26. O Virgo Chriſti! o ſimplex columba! - o ſtulta mundi gaudia! - o quàm ſapienter agis! o virgo mitis & humilis! o dulciſſime Domine! o mira Dei clementia! - o bone dilecte frater! - o beatiſſima Agnes.

S. 28. Beatus populus, qui properat ad domum orationis.

ib. Væ illi, qui cogitat vana! - væ! qui idola imaginatur! - væ qui ibi tacet & dormit! væ pigris & diſſolutis! , væ! qui de cibo & potu frequenter cogitant! Benedicti omnes devoti!

S 29.

l. 3. c. 32. O quâm ſapiens, qui ita conſiderat!

l. 3. c. 36. Proh dolor! ſtatim poſt recollectionem foras erumpimus.

l. 3. c. 39. Ecce Deus meus & omnia!

l. 3. c. 39. O ſapidum verbum!

l. 3. c. 39. Adhuc, proh dolor, vivit in me vetus homo. O lux perpetua! o quando veniet hæc beata hora!

l. 3. c. 44. utinam non multum adhærerem futuris eventibus.

l. 3. c. 45. O veritas mea Deus!

l. 3. c. 48. Væ illis, qui curioſa inquirunt.

l. 3. c. 49. O Domine, quonam devenimus!

l. 3. c. 50. Benedictus ſis Domine Deus.

l. 3. c. 50. O quàm benè ſapuit illa anima! o quàm bonum de aliis ſilere! - quàm tutum humanam fugere apparentiam. - quàm multis nocuit virtus ſcita! quàm profuit gratia ſilentio ſervata!

l. 3. c. 51. Ecce, ſi cunctā contra te dicerentur.

l. 3. c. 52. Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt! o ſi

S. 29. O quàm magna feſtivitas! - o quàm feſtivè gaudent! - beati, qui ad cœleſtem cœnam vocati!

ib. Heu miſeri amatores ſæculi! - væ vobis, qui JEſum deſeritis. - Væ, qui ſimplices deridetis.

S. 30. Felix anima, cui ſapit verbum Dei. - O benigniſſime Deus. - O fidelis & humilis anima! o felix mater Eccleſia! - o quàm magna mirabilia in ſacramento agit Deus! - o ſalutaris hoſtia, quæ cœli pandis oſtium, quàm mirabilia dicuntur de te! quàm ineffabilia ſunt omnia, quæ latent in te! quàm pie creduntur de te! - o ſolatioſum verbum! - o pium teſtimonium! o magnum promiſſum!

Serm. ad fratres.

S. 1. Quàm felix & ſancta anima, quæ ſolius Dei paſcitur amore! - ſed quid, o anima mea!

S. 3. Væ omnibus ambulantibus in deſideriis carnis!

S. 4. Quàm ſplendida es, o beata caſtitas! - o quàm pulchra eſt caſta generatio!

ſi vidiſſes ſanctorum coronas! - o ſi tibi hæc ſaperent! - ecce! ego & ſancti mecum!

l. 3. c. 53. O ſupernæ civitatis manſio beatiſſima! o dies æternitatis clariſſima! - o utinam dies ille illuxiſſet! - o quando finis horum malorum! quando liberabor à miſera ſervitute! quando erit pax ſolida! quando ſtabo ad videndum te! o quando ero tecum! - o quid intus patior! Deus meus ne elongeris! - beatus ille homo, qui creaturis abeundi licentiam tribuit.

l. 3. c 58. O quanta fiducia erit morituro.

l. 3. c. 60. O quàm maximè eſt mihi neceſſaria gratia! - o verè cœleſtis gratia! - o beatiſſima gratia!

l 3. c. 62. Taceant carnales homines!

l. 4. c. 1. Ecce! Noë vir juſtus! - o mi Deus, quantum illi agere ſtuduerunt! Heu! quàm puſillum eſt, quod ago! - o inviſibilis conditor! - o admirabilis gratia ſacramenti! - heu! cœcitas cordis humani.

l. 4. c. 2. O dulciſſime Deus! - ecce tu Sanctus Sanctorum! ecce, tu

ib. Eja charıſſimi, nunc erigamus aures! - ecce janua patet.

S. 5. O quàm mirabilis Deus in Sanctis ſuis!

S. 6. O quàm cito tranſit delectatio! quàm longa inſtabit cruciatio! o quàm cito pœnitebit, ſtultè egiſſe!

ib. Eja, quantum lætabuntur, qui non conſenſerunt operibus nequam! quanta fiducia exſpectabunt diem judicii.

ib. Tunc clamabunt: Væ, væ, quid unquam egimus! ah, ah, damnati ſumus! - Heu! quod unquam nati fuimus! - ecce, æternæ nocti traditi ſumus! - ſpeculamini igitur, o filii hominum!

S. 8. O ſi daretur famulo Dei experiri ſilentii delicias! - beatus, qui ſilentium diligit - Ecce! quàm bonum ſedere ſolum!

ib. O miſer quid loqueris!

S. 9. Beata anima, quæ ad hanc vocem vigilat!

Si

venis ad me! - ecce! qualis dignatio illuceſcit! o quàm ſalutare conſilium tuum! o quàm admirabilis operatio tua!

l. 4. c. 3. O mira tuæ pietatis dignatio! - O felix mens, quæ te meretur ſuſcipere! o quàm magnum ſuſcipit Dominum! - ſileant à facie tua cœlum & terra!

l. 4. c. 5. Ecce, ſacerdos factus es!

l. 4. c 8. Ecce, ego me obtuli! - o quàm ſuavis es Domine! - o ineffabilis gratia! o admirabilis dignatio!

l. 4. c. 9. Ecce committo me! - o verè ardens fides eorum!

l. 4. c. 10. Ecce! ſic benedicetur homo.

l. 4. c. 11. O dulciſſime JEſu. - O quàm magnum officium ſacerdotum! - o quàm mundæ debent eſſe manus!

l. 4. c. 13. Ah, Domine Deus!

l. 4. c. 14. O quàm magna multitudo dulcedinis tuæ!

l. 4. c. 15. Proh dolor! quidam tepidi moras confitendi libenter accipiunt!

l. 4. c. 15. Heu! quam modicam charitatem habent! quàm felix ille, & Deo acceptus! - ecce, ſto ante te.

Si vellem alia opera Thomæ K. exhibere, idem affectus reluceret. Nunc ſufficit, in Sermonibus, qui magnitudine operis prope æquales ſunt libro de Imitatione, æquales affectus reperiri. Ex uno diſce omnes.

l. 4. c. 16. *O* dulciſſime Domine - beatus, qui ſe Domino offert!

l. 4. c. 17. *O* Deus meus amor meus.

§. 219.

De verbis latinis, phraſibus, ac modis loquendi peculiaribus.

1. L. 1. c. 1. Hæc ſunt verba Chriſti, quibus admonemur, *quatenus* vitam ejus & mores imitemur.

1. Hic terminus, *quatenus*, *loco*, *ut*, in aliis operibus Thomæ K. ſæpiſſimè recurrit; numeravi illum intra pauca folia ſumptum eſſe *vigeſies & ter*.

2. L. 1. c. 1. Si velimus *veraciter* illuminari.

2. Recurrit in aliis operibus *vigeſies & ter*.

3. Qui vult plenè & *ſapide* verba Chriſti intelligere.

3. Verbum *ſapio* & *ſapidus* recurrit 55.

4. Quid prodeſt tibi *alta* de Trinitate diſputare.

4. To *altum* frequenter ſumit pro ſublimi, difficili materia, recurrit hic terminus in aliis operibus Thomæ K. 40.

5. Verè *alta* verba non faciunt ſanctum.

5. Recurrit, ut dixi, quadrageſies.

6. Qui vult verba Chriſti intelligere, *oportet*, ut totam vitam illi ſtudeat conformare.

6. *Oportet*, loco *debet* recurrit frequentiſſimè.

7. *Opto* magis ſentire compunctionem, quàm ſcire ejus definitionem.

7. *Opto*, loco *volo* recurrit 14.

8. Si ſcires totam Bibliam *exterius*,

8. Recurrit *ſemel*, & in Chron. Windesh. & *in lingua Germanica* idem eſt, ac *memoriter*. Cenſet RR.

RR. Fontaninus hunc terminum idem velle dicere, ac *ſi ſcires totam Bibliam exterius ore recitare*, ſed obſtat ei communis ſenſus omnium Interpretum ac verſionum! nulla enim verſio hunc terminum ſic transtulit: ſi ſcires totam Bibliam *recitare*, ſed hoc modo: *ſi intelligeres* totam Bibliam, vel ſi ſcires *memoriter*. *Se ſapeſſi, par mente, par cœur*. Dein abſtrahendo ab hac controverſia nihilominus verum manet, τὸ *exterius* eſſe barbariſmum, quia neuter ſenſus bene exprimitur nudo hoc termino *exterius*.

9. Vanitas vanitatum, *præter* amare Deum.

9. *Præter* loco *præterquam* frequentiſſime.

10. Vanitas eſt, præſentem ſolùm vitam *attendere*.

10. *Attendo* cum Accuſativo ſine præpoſitione *ad*, recurrit 33.

11. Vanitas eſt, diligere, quod cum *omni* celeritate tranſit.

11. *Omnis* loco *ſummus*, aut loco Superlativi recurrit perpetuo.

12. Sequentes ſuam *ſenſualitatem*, maculant conſcientiam.

12. *Senſualitas* recurrit quater, *maculant*, novies.

13. l. 1. c. 2. Scientia ſine timore Dei, quid *importat*?

13. Recurrit ſemel, ad minimum idem eſt, ac, *quid juvat*.

14. Qui benè ſeipſum cognoſcit, ſibi ipſi *vileſcit*.

14. Recurrit 4.

15. Si ſcirem omnia, quid juvaret me coram Deo, qui judicaturus me eſt ex *facto*?

15. *Facto*, loco, *operibus*, recurrit ſæpius.

16. *Quie-*

16. *Quie-*

16. *Quieſce* à nimio ſciendi deſiderio, quia magna ibi invenitur diſtractio.	16. *Quieſce*, loco, *deſiſte* occurrit frequenter.
17. Scientes *libenter* volunt videri, & ſapientes dici.	17. *Libenter* hic ſumitur pro *communiter*. Occurrit autem hic terminus in aliis operibus Thomæ K. centies & octuageſies, ad minimum.
18. *Valde* inſipiens eſt, qui aliis intendit, quàm iis, quæ ſaluti ſuæ deſerviunt.	18. Hoc adverbium *valde* loco Superlativi ſumptum in libris de Imitatione frequentiſſimè occurrit, in aliis autem operibus T. K. recurrit centies & vigeſies ter.
19. Bona vita *refrigerat* mentem.	19. Recurrit ſemel.
20. Si multa *ſatis* benè intelligis, ſcito tamen, *quia* ſunt multò plura, quæ neſcis.	20. *Satis* loco Superlativi recurrit 52. Tò *quia* loco, *quod*, frequenter.
22. Noli *altum* ſapere, ſed ignorantiam tuam magis *ſapere*.	22. *Sapere* loco *ſcire* cum Accuſativo recurrit frequenter.
23. *Ama* neſciri & pro nihilo *reputari*.	23. *Ama* cum Infinitivo recurrit bis. *Reputo* pro æſtimo, aut exiſtimo recurrit 19.
25. Hæc eſt *altiſſima* lectio ſui ipſius cognitio.	25. Vide n. 4. recurrit 40.
26. Si tibi videtur, *quod* multa *ſcis*.	26. *Quod* in libro de Imitatione & in aliis operibus Thomæ K. frequenter occurrit cum Indicativo loco Conjunctivi.
27. De ſeipſo nihil *tenere*, & de aliis *altè ſentire*, magna ſapientia eſt.	27. *Tenere*, loco, *æſtimare* recurrit duodecies. *Sentire*. Sexies alte 40.

28. Neſcis, quamdiu poſſis in bono *ſtare*	28. *Stare*, loco *perſeverare*, vel loco *manere* recurrit 74.
29. Tu neminem fragiliorem teipſo *tenebis*.	29. recurrit 12. v. n. 27.
30. Noſtra opinio, & noſter *ſenſus* ſæpe nos fallit.	30. *Senſus* loco *intellectus* vel loco *judicium* aut *ſententia* recurrit 13.
31. Noſter ſenſus *modicum* videt.	31. *Modicum* loco *parum*, vel loco pàrvum recurrit 39.
32. Cui æternum verbum loquitur, à multis opinionibus *expeditur:*	32. *Expedio* loco *libero* frequenter.
33. l. 1. c. 3. Cui omnia unum ſunt, & omnia ad unum *trahit*, poteſt ſtabilis corde eſſe.	33. *Trahit* loco *refert*, recurrit 11.
34. Tædet me *ſæpe multa* legere.	34. *Multa* indefinite ſumpta frequentiſſime uſurpat. Et *ſæpe* loco *quandoque*, aut loco *interdum* frequentiſſime, intra pauca folia id numeravi 14.
35. Quantò aliquis interius magis *ſimplificatus* fuerit, tanto *altiora* ſine labore intelligit.	35. Recurrit ſemel.
36. Deſuper lumen *intelligentiæ* accipit.	36. Semel.
37. Purus, *ſimplex* & *ſtabilis* ſpiritus in multis operibus non diſſipatur.	37. Epithetum *ſimplex* recurrit 50. Epithetum *ſtabilis* ſæpius.
38. Simplex ſpiritus in ſe *otioſus* ab omni propria *exquiſitione* eſſe nititur.	38. *Otioſus* loco *vacuus* ſæpius *exquiſitio* loco *amor proprius* ſemel recurrit.

41. Quis 41. Se-

41. Quis te magis impedit, quàm tua *immortificata* affectio?

41. Semel.

42. Quis te magis moleſtat?

42. Semel.

43. *Bonus* & *devotus* homo opera ſua prius *intus* diſponit, quæ *foris* agere debet.

43. Epithetum. *bonus* frequentiſſimè adhibetur; intra pauca folia id numeravi 17. Epithetum *devotus* in libro de Imitatione frequentiſſimum eſt, in aliis operibus recurrit vicibus quadringentis & quadraginta. Tò *intus* & *foris*, quibus denotatur ſtatus actionum externarum corporis, & internarum mentis, in libro de Imitatione frequenter occurrit, in aliis operibus verò recurrit 33.

46. Hoc deberet eſſe negotium noſtrum, in melius *aliquid* proficere.

46. *Aliquid* adverbialiter loco *aliquantulum* ſæpius.

47. Non eſt culpanda quælibet *notitia*.

47. *Notitia* loco *cognitio* in libro de Imitatione ſæpius, in aliis operibus frequenter occurrit.

48. Quia plures ſtudent magis ſcire, quàm benè vivere, ideo *modicum* fructum ferunt, & *ſæpe* errant.

48. Vid. n. 31. & 34.

49. Non fieret tanta *diſſolutio* in *cœnobiis*.

49. *Diſſolutio* duodecies, *cœnobium* bis recurrit.

50. Ubi ſunt omnes illi Domini & *Magiſtri*, quos benè noviſti?

50. *Magiſter* loco *Profeſſoris* vel loco *Doctoris* vel Superioris recurrit centies & ſepties.

52. Jam 52. *Præ-*

52. Jam eorum *præbendas* alii poſſident.

53. Utinam vita ſcientiæ eorum concordaſſet, tunc *benè* ſtuduiſſent vel legiſſent.

54. *Verè* magnus eſt, qui magnam habet charitatem: *Verè* magnus eſt, qui in ſe parvus eſt.

55. Et *pro nihilo* ducit omne culmen honoris.

56. *Verè* prudens eſt, qui terrena arbitratur ut ſtercora; & *verè benè* doctus eſt, qui Dei voluntatem facit.

57. Non eſt credendum *omni* verbo, ſed *longanimiter* res eſt *ponderanda*.

58. Perfecti viri non credunt *omni* enarranti.

59. Quia ſciunt humanam infirmitatem in verbis *ſatis* labilem.

60. Magna ſapientia eſt, non pertinaciter in propriis *ſenſibus ſtare*.

61. l. 1. c. 5. Quærere potius debemus utilitatem in ſcripturis, quàm ſubtilitatem ſermonis.

62. Ita *libenter devotos* & *ſimplices* libros legere debemus, ſicut profundos & *altos*.

63. Non

52. *Præbenda* loco *ſalarii*, vel loco *beneficii*. 7.

53. *Benè* pro *laudabiliter*, vel pro *eximie*. ſæpiſſime.

54. Iſta particula confirmativa vere frequens eſt in l. de imit. & in aliis operibus intra pauca folia eam numeravi 21.

55. *Nihil*, *nihilum*, *nihileitas*, recurrit 21.

56. *Benè* doctus idem eſt ac doctiſſimus; in hoc ſenſu pro ſuperlativo ſumptum recurrit 69.

57. *Omni* pro *cuicunque* ſæpe recurrit. *longanimiter* ſæpe. *pondero* pro *conſidero* recurrit 24.

58. Vid. n. 57.

59. *Satis* pro ſuperlativo recurrit 52. v. g. *ſatis magnus*, *ſatis pius*.

60. *Senſus*. 13. Vid. n. 30. *ſtare* recurrit. 74. Vid. n. 28.

61. Subtilitatem in ſcientiis frequenter carpit; *ſubtiles* autem materias fugiendas monet ſexies.

62. Vide ſupra, n. 4, 17. 44. 38.

63. *Lit-*

63. Non te offendat authoritas ſcribentis, an magnæ *litteraturæ* fuerit.	63. *Litteratus*, à quo litteratura recurrit 10.
64. Curioſitas noſtra ſæpe nos impedit, ubi *ſimpliciter* eſſet transeundum. lege *ſimpliciter* interroga *libenter*.	64. Vid. n. 37. 17.
65. l. 1. c. 6. Quando homo inordinatè appetit, *inquietus* fit.	65. Sæpius.
66. Infirmus difficulter ſe poteſt à terrenis *ex toto* abſtrahere.	66. Semel.
67. Ideò *leviter* indignatur.	67. *Leviter* pro *facilit er*. 18.
68. l. 1. c. 7. Non *ſtes ſuper* teipſum.	68. Recurrit 74.
69. Non te extollas de pulchritudine, quæ *modica* infirmitate *defœdatur*.	69. Vid. ſupra. n. 48.
70. Deus ſcit, *quid eſt* in homine.	70. Indicativus locó conjunctivi ſæpe.
71. l. 1. c. 8. Cum *extraneis* rarus eſto.	71. Novies.
72. *Cum divitibus* noli blandiri.	72. Sæpius.
73. Cum *ſimplicibus*, cum *devotis* & morigeratis ſociare.	73. V. n. 37. 44. *morigeratus* recurrit bis
74. Omnes *bonas* mulieres Deo commenda.	74. Vid. 44.
75. Soli Deo *opta* familiaris eſſe & hominum *notitiam* devita.	75. Vid. n. 7. 47.
76. l. 1. c. 9. *Valde* magnum eſt in obedientia *ſtare*, ſub *Prælato* vivere.	76. *Valde*. 123. *ſtare* 74. *Prælatus* aut Prælatura 72.

77. Multò tutius eſt *ſtare* in ſubjectione, quàm in *Prælatura.*	77. *Stare* 74. *Prælatura* 72.
78. Multi *leviter* murmurant.	78. *Pro faciliter* 18.
79. Non invenies quietem, niſi ſub *Prælati* regimine.	79. *Prælatus* 72.
80. Unusquisque *libenter* agit pro *ſenſu* ſuo.	80. Libenter 180. *ſenſus* 13.
81. Si Deus intra nos, neceſſe eſt, ut relinquamus noſtrum *ſentire.*	81. Infinitivus ſubſtantivè poſitus recurrit 44.
82. Quis eſt ita ſapiens, qui omnia *plenè* ſcire poteſt?	82. *Plenè* pro *perfectè* 11.
83. Nòli nimis in *ſenſu* tuo confidere, ſed velis etiam *libenter* aliorum *ſenſum* audire.	83. *Senſus* 13. libenter 180.
84. Si bonum eſt tuum *ſentire*, & hoc propter Deum dimittis.	84. Infinitivus ſubſtantive poſitus 44.
85. Poteſt contingere, ut bonum ſit uniuscujusque *ſentire*, ſed nolle *acquieſcere*, ſignum eſt ſuperbiæ.	85. Infinitivus 44.
86. l. 1. c. 10. Caveas *tumultum* hominum.	86. Recurrit. 21.
87. Quare tam *libenter* loquimur, & *fabulamur.*	87. *Libenter* 180. *fabulamur*, aut *fabulæ* 20.
88. Ideo tam *libenter* loquimur quia *conſolari* quærimus, & cor *optamus* relevare.	88. Libenter 180. conſolari, vel conſolatio 80. *opto* pro *volo* 14.
89. *Multùm* libenter de his, quæ cupimus, libet loqui.	89. *Multum* pro ſuperlativo, v. g. *multum doctus*, recurrit 86.
90. *Exterior conſolatio interioris conſolationis* non *modicum* detrimentum eſt.	90. *Exterior & interior* 33. conſolatio 80. modicum 39.
91. Quæ	91. Ædi-

91. Quæ *ædificativa* ſunt, loquere.	91. *Ædificatus.* 10.
92 Negligentia *profectus* noſtri multum facit ad *cuſtodiam* oris noſtri.	92. Profectus. 24. Cuſtodia, vel cuſtodio, vel cuſtoditus. 40.
93. Ad *profectum* juvat *devota* collatio.	93. Profectus. 24. devota. 440.
94. L. 1. c. 11. *Multam* poſſemus pacem habere.	94. *Multus*, pro *magnus*, ſæpè.
95. Quomodo poteſt in pace manere, qui occaſiones *forinſecus* quærit, qui rarò ſe *intrinſecus* colligit.	95. Interiora & exteriora. 33.
96. Beati *ſimplices*, quoniam *multam* pacem habebunt.	96. Simplices 50. multus pro magnus. Sæpe.
97. Si eſſemus *interius* minimè *implicati*, poſſemus divina ſapere.	97. Interius 33. implicati 15. ſapere 53.
98. *Totum* & maximum impedimentum eſt, quod non ſumus à paſſionibus liberi.	98. *Totum* pro *omni.* Recurrit 30.
99. Quando *modicum* adverſitatis occurrit *nimis* cito dejicimur.	99. Modicum. 39. *nimis.* 36.
100. Si niteremur *ſtare* in prœlio.	100. Stare. 74.
101. Nunc *pro magno* videtur, ſi quis primi fervoris partem poſſet retinere.	101. *Pro* magno. 6.
102. Si *modicam* violentiam faceremus, cuncta poſſemus facere cum *levitate.*	102. Modicum 39. *levitas* pro facilitas. Semel.
103. L. 1. c. 12. Bonum eſt, quod aliquando habeamus aliquas	103. *Gravitas* pro *Difficultas* recurrit 29. contrarietas ſemel.

quas *gravitates*, & *contrarietates*.	
104. Quia *ſæpe* hominem *ad cor* revocant, *quatenus* ſe in exilio eſſe cognoſcat.	104. Frequenter occurrunt.
105. Melius *interiorem* teſtem Deum quærimus, quando *foris vilipendimur*.	105. *Foris & intus*. 33. *vilipendo*. 6.
106. Ideo deberet ſe homo in Deo totaliter firmare.	106. Totaliter. 15.
107. Tunc *bene* advertit, ſecuritatem in mundo non poſſe *conſtare*.	107. *Conſtare*, pro *ſtare*, ſeu manere. Semel.
108. L. 1. c. 13. De tentationibus *reſiſtendis*.	108. *Reſiſtendis*. Verbum activum frequenter ab ipſo ſumitur paſſivè.
109. Diabolus nunquam dormitat.	109. Recurrit 4.
110. Tentationibus *plenè* carere non poſſumus.	110. Plene. 11.
111. Tentationes ſunt *valdè utiles*.	111. Valde. 123.
112. Qui *benè* tentationes ſuſtinere nequiverunt, reprobi facti ſunt.	112. *Bene*. 69.
113. Non eſt locus, ubi non ſunt *adverſitates*.	113. Semel.
114. Non eſt homo ſecurus à tentationibus *totaliter*	114. *Totaliter*. 15.
115. Semper aliquid *ad patiendum* habebimus.	115. Præpoſitio *ad* ſæpe ad verbum adhibetur.
116. Qui non radicem evellit, ad eum tentationes *redient*.	116. *Redient*, pro *redibunt*. Sæpius.
117. Homo ſuum *Propoſitum* deferens varie tentatur.	117. *Propoſitum*, loco *Religionis* recurrit 56.
118.	118.

118. Neſcimus ſæpe, quid *poſſumus*, ſed tentatio aperit, quid *ſumus*. In tentationibus probatur, quantum *profecit*.

118. Indicativus pro Conjunctivo ſæpe.

119. Non magnum eſt, ſi homo *devotus* ſit; cum *gravitatem* non ſentit, ſed ſi tempore *adverſitatis* patienter *ſe ſuſtinet*, ſpes magni *profectus* erit.

119. Devotus 440. gravitas 19. adverſitas 1. ſe ſuſtinere 7. *profectus* 24.

120. Quidam in *modicis* infirmantur.

120. Modicum 39.

121. L. 1. c. 14. Videntur multi in bona pace *ſtare*, quando res pro eorum *velle & ſentire* fiunt; ſi aliter fit, *cito* moventur.

121. Stare 74. Infinitivus 44. *cito* pro faciliter, vel brevi 33.

122. Propter diverſitatem *ſenſuum* & opinionum *ſatis* frequenter oriuntur diſſenſiones inter *devotos*.

122. Senſus 13. ſatis 52. devotos 440.

123. Ultra proprium *videre* nemo *libenter* ducitur.

123. Infinitivus 44.

124. Si rationi magis tuæ inniteris quàm virtuti ſubjectivæ JEſu Chriſti, *rarò* & *tardè* eris illuminatus.

124. *Raro* pro *difficulter* ſæpiſſimè.

125. L. 1. c. 15. Magis Deus *penſat*, ex quanto quis agit, quàm quantum quis facit.

125. *Penſo* pro *conſidero* recurrit 43.

126. Quidquid ex charitate agitur, *totum* efficitur fructuoſum.

126. *Totum* pro *omni* 30.

127. Sæpe videtur eſſe charitas, & eſt magis carnalitas.

127. Semel.

128. Qui charitatem habet, nullum *privatum* gaudium amat.

128. *Privatum* pro *proprium* ſæpe.

129. *Totaliter* ad Deum refert, à quo *fontaliter* omnia procedunt, in quo *finaliter* omnes ſancti *fruibiliter* quieſcunt.

129. Totaliter 15. finaliter 10. fruibiliter ſemel.

130. L. 1. c. 16. *Totum* Deo committe, qui ſcit *bene* mala in bonum convertere.

130. *Totum* pro *omnia* 30. bene 69.

131. *Libenter* habemus alios perfectos; alios reſtringi per *ſtatuta* volumus; & ipſi nullatènus patimur cohiberi. Sic patet, *quod* raro proximum ſicut nos ipſos *penſamus*.

131. Statuta 6. penſo 43. indicativus ſæpe.

132. L. 1. c. 17. Oportet, ut diſcas te in multis *frangere*, ſi vis pacem *tenere*.

132. Frangere ſe 33. *tenere* loco *ſervare* 12.

133. Si vis debitè *ſtare*, *teneas te* tanquam exulem. Habitus & tonſura *modicum* conferunt, ſed mutatio morum. Non poteſt diu ſtare pacificus, qui non *nititur* eſſe minimus. Hìc nemo poteſt *ſtare*, niſi ſe voluerit humiliare.

133. *Stare* 74. *tenere* ſe 12. *modicum* 39. *nititur* pro *volo* 13.

134. L. 1. c. 18. Intuere ſanctorum exempla, & videbis, quàm *modicum* ſit, quod agimus. O quàm *abdicatam* vitam duxerunt. *Foris* egebant, ſed *intus conſolatione* & gratia reficiebantur.

134. *Abdicatus* ſemel. *modicum* 39. *foris intus* 33. conſolatio 80. nihili 21. ſtare 74. ſimplici 50. magiſter 107.

Sibi

135.

Sibi ipſis videbantur tanquam *nihili*. In vera humilitate *ſtabant* in *ſimplici* obedientia vivebant ſub regula *Magiſtri* mundum *ſuppeditaverunt*.	
135. Utinam in te non *dormitet profectus* virtutum, qui toties vidiſti exempla *devotorum*.	135. Dormito 4. profectus 24. devoti 440.
136. L. 1. c. 19. Vita boni religioſi talis ſit *interius*, qualis videtur hominibus *exterius*, & meritò plùs debet eſſe *intus*, quàm quod cernitur *foris*.	136. Intus foris 33.
137. Omni die renovare debemus *propoſitum* noſtrum, quaſi hodie primùm ad converſionem veniſſemus.	137. *Converſio* pro *Religione* 12.
138. Si *fortiter* proponens deficit quid ille, qui minus fixè proponit.	138. *Fortis* pro *intenſus* 10.
139. Si tædio omittitur exercitium *ſatis* culpabile eſt. Conemur, quantum poſſumus, adhuc *leviter* deficiemus. *Exteriora* & *interiora* nobis ſcrutanda ſunt.	139. *Satis* pro Superlativo 52. *leviter* pro *faciliter* 18. *interiora exteriora* 33.
140. Si non continuè te *vales* colligere, ſaltem colligas interdum.	140. *Valeo* pro *poſſum* 17.
141. Nunquam ſis *ex toto* otioſus alia in feſtis, alia in feriatis magis *ſapiunt* diebus.	141. *Ex toto* ſemel, *ſapio* 53.

142. L. 1. c. 20. Perlege materias, quæ *compunctionem* magis præſtant, quàm occupationem. Si te ſubtraxeris à *circuitionibus*, invenies tempus pro *bonis* meditationibus. Facilius eſt domi latere, quàm *foris* ſe cuſtodire. Nemo ſecurè apparet, niſi qui *libenter latet*. Nemo ſecurè præeſt, niſi qui *libenter* ſubeſt; nemo ſecure præcipit, niſi qui *libenter* obedire didicit; nemo ſecurè loquitur, niſi qui *libenter* tacet.

143. Nunquam promittas tibi ſecuritatem, quamvis *bonus* videaris *cœnobita*, aut devotus *eremita*:

144. Ne ad conſolationes *licentius* exteriores declinent.

145. Nemo dignus cœleſti *conſolatione*, niſi ſe exercuerit in *compunctione*. Si vis *corde tenus* compungi, exclude *tumultus* mundi.

146. In *cella* invenies, quod *foris* ſæpius amittes. *Cella continuata dulceſcit*. Si in Principio *Converſionis* tuæ *bene* eam cuſtodieris, erit tibi *ſolatium*.

147. Ab omni ſæculari *tumultu* longius degit.

148. Trahunt deſideria *ſenſualitatis* ad *ſpatiandum*.

142. *Compunctio*, *compunctus* 27. *circumurſito* ſemel. *foris* 33. *libenter* 180.

143. *Cœnobita* ſemel. *Eremita* 9.

144. *Licentius* ſemel.

145. *Corde tenus* ſemel. *tumultus* 21. compunctio 27.

146. *Cella* 11. foris 33. continuò 1. dulceſco 4. converſio 11. benè 69. ſolatium 80.

147. Tumultus 21.

148. Senſualitas 4. Spatiamentum 2.

149. Quid niſi *gravitatem* conſcientiæ, & diſperſionem cordis reportas?	149. Gravitas 19.
150. Laudabile eſt *religioſo* rarò *foras* exire. mane in *cella*. Si non exiſſes, melius in *bona* pace permanſiſſes.	150. *Religioſus* 47. *foras* 33. *cella* 11. *bonus* ſæpiſſime.
151. L. 1. c. 21. De *compunctione* cordis. *da te* ad cordis *compunctionem*, & invenies *devotionem*. Mirum, quod homo poſſit lætari, qui pericula animæ *penſat*. felix, qui abdicat, quidquid conſcientiam *maculare* poteſt vel *gravare*.	151. Compunctio 27. *dare ſe ad* 11. devotio 440. penſo 43. maculo 9. gravo 24.
152. Non *attrahas* tibi res aliorum.	152. *Attraho* pro, *non ſis ſollicitus* 2.
153. Hoc ſit tibi grave, quia non *habes te* ſatis *benè* & *circumſpectè*, ſicut decet *devotum religioſum converſari*. Quando homo eſt *compunctus*, tunc gravis eſt ei mundus. Sive ſe conſiderat, ſive proximum *penſat*, habet materiam dolendi.	153. *Habere ſe.* ſæpe. *circumſpectus* 5. *converſari.* ſæpe.
154. Si inferni pœnas *cordialiter* perpenderes, credo, quod laborem *libenter* ſuſtineres.	154. *Cordialiter* 11.
155. Sed quia *ad cor iſta non tranſeunt*, *valde* pigri remanemus.	155. *Ad cor tranſire.* ſemel. *valde* 123.
156. l. 1. c. 22. Quis eſt, qui melius	156. *Valeo* pro *poſſum* 17. *verè* 21. internus, vel interius 121. liben-

lius habet? utique, qui pro Deo aliquid pati *valet. Verè* miſeria eſt vivere ſuper terram nam comedere *verè* magna miſeria eſt homini *devoto*, qui *libenter* eſſet abſolutus à peccato. *valde* enim *gravatur interior* homo neceſſitatibus corporalibus. Unde propheta *devotè* rogat, *quatenus* ab iſtis liber eſſe *valeat*.

ter 180. valde 123. devote 440. *quatenus*. ſæpiſſimè.

157. O inſani, qui nil, niſi carnalia *ſapiunt*; in fine *graviter* ſentient, quàm *nihilum* erat, quod amaverunt.

157. Sapio 53. graviter 7. nihilum 21.

158. Quare vis *procraſtinare propoſitum* tuum

158. Eſt minus uſitatum.

159. Quando male habes, eſt tempus promerendi. *libenter* haberemus quietem. ſed oportet *tenere* patientiam.

159. Libenter 180. teneo 12.

160. Qui fiet in fine, qui *tepeſcimus* tam mane. *benè* opus eſſet, quod adhuc inſtitueremur tanquam *boni* novitii, ſi forte ſpes eſſet de *profectu*.

160. Tepeſco 4. *benè* 69. pro *certè*. *boni* ſæpe. *profectus* 24.

161. L. 1. c. 23. *Valde cito* erit tecum hìc *factum*. vide igitur, quomodo *te habeas*. Sic te in omni *facto* deberes *tenere*, quaſi ſtatim moriturus. multi annos computant *converſionis*, ſed ſæpe

161. Valde 123. cito 33. *factum* pro *opere* ſæpe. *tenere* ſe 12. *converſio* pro ingreſſu in religionem ſæpe. *multùm*, pro longè, vel pro ſuperlativo 86. Indicativus. ſæpe.

162. Sup-

pe parvus eſt fructus emendationis. quando illa extrema hora venerit, *multum* aliter ſentire incipies, & *valde* dolebis, *quod* tam negligens *fuiſti*.

162 Dabit magnam confidentiam *ſupportatio* adverſitatis.

163. Noli confidere *ſuper* amicos nunc tempus, in quo promereri *vales*. ſtude nunc taliter vivere, ut in hora mortis *valeas* gaudere. caſtiga nunc corpus, ut tunc *valeas* habere confidentiam.

164. L. 1. c. 24. Nunc gemitus *exaudibilis*, nunc dolor *purgativus* habet purgatorium, qui pro *contrariantibus libenter* orat.

165. Ibi *invidioſi* ululabunt, ibi nulla ſolatia, hic amicorum *fruitur* ſolatiis.

166. Tunc placebit tribulatio *perpeſſa*; tunc *obtenebreſcet* veſtis ſubtilis; tunc laudabitur *pauperculum* domicilium. tunc exaltabitur *ſimplex* obedientia. tunc conſolaberis ſuper *devota* oratione. tunc potius gaudebis de ſilentio, quàm de longa *fabulatione*. diſce nunc in *modico* pati. ſi modo *modica* paſſio

162. Supportatio. ſemel.

163. *Super*, cum accuſativo 5. *valeo* pro poſſum 17.

164. *Exaudibilis*, *purgativus* ſunt derivativa, qualia multa invenit Thomas K. *Contrario*. ſemel. libenter 180.

165. Invidioſus. derivativum. *fruitur* verbum activum ſumitur paſſivè, quod conſuetum eſt Thomæ K.

166. *perpeſſum*, paſſivè. obteneбreſco. derivativum. *pauperculum* 14. ſimplex 50. devota 440. fabulatio 20. modicum. 39.

ſio tam impatientem efficit, quid tunc gehenna efficiet?

167. L. 1. c. 25. *Modicum* laborabis, & magnam requiem invenies. Fac nunc, quod tunc facturus eſſes, & *bene* ſecurus eris. Illi maximè proficiunt, qui magis *gravia* vincere nituntur, non omnes *habent* æquè multum *ad vincendum* & mortificandum. Diligens tamen æmulator valentior erit ad proficiendum, quàm alius *bene morigeratus* minus fervens. Quàm dulce eſt, videre devotos fratres, *benè morigeratos* & diſciplinatos! quàm nocivum, negligere vocationis *propoſitum*. Memor eſto arrepti *propoſiti*.

167. Modicum 39. benè 69. gravia ſæpe. habent ad. ſæpe. morigeratus 2. *propoſitum* pro *Religionis profeſſione* 56.

168. *Religioſus* fervidus omnia *benè portat*. *Religioſus* negligens habet *tribulationem ſuper tribulationem*, & *ex omni parte* patitur anguſtiam.

168. *Bene* pro faciliter 69. *porto* pro *ſuffero* 5. *tribulatio ſuper tribulationem* ſæpius.

169. Qui *laxiora* & *remiſſiora* quærit, ſemper in *anguſtiis* erit; quomodo faciunt tam multi *religioſi*, qui *ſatis* arctati ſunt ſub *diſciplina clauſtrali*? *abſtractè* vivunt, *groſsè* veſtiuntur, & ſe in omni *diſciplina cuſtodiunt*. *Attende Carthuſienſes*, Ciſtercienſes, & diver-

169. *Laxus*, *remiſſus*, *anguſtia* ſæpe. Religioſus 47. *ſatis* 52. diſciplina, vel diſciplinatus 27. clauſtralis 10. abſtractus ſæpius. groſſus 6. cuſtodio, vel cuſtoditus 40. attendo cum accuſativo 33. Carthuſienſes 3. monachi 54. qualiter ſæpius.

170.

diverſæ religionis *monachos*, *qualiter* nocte ſurgunt.

170. Ideo turpe eſt, ut tu *deberes pigritate*, ubi tanta multitudo religioſorum incipit Deo *jubilare*.

170. *Debeo* pro *volo* ſemel. pigrito ſemel. jubilo vel jubilatio 5.

171. Quando homo ad hoc pervenit, *quod* de nulla creatura conſolationem *quærit*. Tunc Deus *ſapere* incipit, tunc *bene contentus* de omni eventu erit, nec pro *modico* contriſtabitur, ſed *ponet* ſe *fiducialiter* in Deo.

171. Quod loco *ut*, & cum Indicativo ſæpe. ſapio 53. benè 69. modicum 39. ponere ſe 14. fiducialiter 3.

172. Deo omnia *incunctanter* deſerviunt.

172. Incunctanter. 2.

173. Si incipis *tepeſcere*, incipies *malè habere*, ſi autem *dederis te* ad fervorem, invenies *pacem*. *Vigila ſuper te* ipſum.

173. Tepeſco 4. malè habere 6. dare ſe ad aliquid 11. pax perpetuò. vigilare quieti, vel ſuper ſe 2.

174. L. 2. c. 1. Diſce *exteriora* contemnere, & ad *interiora* te dare. Veniet Chriſtus, ſi illi *intus* paraveris manſionem. Frequens illi viſitatio cum *homine interno*. præpara cor tuum, *quatenus* ad te venire dignetur.

174. Exteriora, interiora 121. intus 33. homo internus 9. quatenus ſæpiſſimè.

175. Ipſe *proviſor* tuus, & *procurator*; *pone* totam fiduciam in Domino; ipſe faciet *bene*, ſicut optimum fuerit. Ubicunque fueris, *extraneus* es. Quid hic

175. Proviſor 2. procurator 3. ponere ſe, vel ſpem in aliquo 14. benè 69. extraneus 9. alta 40. libenter 180. *requietio oblocutor*, *benedictor*, minus certè uſitata. 176.

hic circumſpicis, cum hìc non ſit locus *requietionis*. Si neſcis *alta* ſpeculari, in ſacris vulneribus Chriſti *libenter* habita. Chriſtus habuit *oblocutores*, & tu vis omnes habere *benedictores*?

176. Si *modicum* de amore JEſu *ſapuiſſes*, nihil de commodo curares. *Verus internus* poteſt in ſpiritu fruitive quieſcere, qui *ab intra* ſcit ambulare, & *modicum* res ab *extra ponderare*, non exſpectat tempora ad *devota* exercitia. Qui *intus* benè diſpoſitus eſt, non curat hominum geſtus. Tantum homo diſtrahitur, quantum ſibi *res attrahit*. Si *rectè* tibi *eſſet*, omnia tibi cederent in *profectum*. Si renuis *conſolari exterius*, poteris *frequenter interius jubilare*.

176. Modicum 39. ſapio 53. internus 9. *verus* v. g. verus obediens, verus humilis 15. *ab intra* 33. pondero 24. devota 440. attrahere ſibi res, pro ſollicitum eſſe aut curioſum 2. Recte ſibi eſſe. ſemel. profectus 24. frequenter ſæpiſſimè. jubilo 5. interius 121.

177. L. 2. c. 2. Non *magni pendas* quis pro te ſit, Deus te *defenſabit*. De ſubmiſſione ſub *Prælati* regimine. Quando homo ſe humiliat, *levitèr* ſatisfacit ſibi iraſcentibus. Humilis *ſatis benè* eſt in pace, quia *ſtat* in Deo. Non *reputes* te aliquid *profeciſſe*, niſi omnibus te inferiorem *ſentias*.

177. Magnipendere ſemel. defenſo vel defenſatrix ſemel. Prælatus vel Prælatura 73. leviter 18. ſatis 52. bene 69. ſtare in aliquo 74. *reputo* pro *judico* 19. *ſentio* pro *judico* 6.

178. L. 2. c. 3. *Pone te* in pace, & tunc alios poteris *pacificare.* homo pacificus plus prodeſt, quàm *bene doctus*. Homo *paſſionatus* ètiam bonum in malum *trahit*. Qui *bene in pace* eſt, de nullo ſuſpicatur; qui autem *malè contentus eſt*, ſuſpicionibus *agitatur*.

197. Tu facta tua *beneſcis* excuſare, & *colorare*, & aliorum non vis recipere excuſationes. unusquiſque *libenter* pacem habet, cum *indiſciplinatis*, aut *contrariantibus* pacifice poſſe vivere, magna gratia eſt, & laudabile *nimis*. Sunt, qui ſeipſos in *pace tenent*; & ſunt, qui nec alios in pace *dimittunt*. Pax noſtra in humili *ſufferentia* ponenda.

180. L. 2. c. 4. Quando homo incipit *tepeſcere*, *libenter* externam accipit conſolationem. Qualis unusquiſque *intus* eſt, talis judicat *exterius*.

181. L. 2. c. 5. Sæpe nobis *ſenſus* deeſt: *modicum* lumen eſt in nobis, & hoc *cito* per negligentiam amittimus. Sæpe non advertimus, *quod* tam cœci *intus ſumus*. *Satìs cito ponderamus*,

quod

178. Ponere ſe 14. pacifico: vel pacificatus ſemel. bene pro ſuperlativo 69. paſſionatus 5. trahere, pro interpretari 11. malè vel benè contentus ſæpè. contentari 12. agitari vel agitare 50.

179. *Bene* 69. *colorare*. minus uſitatum. *libenter* 180. *indiſciplinatus* ſemel, *contrario* ſemel. *nimis* pro ſuperlativo 36. teneo ſe 12. *dimitto*, pro, *ſino*. minus uſitatum. ſufferentia ſemel.

180. Tepeſco 4. libenter 180. intus 33.

181. Senſus 13. modicum 39. *cito* pro *faciliter* 33. *quod*. cum indicativo ſæpe. intus 33. ſatis 52. pondero 24. graviter 7. internus homo 9. totaliter 15.

182.

quod ab aliis ſuſtinemus. Qui *benè* & *rectè* ſua *ponderaret*, non eſſet, quod de alio *graviter* judicaret. *Internus homo* ſibi intendit. Nunquam eris *internus* & *devotus*, niſi de alienis ſilueris. Si tibi & Deo *totaliter* intendis, *modicum* te movebit quod foris percipis.

182. Si *debes* habere pacem, oportet, quod *totum poſtponas*. Multum proficies, ſi te *feriatum* ab omni cura conſerves. *Valde* deficies, ſi aliquid temporale *reputaveris*. *Totum* vanum exiſtima, quidquid *conſolationis* occurrit de aliqua creatura.

182. *Debeo* pro *volo* ſemel. *totum*, pro *omnia* 30. *poſtpono* ſine Dativo, pro *contemno* ſemel. *feriatum* pro *vacuum*. minus uſitatum. *reputo*, pro *æſtimo* 19.

183. L. 2. c. 6. Bona conſcientia *valde* multa poteſt portare, & *valde* læta eſt inter adverſa. Bonorum gloria non *in ore hominum*. Facile erit *contentus* & *pacatus*, cujus conſcientia munda eſt. Non major dici *vales*, quàm Deo teſte es. Si *attendis*, quid apud te ſit *intus*, non curabis, quid de te loquantur homines *foris*. Homo conſiderat actus, Deus *penſat* intentiones; benè agere, & *modicum de ſe tenere*, humilis animæ indicium eſt. Nolle *conſolari* ab aliqua creatura,

183. Valde 123. in ore hominum ſemel. contentus ſæpius. *pacatus*, pro *pacificatus* minus uſitatum. valeo 17. attendo 33. intus 33. penſat 43. modicum 39. *tenere de ſe*, pro æſtimare ſæpius. internus homo 9. extrinſecus 121. totaliter 15. *quod*, cum Indicativo ſæpius.

184.

tura, *internæ* fiduciæ indicium eſt; qui nullum *extrinſecus* pro ſe teſtimonium quærit, liquet, *quod* ſe Deo *totaliter commiſit*. Ambulare cum Deo *intus*, nec aliqua affectione teneri *foris*, ſtatus eſt *interni hominis*.

184. L. 2. c. 7. Dilectio JEſu *perſeverabilis*; illum amicum *tene* tibi. *Teneas te* apud JEſum vivens & moriens. Si ſcires te *benè* ab omni creatura *evacuare*, JEſus *deberet libenter* tecum habitare. Penè *totum* perditum invenies, quidquid extra JEſum in hominibus *poſueris*.

185. L. 2. c. 8. Quando JEſus adeſt, *totum* bonum eſt: quando JEſus non adeſt, *totum* durum eſt. Quando JEſus *intus* non loquitur, *conſolatio vilis* eſt. Qui perdit JEſum, perdit *nimis* multum. Ditiſſimus eſt, qui *bene eſt* cum JEſu. Scire JEſum *tenere* magna prudentia eſt. *Si* illum *effugaveris*, ad quem fugies? ſi JEſus non fuerit tibi amicus, eris *nimis* triſtis & deſolatus. Eſto liber ab *intus*, ſine alicujus creaturæ *implicamento*.

186.

184. Perſeverabilis, derivativum. tenere ſe 14. bene 69. *debeo* pro *volo* ſemel. evacuare ſe minus uſitatum. libenter 180. totum 30. pono in alio 14.

185. Totum 30. intus 33. vilis 17. nimis 36. bene 69. tenere 14. effugo ſemel. implicari creaturis 15.

186.

186. Omnibus *evacuatis* & *licentiatis* cum Deo uniaris. Non debes *dejici*, ſed ad voluntatem Dei *æquanimiter ſtare.*

187. L. 2. c. 9. *Valde* magnum eſt, *libenter* exilium cordis velle ſuſtinere. *Satis* ſuaviter equitat, quem gratia portat. *Libenter* habemus aliquid pro ſolatio, oportet certare hominem, antequam diſcat ſeipſum *plenè* ſuperare, & totum affectum *plene* in Deum trahere.

188. Quando homo *ſtat ſuper ſeipſum*, facile labitur ad *conſolationes* humanas. Verus Chriſti amator non *cadit ſuper illas* conſolationes. Cum ablata fuerit conſolatio, non deſperes, potens eſt Deus *redonare* gratiam.

189. Sive adſint homines *boni*, ſive *devoti* fratres, *modicum* hæc juvant, & *modicum ſapiunt*, quando deſertus ſum à gratia.

190. L. 2. c. 10. *Pone te* ad patientiam Quis non libenter conſolationem acciperet. Divinis *conſolationibus* nemo ſemper pro ſuo affectu frui *valet*. Homo male agit, non *totum* Deo retribuendo. Ingrati ſumus, nec *totum* refun-

186. Evacuo minus uſitatum in hoc ſenſu. licentiare 2. dejici 3. æquanimiter 2. ſtare 74.

187. Valde 123. libenter 180. ſatis 52. plene 11.

188. Stare ſuper 6. cadere ſuper ſemel. redonare minus uſitatum.

189. Bonum ſæpiſſimè. devoti 440. modicum 39. ſapio 53.

190. Ponere ſe 14. libenter 180. valeo 17. totum 30. fontali derivativum. affecto 18. timoratus minus uſitatum. ſtare 74.

refundimus *fontali*, origini. Non *affecto* contemplationem; quæ ducit in elationem. *Libenter* accepto gratiam, unde *timoratior* evadam. *Pone te* ſemper ad infimum, quia ſummum non *ſtat* ſine infimo. Non poſſunt eſſe elati, qui Deo *totum* adſcribunt.

191. L. 2. c. 11. JEſus habet multos amatores regni, ſed paucos *bajulatores* crucis. Habet multos *deſideratores conſolationis*, ſed paucos tribulationis: multos invenit ſocios menſæ, ſed paucos *abſtinentiæ*. Si modicum eos reliquerit, in *querimoniam*, aut *dejectionem* cadunt. Unum neceſſarium, ut homo *totaliter* à ſe exeat Non grande *ponderet*, quod æſtimari poſſet. Nemo liberior, qui ſcit *ad infimum ſe ponere*.

192. L. 2. c. 11. Qui *libenter* audiunt verbum crucis, tunc non timebunt. Mori *affectes* in cruce. In cruce *totum* conſtat, & in moriendo *totum jacet*.

193. Sæpe tibi *gravis* eris, nec *alleviari* poteris, donec Deus voluerit. vult, ut illi *totaliter* te ſubjicias. Nemo ita *cordialiter*

191. *Bajulator* minus uſitatum uti & *deſiderator*. abſtinentia 2. querimonia minus uſitatum. dejectio 9. totaliter 15. pondero 24. ſe ponere 14.

192. Libenter. 180. affecto 18. totum 30. in hoc *jacet* ſemel.

193. Gravis 3. alleviari 2. totaliter 15. cordialiter 11.

ter ſentit paſſionem Chriſti, ſicut is, cui contigit ſimilia pati.

194. Si *libenter* crucem portas, portabit te. Tota vita eſt *circumſignata* crucibus. afflictus creſcere ſentit fructum ex *ſufferentia* crucis. Non eſt ſecundum hominem, contumelias *libenter ſuſtinere.*

195. Calicem Domini *affectanter* bibe. *Pone te ad* ſuſtinendum quando ad hoc veneris, *quod* tribulatio *ſapit*, tunc *benè* tecum eſſe exiſtima. Quamdiu pati tibi *grave* eſt, tamdiu *malè habebis*. Si *ponis te ad* patiendum, fiet *citò* melius. Merito deberes *libenter modicum* pati pro Chriſto. Nil Deo acceptius, quàm *libenter* pati pro Chriſto. Non *ſtat profectus* ſtatus noſtri in multis *conſolationibus*, ſed in magnis *gravitatibus*.

196. L. 3. c. 1. Beatæ aures, quæ de mundi *ſuſurrationibus* nihil advertunt, quæ *interius* auſcultant veritatem. Beati oculi, qui *exterioribus* clauſi *interioribus* ſunt intenti. Beati, qui *interna* penetrant. Quid ſunt temporalia, niſi *ſeductoria*.

194. Libenter 180. ſufferentia ſemel. circumſigno minus uſitatum.

195. Affectanter ab affecto 18. ponere ſe 14. quod cum Indicativo ſæpe. ſapio 53. gravis 3. cito 33. libenter 180. modicum 39. ſtare 74. profectus 24. gravitas, pro difficultas 19.

196. Suſurratio ſemel. interius 121. interna 9. ſeductoria minus uſitatum.

197. 197.

197. L. 3. c. 2. Domine Deus, *inſpirator* omnium. Tu reſeras intellectum *ſignatorum*.

198 Illi *exterius* rigant, tu *intelligentiam* tribuis. Sine fructu efficior, ſi fuero *foris* admonitus, & *intus* non accenſus.

199. L. 3. c. 3. Verba mea non ſunt humano *ſenſu penſanda*. Pro *modica præbenda* longa via curritur; pro ſummo bono ad *modicum* fatigari *pigritatur*. Verba mea erunt *valde* neceſſaria. Ego ſum fortis probator omnium *devotorum*.

200. L. 3. c. 4. Ego ſum *vermiculus*; quomodo poſſum me tolerare in hac vita.

201. L. 3. c. 5. Ambula in *ſimplicitate*; qui ambulat in veritate, *tutabitur*. Habes, unde te debeas *viliſicare*, quia infirmior es, quam *vales* comprehendere. Quidam habent *modicum* in corde; alii de terrenis *graviter* audiunt, naturæ *dolenter* inſerviunt.

202. L. 3. c. 6. Neceſſe habeo à te *confortari*, ut *intus* ſanatus, & *bene* purgatus efficiar. Amor leve facit omne *onerosum*; nam amarum *ſapidum* efficit; vult eſſe li-

197. *Inſpirator*, *ſignata* minus uſitatum.

198. Exterius 121. intelligentia minus uſitatum. foris, intus 33.

199. Senſu 13. penſo 43. modicum 39. præbenda 7. pigrito 1. valde 123. devoti 440.

200. Vermiculus derivativum, ſe tolerare minus uſitatum.

201. Simplicitas 50. tutatio ſemel. viliſico ſemel. valeo pro poſſum 17. modicum 39. graviter 7. dolenter minus uſitatum.

202. Conforto 4. intus 33. bene 69. oneroſum ſemel. ſapidum ſæpe, implicatio ab implico 15. affecto 18. valeo 17. dormito circumſpectus 5. cuſtoditus 25.

 Præ-

liber, ne *implicationes* ſuſtineat. Labores plus *affectat*, quàm *valet*, non *dormitat*. Eſt *circumſpectus*, in ſenſibus *cuſtoditus*, obediens *Prælatis*, *devotus*, etiamcum non *ſapit* Deus. Qui non eſt *paratus* ad voluntatem *ſtare* dilecti, non eſt dignus amator appellari. Oportet propter dilectum dura *libenter* amplecti. Dilata me in amore, ut diſcam *interiori* cordis ore deguſtare, quàm ſuave ſit amare.

Prælatus 73. devotus 440. ſapio 53. paratus cum Infinitivo ſæpe. ſtare 74. libenter 180. interiori 121.

203. L. 3. c. 7. Propter *modicam contrarietatem* deficis, & *nimis* avide *conſolationem* quæris. Non eſt *totum* perditum, quando minus bene ſentis. *Præguſtus* patriæ *vadit*, & venit. Non te conturbent *phantaſiæ*. Forte ſerva *propoſitum*. Inimicus nititur deſiderium *evacuare*. *Stabis* confuſus.

203. Modicum 39. contrarietas ſæpe. nimis 36. totum 30. præguſtus minus uſitatum. vadit ſemel. phantaſiæ ſemel. propoſitum 56. evacuare ſæpius. ſtare 74.

204. L. 3. c. 8. Utilius eſt, *devotionis* gratiam non multum *ponderare*. Quidam ſeipſos deſtruxerunt, non *penſantes* ſuæ *parvitatis* menſuram. Facti ſunt *depauperati*. Suum *ſentire* ſequi volunt.

204. Pondero 24. devotionis gratia ſæpius. penſo 43. parvitas 3. depauperatus minus uſitatum. *ſentire* ſubſtantive infinitivus ſæpe.

204. Melius eſt, *modicum* cum parva *intelligentia*. Non *ſatis* diſcretè, nec *ſatis* virtuosè ſapit, qui tem-

204. Modicum 39. intelligentia ſæpe. ſatis 52. ſapio 53. gravitas 19. nimis 36. dejectus 9.

205.

tempore *gravitatis nimis* deſperatè ſe gerit; *ſæpe* tempore belli *nimis dejectus.*

205. Si *ſcires modicus* in te *permanere*, non incideres tam cito in *offenſam.*

205. Modicus 39. offenſa ſæpe.

206. L. 3. c. 9. Si me *vilificavero* & ad *nihilum* redegero, & ab omni propria *reputatione* defecero, atque *pulveriſavero*, omnis æſtimatio in valle *nihilitatis* meæ ſubmergetur. Si mihi relinquor, ecce *tota* infirmitas. Mirum *valde*, quod tam benignè à te *complector.* Me amando ad *nihilum* redegi.

206. Vilifico 1. nihilum, nihilitas 21. reputatio 11. pulveriſare minus uſitatum. *totum* pro *magnum* 30. valde 123. complector paſſivè minus uſitatum.

207. L. 3. c. 10, Ego debeo eſſe finis tuus *ultimatus.* Ex hac intentione *purificabitur* affectus tuus. Si te quæris, ſtatim *areſcis. totum* dedi, *totum rehabere* volo. Si intraverit charitas, cor *privatus* amor non occupabit. Si rectè *ſapis*, in me ſperabis.

207. Ultimatus ſemel. purifico minus uſitatum. totum 30. rehabere minus uſitatum. privatus ſæpe, ſapio 53.

8. L. 3. c. 11. Non omnibus tum, ut omnibus *abdicatis* *aſticam* vitam aſſumant. *Ve-* tu es dignus laude, *verè* Dominus meus es, nec unquam debeo in tuis laudibus *faſtidire.* O *amplectendum* ſervitium, quo ſummum *promeretur* bonum.

208. Abdicare 1. monaſtica 1. verè, 21. promeretur paſſivè minus uſitatum.

209. L. 3. c. 12. Deſiderium *totaliter ponas* ſecundum beneplacitum meum. Et *benè contentus* eris. Ne aliis per *indiſciplinationem* ſcandalum generes. oportet *viriliter* appetitui *contraire*, ut paucis *contentari* diſcat, & *ſimplicibus* delectari.

209. Totaliter 15. ponere 14. bene 69. indiſciplinatus 1. viriliter 10. contraire ſæpius. contentari 12. ſimplicia 50.

210. L. 3. c. 13. Cum fueris tribulationibus *exercitatus*, & *contrarietatibus* probatus. Studeas mala *æquanimiter* tolerare. Homines ſæculi parum *ponderant* ſuas tribulationes; propter *modicum* corruptibilis vitæ mortem animæ incurrunt. Si *veraciter* vis delectari, in contemptu mundanorum erit tibi *conſolatio*. Obſiſtet *inolita* conſuetudo, *remurmurabit* caro.

210. Exercito 3. contrario 1. æquanimiter 2. pondero 24. modicum 39. veraciter 23. inolita minus uſitatum, uti & remurmuro.

211. L. 3. c. 14. Qui quærit *privata*, amittit communia. Qui non *libenter ſuperiori* ſe ſubdit, ſignum eſt, quod caro *recalcitrat*. Diſce *ſuperiori* te ſubmittere. Citius vincitur inimicus, ſi *interior homo* fuerit devaſtatus. Quid *plene* te *reſignare* trepidas. Diſce te ſub omnium pedibus *incurvare*, diſce voluntates tuas frangere.

211. Privatus ſæpe. libenter 180. ſuperior 20. recalcitro minus uſitatum. interior homo 9. devaſtatus minus uſitatum in hoc ſenſu. plenè 11. ſe reſignare 10. incurvare ſe 2. voluntatem frangere 33.

212. L. 3. c. 15. Expaveſcit anima mea *valde*. O quàm ſubmittere me ſub *abyſſalibus* judiciis tuis Domine. O pelagus *intransnatabile*, ubi nihil de me reperio, quam nihil *de nihilo*, in *toto* nihil.

212. Valde 123. abyſſalis, & intransnatabile minus uſitatum. totum 30. nihilum 21.

213. L. 3. c. 16. Mihi *totum* committendum eſt, & dicendum, tu ſcis, *qualiter* melius *eſt*, *gyra*, & *reverſa* me.

213. Totum 30. qualiter ſæpe. cum indicativo ſæpe. gyro, & reverſo minus uſitatum.

214. L. 3. c. 18. Non poteris plenè conſolari. Exſpecta *modicum*. verum ſolatium, quod *intus* percipitur. Hæc mihi conſolatio, *libenter* velle carere humano *ſolatio*.

214. Plenè 11. modicum 39. intus 33. libenter 180.

215. L. 3. c. 19. *Nimis caſualiter ſtat*.

215. Nimis 36. caſualiter derivativum. ſtare 74.

216. L. 3. c. 20. Miſerias non *indignanter* feras. Multas *querimonias* audivi. Dignum eſt, ut patienter me *ſuſtineam*. Etſi *oneroſa* hæc vita, quanti *retro manerent*

216. Indignanter derivativum. querimonia minus uſitatum. ſe ſuſtinere 7. oneroſus 1. *quanti* pro *quàm multi* 5. retro manere 1.

217. L. 3. c. 21. Multi *graviter* tribulati & *exercitati*. Feres *levius*. Non attendas, utrum à *Prælato*, an æquali exercearis. *Totum gratanter* de manu Dei accipe. Nihil pro eo *paſſum* ſine merito. Certa *viriliter*. Tu ſcis, *quod*

217 Graviter 7. exercito 1. levius 9. Prælato 56. totum 30. gratanter 17. paſſum. verbum activum paſſivè ſæpius. viriliter 10. quod, cum indicativo ſæpe. modicum 39. optabilis derivativum. valde 123.

218.

quod modicum poſſum pati. Efficiatur mihi exercitatio *optabilis*. Nam pati pro te *valde* ſalubre.

218. L. 3. c. 22. Propono, me *fortiter* acturum, ſed cum *modica* tentatio venerit, magna mihi *anguſtia*. *Valde vilis* quandoque res, unde gravis tentatio provenit. Hoc eſt, quod me frequenter *reverberat*, quod tam *labilis* ſum. Tædet *valde*, ſic quotidie vivere. Robora me, ne caro necdum *plene* ſubjecta *valeat* dominari. Una tentatione recedente, plures ſuperveniunt *inſperatè*. Qui ſub *diſciplina* vivere ſtudent, divinam dulcedinem veris *abrenuntiatoribus* promiſſam non ignorant.

218. Fortiter 1. modicum 39. valde 123. anguſtia 1 reverberat minus uſitatum. Labilis, & inſperate derivativa. plene 11. valeo 17. diſciplina 27. abrenuntiator minus uſitatum.

219. L. 3. c. 23. Super omnem ſcientiam, & *ſubtilitatem*, ſuper *jubilationem*, tu *ſolatioſiſſimus*. Non poteſt cor meum *veraciter* requieſcere, nec *totaliter contentari* niſi in te.

219. Subtilitas, vel ſubtilis 6. jubilatio 4. ſolatioſiſſimus minus uſitatum. veraciter 23. totaliter 15. contentari 12.

220. L. 3. c. 24. Quis mihi det pennas ad volandum & *pauſandum* in te? O quando *ad plenum* dabitur vacare mihi? quando *ad plenum* recolligam me in te, ut ſentiam te ſuper omnem *ſenſum* veniat Dominus meus ad

220. Pauſare pro quieſcere 7. ad plenum, idem ae plene 11. ſenſus 13. pauperculus 14. intus 33. valde 123. vilitas 7.

121.

ad *paupertulum* ſuum.. Tu mihi *intus* loquaris. Quid habet ſervus tuus, niſi ut humiliet ſe *valde*, memor propriæ *vilitatis*. Sunt opera tua bona *valde*.

221. L. 3. c. 24. Cùm tuam nobilitatem *attendo*. Quæcunque *exterius & interius* poſſidemus. Ille major eſt, qui in *regratiando devotior*. Ille, qui pauciora accepit, te *attendere* debet, quod tam *affluenter*, tam libenter tua munera largiris, unde pro magno *reputo* beneficio non multa habere, unde *exterius* laus appareat, ita ut quis conſiderata *vilitate* perſonæ ſuæ non modo *gravitatem* aut *dejectionem* inde non concipiat, ſed potius *conſolationem*.

221. Attendo 33. interius 121. regratiari 15. devotus 440. affluenter ſeu affluentia 2. reputo 19. gravitas 19. dejectio 9.

222. Tantum quis *contentari* debet, ut ita *libenter* velit eſſe minimus ſicut aliquis *optaret* eſſe maximus & ita pacificus & *contentus*, atque ita *libenter deſpicabilis*; ſicut major.

222. Contentari 12. libenter 180. *opto* pro *volo* 14. deſpicabilis 1.

223. L. 3. c. 27. Clarifica me, & rape me *indurabili* conſolatione, quia nulla res creata appetitum meum *plenariè valet quietare*.

223. Indurabilis 1. plenarie idem, ac plenè 11. valeo 17. quietare 5.

224. L. 3. c. 28. Tu non *indiges reſpondere* pro aliis. Quid ergo te

224. Indigeo cum Infinitivo ſemel. implicare, pro immiſcere

te *implicas.* tu ſerva te in *bona* pace, & *dimitte agitantem agitare*, quantum voluerit. *Libenter* tibi loquerer verbum.

225. L. 3. c. 29. Rebus tibi non commiſſis te non *implices.* Non exiſtimes, *totum* eſſe *bonum*, ſi nullam ſenſeris *gravitatem.* In *devotione* non conſiſtit *profectus.* Omnia æqua lance *penſes*, tunc *indubitata* ſpes erit.

226. L. 3. c. 30. Ne nimis *implicer* à neceſſitatibus corporis, o dulcedo *ineffabilis*, quæ animam *pœnaliter gravant.*

227. L. 3. c. 31. Mirum, quod non *ex toto fundo* cordis te mihi committis? *ſta* ad beneplacitum meum. Nunquam eris in *quietudine.* Nec diu ſtabit pax quæſita *forinſecus*, niſi *ſteteris* in me.

228. L. 3. c. 32. Da *virtutem corroborari in interiori* homine.

229. L. 3. c. 33. Si ambulas ab *intra*, non *ponderabis* volantia verba. Eſt prudentia, *introrſus* converti; non ſit pax tua *in ore hominum.* Ex inordinato amore oritur inquietudo.

230. L. 3. c. 34. Non eſt cordi meo *benè*, cùm fuero *valde* humiliatus, & *gravatus.* Ego *bene* merui gravari.

re 15. agitare 50. libenter 180.

225. Implicari 15. totum 30. gravitas 19. devotio 440. profectus 24. penſo 43. indubitanter 1.

226. Implicari 15. ineffabilis 1. pœnaliter, pœnale 1. gravo 2.

227. Ex toto fundo minus uſitatum. ſtare 74. quietudo ſæpius. forinſecus 121.

228. Virtus corroborari minus uſitatum. interior homo 9.

229. Intra, introrſus 33. pondero 24. in ore hominum 1. inquietudo ſæpius.

230. Benè 69. valdè 123. gravatus 24.

231. L. 3. c. 35. Venias ad me, cùm tibi non fuerit *benè*. Quid *importat* ſollicitudo de futuris, niſi ut *triſtitiam ſuper triſtitiam* habeas? quando exiſtimas *totum* perditum, non eſt *totum* perditum. Non debes judicare ſecundum præſens *ſentire*, nec *gravitati* inhærere

231. Benè 69. importo, pro, proſum 1. ſuper 5. totùm 30. ſentire ſubſtantive ſumendo infinitivum 44. gravitas 19.

232. Noli putare te derelictum *ex toto*. Expedit, ut *exercite mini* adverſis, & ut interdum ſine *ſapore* relinquaris. Si tibi miſero *gravitatem*, aut *contrarietatem*, cito *ſublevare* poſſum. Verumtamen juſtus ſum, & *recommendabilis multùm*; ſi *rectè ſapis*, & *in veritate* aſpicis, nunquam debes tam *dejectè* contriſtari.

232. Ex toto 1. exercito 1. ſapor ſæpius. gravitas 19. contrarietas ſæpius. ſublevo 1. *recommendabilis* minus uſitatum. multùm loco ſuperlativi ſæpius. ſapio 53. in veritate minus uſitatum. dejecte 15.

333. L. 3. c. 36. *Benè* indigeo majori gratia. Oportet *pertranſire* creaturam, & in exceſſu mentis *ſtare*; niſi quis fuerit à creaturis *expeditus*, non poterit intendere divinis. Pauci ſciunt ſe à creaturis *ad plenum ſequeſtrare*. Niſi homo ſit à creaturis liberatus, quidquid ſcit, non eſt magni *ponderis*. Diu parvus erit, qui aliquid æſtimat, niſi ſummum bonum.

233. Benè 69. pertranſeo, pro prætereo 1. ſtare 74. expeditus, pro, liberatus ſæpius. ad plenum idem, ac plenè 11. ſequeſtrare minus uſitatum hac occaſione. ponderis pro momenti ſæpius. parvus 3.

234. Eſt magna differentia *illuminati* & *devoti* viri, & *litterati* Clerici. In ſenſibilibus *ſtatur*; de *interioribus* raro *plenè* recollectis ſenſibus cogitatur. Poſt *modicam* recollectionem *foras* erumpimus, nec opera noſtra *trutinamus*. Actio index eſt *carentiæ interioris* vigoris. Quanta quis virtute fecerit, non *penſatur*; ſi fuerit bonus *laborator*, inveſtigatur, quàm *devotus* & *internus*, tacetur.

235. L. 3. c. 37. *Totaliter* abneges te. *Compediti* ſunt omnes *gyrovagi*, ac *componentes*, quod non *ſtabit*. Peribit *totum*, quod non eſt ex Deo. Hoc mente *pertracta*; nec enim eſt *ludus parvulorum*.

236. Utinam ſic *tecum eſſet*, ut ad nutum meum *purè ſtares*, & ejus, quem tibi *præpoſui*, *Patris*, tunc mihi *valde* placeres. *Poſtpone* terrenam ſapientiam; cœleſtis ſapientia non *ſapiens alta* de ſe, multi eam *oretenus* prædicant.

236. L. 3. c. 38. *Mutabilitati* ſubjectus es: ſtat *bene doctus* in ſpiritu oculo *imprætermiſsè* ad me directo. Caligat oculus in-

234. Illuminatus ſæpe. devotus 440. litteratus 10. ſtare 74. interiora 121. plene 11. modicum 39. foras 33. trutinare, pro, examinare minus uſitatum. carentia 1. penſo 43. laborator minus uſitatum. internus 9.

235. Totaliter 15. compediti, componentes, pro fingentes, gyrovagi, ludus parvulorum, minus uſitata. pertracto 3.

236. Tecum eſſe ſæpe. purè ſæpè. ſtare 74. præpoſui 56. pater 3. valde 123. poſtpono ſine dativo 1. ſapio 53. alta 40. oretenus 2.

236. Bene 69. cito 33. raro ſæpe. totus ſæpe exquiſitio 1. imprætermiſsè minus uſitatum.

237.

intentionis, reſpicit *cito* in aliquod delectabile, & *raro totus* liber à nævo propriæ *exquiſitionis* invenitur.

237. L. 3. c. 39 *Quod* amanti *ſapit* Deus. O *ſapidum* verbum! ſi debet *bene ſapere*. Cui tu *ſapis*, quid ei *recte* non *ſapiet*? cui tu non *ſapis*, quid ei *ad jucunditatem* eſſe poterit? Deficiunt, qui carnem *ſapiunt*. Iſtis ſapit Deus; diſſimilis *ſapor* creatoris, & creaturæ. *Fulgura coruſcationem*, ad inhærendum tibi *jubiloſis* exceſſibus.

238. L. 3. c. 40. Inter hoſtes verſaris à *dextris & ſiniſtris*. Si non *ponis* cor *in me*. Oportet *viriliter* omnia *pertranſire*. Non *ponas* te *ad multam requiem*. Sancti habuerunt *gravitates*, & *deſolationes*. *Viriliter* age; ego reddam *pleniſſime*.

239. L. 3. c. 41. Ora loquentium *mendoſa*. Noli contendere verbis *queruloſis*.

240. L. 3. c. 42. *Sta* ſine proprietate: Adjicietur gratia, ſtatim

237. Quod, cum indicativo. ſapio 53. recte ſæpe. ad jucunditatem minus uſitatum; uti &, fulguro, coruſcatio, jubiloſus.

238. A dextris & ſiniſtris 1. ponere in aliquo, vel ad aliquid 14. pertranſeo 1. gravitas 19. viriliter 10. plene 11.

239. Mendoſus 1. queruloſus 1.

240. Stare 74. reſignare ſe 10. intus 33. plene 11.

tim, ut te *reſignaveris*! quoties me reſignabo? ſis à propria voluntate *intus* & *foris* ſpoliatus. Non *plenè* Deo confidunt. ſine *reſignatione* non *ſtat* unio.

241. L. 3. c. 43. Sis *interius* liber; ſi in omni eventu *ſtas*, *redies*, pro improbitatibus hominum *ſublevandis* confugere debes in cordis tui *ſecretarium*.

241. Interius 121. ſtare 74. redies ſæpius. ſublevare, pro tollere 1. ſecretarium cordis 5.

242. L. 3. c. 44. Sæpe homo rem *agitat*. homo *abnegatus valde* liber eſt.

242. Agito 50. abnegatus minus uſitatum. valde 123.

243. L. 3. c. 45. *Certè*, niſi à te fuero *interius* informatus, *totus* efficior tepidus. ſi *benè ſcirem* humanam conſolationem abjicere. unde appeto *reputari*? nunquid de *nihilo*?

243. Certè ſæpe. interius 121. totus ſæpe. bene 69. reputo 19. nihilum 21.

244. L. 3. c. 46. Noli tibi attrahere, ſi videas alios honorari. vanitate *cito* ſeducimur; non habeo conqueri. Non poſſum *interius pacificari*.

244. Attraho, pro curæ eſſe 2. cito pro faciliter 33. habeo cum infinitivo 30. interius 121. pacifico 1.

245. L. 3. c. 47. Pax non eſt *ponenda in hominibus*. Si *ponis* pacem tuam cum *aliqua perſona*, propter tuum *conſentire* & *convivere*, *impacatus* eris. in me debet amici dilectio *ſtare*. ſine me non valet amicitia. ſi ſcires te *annihilare*, & ab amore creato eva-

245. Pono in aliquo 14. pono cum aliquo. minus uſitatum. infinitivus ſubſtantivè 44. ſtare 74. impacatus minus uſitatum, uti, *in te cum gratia emanare*. annihilo 1. modicum 39. vileſco 4.

246.

evacuare; tunc deberem *in te cum magna gratia emanare. modicum* retardat à ſummo bono. homo ſibi *vileſcit*.

246. L. 3. c. 48. *Attende* verba mea, ego *intelligentiam* tribuo. ego doceo ſine *pugnatione* argumentorum! doceo æterna *ſapere* non in ſtudendo *ſubtilia*; *intus* ſum doctor, cogitationum *intellector*.

246. Attendo cum accuſativo 33. intelligentia, pugnatio. intellector. minus uſitata. ſapio 53. intus 33.

247. L. 3. c. 49. De non *attrahendo* ſibi res exteriores; multa oportet ſurda aure *pertranſire*. utilius eſt, unicuique ſuum *ſenſum* relinquere. ſi *bene ſteteris* cum Deo, facilius te *portabis*. pro *modico* quæſto curritur; *totus* homo in *exterioribus* jacet.

247. Attraho 2. pertranſeo 1. ſenſus 13. benè 69. ſtare 74. ſe portare 5. modicum 39. totus ſæpe. exteriora 121.

248. L. 3. c. 50. Quis eſt, qui ſe ita *circumſpectè* in omnibus *cuſtodire valet*? ut in *perplexitatem* aliquando non veniat?

248. Circumſpecte 5. cuſtodire ſe 14. valeo 17. perplexitas 1.

249. Si fuerit *implicatus*, eruetur. rarus amicus, perſeverans in *preſſuris*. ô quàm benè *ſapuit* illa anima. quàm bonum, non *indifferenter* omnia credere, neque ulterius *effari*! quàm tutum, humanam fugere *apparentiam*!

249. Implicari 15. preſſura 13. ſapio 53. indifferenter, effari, in hoc ſenſu, minus uſitatum, uti &, apparentia.

250. L. 3. c. 51. Te *libenter* velis emendare; *penſa*, quod velis *libenter* pro Deo ſuſtinere. parum *ſatis* eſt, ut verba ſuſtineas, qui necdum verbera tolerare *vales*. quare tam parva tibi *ad cor tranſeunt*? niſi, quia homines *attendis*? qui cor *intus* non habet, faciliter movetur. qui non appetit proprio judicio *ſtare*, ego ſcio, *qualiter* res acta eſt; ego *injuriantem* novi. juſtus *penſat*, quia ego non judico ſecundum humanam *apparentiam*. debui *me* manſuete *ſuſtinere*. dona gratiam *ſufferentiæ*. melior eſt tua miſericordia quàm mea *opinata* juſtitia.

250. Libenter 180. penſo 53. ſatis 52. valeo 17. tranſit ad cor 1. attendo 33. intus 33. ſtare 74. qualiter. ſæpe. ſufferentia 1. injurio, apparentia, opinatus, minus uſitata.

251. L. 3. c. 52. Non *frangant* te labores; non diu hic *gravaberis*. ceſſabit omnis *tumultus*. *modicum* eſt, quod tranſit. ſuſtine *viriliter*. erit ſalus *indefectiva*. ſi vidiſſes ſanctorum coronas, *affectares* ſubeſſe potius, quàm præeſſe, & pro Deo tribulari *gauderes*, & pro *nihilo* inter homines *computari*. ô ſi tibi hæc *ſaperent*, & profundè *ad cor tranſirent*. Ecce, ſancti modo *conſolantur*.

251. Frangere ſe 33. gravor 24. tumultus 21. modicum 39. viriliter 10. affecto 18. gaudeo, cum infinitivo 3. nihilum 21. computo 7. ſapio 53. ad cor tranſire 1. conſolari. paſſivè, & indefectiva minus uſitata.

252. L. 3. c. 53. Quàm *tædioſa* iſta vita!

252. Tædioſa 2. implicari 15. gra-

vita! multis vanitatibus *implicatur*, multis erroribus *circumfunditur*, tentationibus *gravatur*. quando *ad plenum* lætabor? quando ero ſine omni *gravamine*?

253. Quando erit pax *imperturbabilis*, pax *intus & foris*, pax *ex omni parte* firma; *opto* inhærere cœleſtibus, ſed deprimunt *immortificatæ* paſſiones. *fulgura coruſcationem*; confiteor *verè*, *quia valde* diſtractè me habere conſuevi. ſi cœlum diligo, de cœleſtibus *libenter penſo*; ſi ſpiritum amo, de ſpiritualibus cogitare *delector*.

254. Beatus, qui creaturis *licentiam abeundi* tribuit, ut *ſerenata* conſcientia orationem offerat, terrenis *foris & intus* excluſis.

255. L. 3. c. 54. Non hoc *cogitato* tuo accipis. *deſideranter* petunt; quod aliis placet, *proceſſum* habebit, quod tu dicis, *pro nihilo computabitur*. Erunt alii magni *in ore hominum*, tu *ad nihil utilis* judicaberis: in his probari ſolet ſervus, *qualiter* ſe abnegare, & *frangere* quiverit. vix eſt aliquid, in quo tantum *moneri indiges*, ſicut pati.

256.

gravor 4. gravamen 10. ad plenum, idem, ac plenè 11. circumfundo. minus uſitatum.

253. Intus 33. ex omni parte 1. immortificatus 1. opto pro volo 14. verè 21. quia, pro, quod, ſæpe. valde 123. libenter 180. penſo 53. delector cum infinitivo, & imperturbabilis minus uſitata.

254. Licentiare 2. ſerenare minus uſitatum. intus 33.

255. Deſideranter 13. cogitatus 1. nihilum 21. computo 7. proceſſus ad nihil utilis, minus uſitata. in ore hominum 1. qualiter ſæpius. frangere ſe 33. indigeo cum infinitivo 1.

256. In-

256. Durum tibi videtur proprium *ſentire* omittere; ſed *penſa* præmium *nimis* magnum, & non habebis *gravamen* ſed ſolamen. pro *modica* hac voluntate in cœlis tua voluntas nil cupiet *extraneum*, vel *privatum*. inclina te *ſub* omnium *manibus*, nec curato ſive *Prælatus*, ſive minor innuerit.

256. Infinitivus ſubſtantivè ſæpe. penſo 53. nimis 36. gravamen 10. modicum 39. extraneum 9. privatum ſæpe. Prælatus 56. ſub manibus inclinare minus uſitatum.

257. L. 3. c. 55. Venit hora, ut ad *modicum* tempus ſuccumbat *foris* ſervus tuus, vivat verò ſemper apud te *intus*: *vilipendatur*, ut clarificetur. gratias tibi, quia immiſiſti anguſtias *foris & intus* ut incurvem *tortuoſitatem meam*, ſicut *benè* facere conſuevisti; ne deſpicias *peccaminoſam* vitam meam. da, hoc *reputare*, quod tibi pretioſum apparet: non me ſinas, ſecundum auditum hominum imperitorum *ſententiare*. quid eſt homo, *quia reputatur* ab homine? *veraciter* confundit dum laudat.

257. Modicum 39. foris 33. intus 33. vilipendo 6. tortuoſitas, ſententiare minus uſitata. reputo 19. quia, pro quod. ſæpe. veraciter 23.

258. L 3. c. 56. Non *vales*, ſemper in ferventiori deſiderio *ſtare*, ſenties *gravamen* cordis, eo quod non *vales*, ſpiritualibus *indeſinenter* inhærere.

258. Valeo 17. ſtare 74. gravamen 10. indeſinenter 1.

259. L. 3. c. 57. *Nihil dignus* ſum, quàm flagellari. in multis *valde* deli-

259. Nihil dignus. minus uſitatum. valde 123. penſo 53. devotus 440.

deliqui, vera *penſata* ratione. Nec decet me inter *devotos* tuos commorari.

260. L. 3. c. 58. Nullius require *confabulationem*, ut *compunctam* teneas mentem. Si ſcandere *gliſcis*, oportet *viriliter* incipere. Ex hoc vitio pendet pene *totum*, quidquid *radicaliter* vincendum eſt. Pauci *plenè* extra ſe tendunt; nulli creaturæ *concupiſcenter* inhæreat.

260. Confabulari ſæpe. compunctus 27. gliſcere minus uſitatum. viriliter 10. totum 30. radicaliter 1. plenè 11. concupiſcenter derivativum.

261. L. 3. c. 59. Motus naturæ & gratiæ *valdè* contrariè moventur. Gratia *ſimpliciter* ambulat, in Deo *finaliter* requieſcit, reſiſtit *ſenſualitati*, ſub *diſciplina amat* teneri, *libenter* amplectitur laborem; *ſimplicibus* delectatur, nec verbis durioribus *acerbatur*; reſtringit *evagationes*; in omni *ſenſu* ſe ſubmittit natura abhorret *vilia* & *groſſa*; multum *ponderari* ſua geſta concupiſcit. Quando natura premitur, *interior homo* reformatur.

261. Valde 123. ſimpliciter 50. finaliter 10. ſenſualitas 4. diſciplina 27. amo cum infinitivo 2. libenter 180. acerbo minus uſitatum. evagatio 3. ſenſus 13. vilia 7. groſſa 6. pondero 24. interior 121.

262. L. 3. c. 60. Obediendum *ſenſualitati*. Dum *ſenſualitati* obedio. Nec quantalibet *alta* ſpeculatio æſtimetur. Gratia, ſolamen *preſſuræ*, *fugatrix* triſtitiæ, *ablatrix* timoris, *productrix* lachrimarum.

262. Senſualitas 4. alta 40. preſſura 13. derivativa in *ix* frequenter.

263. L. 3. c. 61. Quantum *vales* à te exire. Ego vita *interminabilis*. Dona mihi, tecum mundi *deſpectum* imitari. Extra vitam tuam nil delectat *plenè*. *Retro* abire non licet. ſequamur *viriliter*.

263. Valeo 17. deſpective 1. plene 11. interminabilis 2. retrò 1. viriliter 10.

264. L. 3. c. 62. Nunc *dimitte* tranſire. *Satis* virilis es; *attende* fragilitatem tuam. Hoc te non *dejiciat*, nec diu *implicet*; *pone ex corde*. Suſtine patienter, ſi non potes *gaudenter*, dolor *dulcorabitur*. Non eſt *totum fruſtratum*: ego ſum, qui mœrentes erigo *ſoſpitate*.

264. Dimitto, pro ſino ſæpe. ſatis 52. attendo 33. dejicio 3. implicari 15. pone ex corde, minus uſitatum. gaudenter 4. dulcoro 1. totum 30. ſoſpitas 1.

265. L. 3. c. 63. Caveas diſputare de *altis* materiis. Ego infudi conſolationes *magnificas*. Sancti *toti* in amorem Dei *pergunt*: igne *ardeſcunt inextinquibilis* charitatis. Melius facit, qui de virtutum ſuarum *parvitate* cogitat, quàm qui de ſanctorum *majoritate* aut *parvitate* diſputat. Illi *benè* & optimè *contentantur*, ſi homines ſcirent *contentari*, & *vaniloquia* ſua compeſcere. Gaudio *ſupereffluenti* replentur.

265. Altus 40. magnificus 13. totus ſæpe. parvitas 3. bene 69. contentari 12. ſupereffluo 1. inardeſco 1.

266. L. 3. c. 64. Ubi mihi *benè* fuit ſine te, aut *malè*, præſente te? tu mihi in *deſiderio* es, *totum* infir-

266. Bene 69. totum 30. pone 14. indignitas ſæpius.

infirmum invenio, quidquid extra te conſpicio; *pono totam* ſpem meam in te. Locus *contutari* nos non poteſt. Benedic, ut nihil *indignitatis* in templo tuo inveniatur.

267. L. 4. c. 1. Verba tua mihi *gratanter* ſunt accipienda. *Libenter* ea ſuſcipio ex ore tuo. Sed me *reverberat* conſcientia. Jubes, ut *fiducialiter* accedam, ut accipiam *alimoniam* vitæ. Quid ſibi vult *amicabilis* invitatio, & *dignatio?* Moyſes arcam ex lignis *imputribilibus* fecit. Eſt valde magna diſtantia inter arcam & corpus tuum cum ſuis *ineffabilibus* virtutibus; inter legalia illa *præfigurativa*, & hoſtiam ſacrificiorum *completivam.* Saltavit *devotiſſimus* Rex David; tanta agebatur tunc *devotio*; quanta nunc eſt habenda *devotio?*

267. Gratanter 17. libenter 180. fiducialiter 3. amicabilis 1. dignatio 1. ineffabilis 1. devotio 440. reverbero, imputribilis, præfigurativus, completivus, minus uſitata.

268. L. 4. c. 1. Sæpe in talibus videndis eſt novitas *inviſorum* & *modicus* fructus, ubi eſt tam levis *diſcurſus.* Ad te non trahit *ſenſualitas.* Dolendum *valdè ſuper* tepiditate noſtra. Heu cæcitas! tam *ineffabile* donum non magis *attendere.*

268. Modicus 39. ſenſualitas 4. valde 123. ineffabilis 1. attendo 33. *inviſus*, pro, *nondum viſus* 1; *diſcurſus* pro *diſcurſio* minus uſitata. ſuper 5.

269.

269.

269. L. 4. c. 2. *Super bonitate* tua *confiſus*, confiteor *vilitatem* meam; quid cogitabo, niſi me *totaliter* humiliando? deſpicio me in profundum *vilitatis meæ*. Qualis *dignatio* illuceſcit? ſub *modica* ſpecie integer contineris. Debes hoc myſterium *penſare*.

269. Super, pro *in* 5. vilitas 7. totaliter 15. dignatio 1. modicus 39. penſo 43.

270. L. 4. c. 3. Venio, ut *benè* mihi ſit; deſidero te *reverenter* ſuſcipere, *quatenus* merear benedici; ſine te vivere non *valeo*. Sæpe *tepeſco*, & *à propoſito defluo*. Ad *pauperculam* dignaris venire animam, *vivificator* omnium ſpirituum, ſuper omnia *deſiderabilia* amandus.

270. Bene 69. reverenter ſæpius. quatenus ſæpe. valeo 17. tepeſco 4. pauperculus 14. deſiderabilis 5. defluere à propoſito, vivificator minus uſitata.

271. L. 4. c. 4. Ut ad *magnificum* ſacramentum *devote* merear accedere. Suavitas in hoc ſacramento *plenariè* latet. Ad hæc capienda nemo *idoneus*. Quid ego de tam *alto* ſecreto potero inveſtigare.

271. Magnificus 13. devote 440. plenariè, pro, plenè 11. idoneus, pro capax minus uſitatum. altus 40.

272. In *Simplicitate* cordis *totus* amore *perfluam*, & de nulla conſolatione aliena *me intromittam*. Eſt hoc *altiſſimum* ſacramentum: paſſiones *frenantur*, charitas *igneſcit*.

272. Simplicitas 50. totus ſæpe. ſe intromittere, & perfluere minus uſitatum. altus 40. freno 1. igneſco 1.

273. *Suſceptor* animæ meæ, *reparator* infirmitatis, & *totius* dator conſolationis. De imo *dejectionis* erigis. Cum electis tam *diſpenſanter* agis, ut *patenter* experiantur.

274. Saltem *modicam* guttulam capiam, tu fons es *ſuperabundans*. Tentationibus *inquietor*, paſſionibus *implicor*.

275. L. 4. c. 5. Deus eſt *operator*. Plus Deo credendum, quàm proprio *ſenſui*. Non *alleviaſti* onus. Alligatus es vinculo *diſciplinæ*.

276. Sacerdotis *converſatio* non cum *popularibus*. habet *ante & retro* ſignum crucis. [1] *Poſt ſe* cruce ſignatus eſt.

277. L. 4. c. 6. Cum *vilitatem* meam *penſo*, contremiſco, valde. Tu *conſiliator* in neceſſitatibus. Utile eſt ſcire, *qualiter devotè* debeam accedere.

278. L. 4. c. 7. Dole, quod ita *carnalis* ſis, & *immortificatus*, tam *incuſtoditus*, tam ſæpe *phantaſiis implicatus*, tam *multum* inclinatus ad *exteriora*, tam negligens ad *interiora*, tam levis ad *diſſolutionem*, tam *curioſus* ad nova.

273. Patenter 1. dejectio 9. totus 30. patenter 1. ſuſceptor, reparator, diſpenſanter, minus uſitata.

274. Modicus 39. inquietor 4. implicari 15. ſuperabundans minus uſitatum.

275. Senſus 13. allevio 2. diſciplina 27. operator. minus uſitatum.

276. Converſatio 38. *popularis*, *ante & retro*, *poſt ſe*, id eſt, à tergo, minus uſitata.

277. Vilitas 7. penſo 43. valde 123. conſiliator minus uſitatum. qualiter ſæpe. devotè 440.

278. Carnalis 3. immortificatus 1. incuſtoditus 40. phantaſiæ 1. implicor 15. multùm 86. exteriora, interiora 121. diſſolutio 12. curioſus 5.

278. Tam *inconſideratus* in loquendo, *incontinens* ad tacendum tam *modicum* ad effectum perducens. His defectibus *confeſſis* & *deploratis* ingemiſce.

279. L. 4. c. 8. Quotidie debes in Miſſa *cum* omnibus viribus, quanto *intimius vales*, offerre. Si in teipſo *ſteteris*, non eſt *plena* oblatio; ideo tam pauci *illuminati*, & liberi *intus* efficiuntur. O *ineffabilis* gratia! cor Deo *totaliter* tribuam. Volo *libenter* eſſe tecum.

280. L. 4. c. 9. Super *placabili* altari tuo. Omnia mihi *plenè* indulgeas; quid poſſum, niſi miſericordiam *inceſſanter* deprecari? *reſigno* me in manibus tuis.

281. Sancti ad te *medullitus* inhiabant. Concede *modicum* de *cordiali* affectu, ut fides *convaleſcat*.

282. L. 4. c. 10. Recurrendum eſt ad fontem *totius* pietatis *quatenus* à paſſionibus curari *valeas*, & *vigilantior* effici merearis. Cùm quidam communioni ſe aptare diſponunt, pejores ſatanæ *immiſſiones* patiuntur.

278. Inconſiderate 1. *incontinens*, in hoc ſenſu minus uſitatum. modicum 39 confeſſus & deploratus paſſivè minus uſitatum.

279. Cum. redundat. intimè. 8. valeo 17. ſtare 74. plena 11. illuminatus 1. intus 33. ineffabilis 1. totaliter 15. libenter 180.

280. Placabile altare minus uſitatum. plenè 11. inceſſanter 2. reſigno 10.

281. Medullitus minus uſitatum. modicum 39. cordialis 11. convaleſco minus uſitatum.

282. Totus 30. quatenus ſæpe. valeo 17. vigilans ſæpe. aptare minus uſitatum. immiſſiones 3.

283. L. 4. c. 10. Cuncta *phantaſmata* in caput ejus ſunt retorquenda. Non eſt curandum de *phantaſiis* illius. Propter parvam *gravitatem* ne *dimittas* communionem.

284. *Vade* confiteri; *offenſiones* aliis *libenter* indulge, & Deus tibi *libenter* indulgebit. Si hodie *dimittis*, cras magis *ineptus* eris.

285. *Quanto* citius *valeas*, à *gravitate* & *inertia* te excutias, quia nihil *importat*, diu *anxiari*.

286. Nocet ſe à communione ſequeſtrare, & communionem protelare.

287. *Diſſoluti* moras confitendi *libenter* accipiunt, ne ad majorem ſui *cuſtodiam ſe dare* teneantur, heu, quam *modicam* charitatem, & debilem *devotionem* habent, qui ſacram communionem tam faciliter *poſtponunt*?

288. Accende *frigiditatem* meam; tu ſolus mihi *dulceſcas*, *totum* bonum meum. Utinam me *totaliter* accendas, ut unus tecum efficiar per *liquefactionem*. Quid mirum, ſi totus ex te *igneſcerem*.

289.

283. Phantaſmata 9. phantaſiæ 1. gravitas 19. dimitto, pro omitto ſæpius.

284. Vade cum Infinitivo ſæpe. offenſiones ſæpe. libenter 180. dimitto ſæpe. ineptus 1.

285. Quanto, pro, quò. Valeas, pro vales. minus uſitatum. valeo 17. gravitas 19. inertia 2. importat, pro, prodeſt 1. anxiari 2.

286. Sequeſtrare minus uſitatum. protelare 2.

287. Diſſolutus 12. libenter 180. cuſtodia 14. dare ſe ad aliquid 11. modicus 39. devotio 440. poſtpono, pro negligo 1.

288. Frigiditas, liquefactio minus uſitata. dulceſco 4. totum 30. totaliter 15. igneſco 1. infrigidatus 1.

289.

289. L. 4. c. 11. Sancti gaudent in Claritatem *abyſſalis Deitatis transformati.* Pro nihilo duco omne. Me nulla creatura poteſt *quietare*, niſi tu Deus, quem deſidero *æternaliter* contemplari.

289. Abyſſalis, transformare, minus uſitata. quieto 5. æternaliter 9.

290. *Ponam* me ad patientiam, cùm *fruibili* unione potiti fuerint, & *benè* conſolati.

290. Pono 14. fruibilis 1. bene 69.

291. L. 4. c. 12. Ibi eſt locus *requietionis*. Exclude *totum* ſæculum, & vitiorum *tumultum*. Nihil *habet ad retribuendum*, niſi *regratiando*.

291. Requietio minus uſitatum. totum 30. tumultus 21. habere ad aliquid, minus uſitatum. regratiari 15.

292. L. 4. c. 13. Æterna *ſapere* diſcam. Quando ero mei *totaliter* oblitus.

292. Sapio 53. totaliter 15.

293. L. 4. c. 14. Confundor, quod non ſum totaliter accenſus, nec ita vehementer *attractus* & *affectus*.

293. Totaliter 15. vehementer attrahi, & affici, minus uſitatum.

294. L. 4. c. 15. Oportet *devotionis gratiam inſtanter* quærere, *indeſinenter* petere, *fiducialiter* exſpectare, *gratanter* recipere. humiliare te debes, cùm parum *devotionis interius* ſentis, ſed non nimium *dejici*.

294. Devotionis gratia ſæpe. inſtanter 1. indeſinenter 1. fiducialiter 3. gratanter 17. devotio 440. interius 121. dejici 15.

295. Si gratia pro voto adeſſet, non eſſet homini *benè portabile*: propterea exſpectanda *devotionis gratia*. *Modicum* ſæpe eſt, quod

295. Bene 69. portabile 1, devotionis gratia ſæpe. modicum 39.

296.

quod gratiam impedit, ſi tamen *modicum* dici debeat.

296. Si te in *teipſo poſueris*, *pacatum* te invenies, quia *benè ſapiet*. Se *poſuit totaliter* in manu ejus.

296. Pono 14. pacatus, pro, habens pacem, minus uſitatum. bene 69. ſapio 53. totaliter 15.

297. L. 4. c. 16. Sæpe ſum *gravatus*. te pro ſublevamine *deprecor*.

297. Gravor 24. ſublevamentum 1.

298. L. 4. c. 17. Cum toto cordis affectu, in *ardentiſſima devotione totum* bonum meum, felicitas *interminabilis*.

298. Totum 30. ardenter 2. interminabilis 2.

299. Offero *inflammata* deſideria cum *intimo* favore. Nihil *opto* mihi reſervare, ſed omnia *libentiſſimè* immolare. Te *affecto* ſuſcipere. Joannes *lætabundus* exultavit, *valde* ſe humilians omnium *devotorum jubilationes*, ardentes affectus offero.

299. Inflammatus 1. intimus 8, opto pro volo 14. libenter 180. affecto 18. lætanter 21. valde 123. devoti 440. jubilatio 4.

300. L. 4. c. 18. Plus valet *tolerabilis* inquiſitio veritatis. Non exigitur *altitudo* intellectus. Humilia *ſenſum* tuum. Deus aperit *ſenſum* ſuum puris mentibus.

300. Tolerabilis 1. altus 40. ſenſus 13.

Attuli jam fermè 300. dictiones, voces, phraſes, quarum pleræque reperiuntur in aliis operibus Thomæ Kempenſis, in aliis autem libris non paſſim pleræque occurrunt. Verùm quidem eſt, earum ſingulas, aut etiam collectionem earum aliquam v. g. 50. aut 100, in aliis libris reperiri, maxime in ſcriptura, & ſcriptoribus ſæ-

culi 14. & 15. ſed totam collectionem in hoc ſenſu in alio libro reperiri, omnino negamus.

§. 220.

Librum de Imitatione cum operibus Thomæ de Kempis in numero, ſententiis, & variis aliis notis characteriſticis convenire.

Liber de Imitatione.	*Alia Opera Thomæ K.*
1. L. 1. c. 17. Habitus & tonſura modicum conferunt, ſed mutatio morum, & integra mortificatio paſſionum.	1. Serm. 14. ad Novit. n. 9. Non veſtis pulchra perfectum facit religioſum; ſed perfecta ſæculi abrenuntiatio, & vitiorum quotidiana mortificatio.
2. L. 1. c. 2. Quid prodeſt tibi alta de Trinitate diſputare, ſi careas humilitate?	2. Serm. cc. n. 9. Quid prodeſt altum nomen ſine humilitate?
3. L. 1. c. 11. Si non vincis parva & levia, quomodo ſuperabis difficiliora.	3. Hort. roſ. c. 15. n. 2. Si non potes parva vincere, non poteris graviora ſuperare.
4. L. 1. c. 12. Valde vilis quandoque res eſt, unde gravis tentatio provenit.	4. Hort. roſ. c. 15. n. 2. Sæpe valde parva res eſt, unde homo valde graviter tentatur.
5. L. 3. c. 50. Sancta illa anima quæ dixit, mens mea ſolidata eſt, & in Chriſto fundata.	5. In opuſc. Beata Agatha ingenua virgo ait: Mens mea ſolidata eſt, & in Chriſto fundata.
6. L. 1. c. 2. Ama neſciri, & pro nihilo reputari.	6. In opuſc. Ama neſciri & pro nihilo reputari.
7. L. 1. c. 22. Miſer es, ubicunque fueris, niſi ad Deum te convertas.	7. Solloq. c. 12. Quocunque te vertere diſponis, dolores ſemper invenies, & tædia multa, niſi fueris ad Creatorem converſus.

8. L. 8. Opuſc.

8. L. 1. c. 3. Ubi ſunt modo, quos bene noviſti, dum adhuc viverent, & florerent?

8. Opuſc. 5. c. 2. n. 9. Ubi ſunt, qui in hoc mundo floruerunt?

9. L. 1. c. 1. Omnia vanitas, præter amare Deum.

9. Manual. c. 7. Omnia pereunt, præter amare Deum.

10. L. 2. c. 11. Plures invenit JEſus ſocios menſæ, ſed paucos abſtinentiæ.

10. Hort. Roſ. c. 7. Chriſtus multos habet amatores & ſodales menſæ, ſed paucos ſectatores abſtinentiæ.

11. L. 2. c. 12. Tota vita Chriſti crux fuit & martyrium.

11. In Cant. 8. Tota vita JEſu Chriſti crux fuit & martyrium.

12. L. 1. c. 15. Sæpe videtur eſſe charitas, & eſt magis carnalitas.

12. De diſcipl. c. 11. Sæpe putatur eſſe charitas, & eſt magis carnalitas

13. L. 3. c. 37. *De abnegatione ſui.* In hac docet omnem perfectionem conſiſtere his verbis: Tene breve, & conſummatum verbum; in hoc brevi includitur omnis perfectio religioſorum.

13. De diſpenſ. l. 2. c. 3. Quidquid virtutis, quidquid perfectionis, quidquid ſpiritualis eſt converſationis, in hoc uno adimplevi, videlicet in plenaria mei abnegatione.

14. Libro tertio habetur perpetuum colloquium inter Deum, & hominem, quandoque etiam in eodem capitulo, v. g. 49. Sumamus tantum initia capitulorum. c. 2. Loquere Domine, quia audit ſervus tuus. c. 3. Audi fili mi verba mea. c. 4. Domine Deus meus, omnia bona tu es, c. 5. Fili, ambula coram me. c. 6. Benedico te Pater cœleſtis. c. 7. Fili, non es adhuc fortis &c.

14. Idem habet in aliis libris v. g. doctrin. Juven. c. 11. ubi ſic ait, Domine durus videtur hic ſermo. Audi fili me & docebo te, &c. &c. Domine verum eſt, quod loqueris &c. In ſoliloq. c. 18. ait: Dilecte Domine reſponde pro me, tu loquere &c. Et vox dilecti mei: Non attendas ad voces exprobrantium &c. Cui ego; Dilecte Domine, non eis imputetur &c. Dicit ille: Bo-

&c. Hæc viciſſitudo inter loquentem Deum & hominem eſt perpetua per totum librum 3.

15. De miſeriis & tentationibus humanæ vitæ loquens easdem cogitationes fovet. 1. Dicit neminem exemptum eſſe à miſeriis. 2. Non eſſe ſumendum ſcandalum à felicibus. 3. Sed conſiderandum, miſerias eſſe ad profectum noſtrum. 4. Et ad gloriam. 5. Et ad exempla ſanctorum. L. 1. c. 22. Nemo eſt in mundo ſine aliqua tribulatione, quamvis Rex ſit vel Papa. Et L. 1. c. 13. Quamdiu in mundo vivimus, ſine tribulatione eſſe non poſſumus; una tentatione ſeu tribulatione recedente alia ſupervenit, & ſemper aliquid ad patiendum habebimus; nemo tam perfectus, qui non habeat tentationes: non eſt Ordo tam ſanctus, nec locus tam ſecretus, ubi non ſint adverſitates. 2. Dicunt multi (L. 1. c. 22.) Ecce, quàm bonam vitam ille habet, quàm dives, quàm potens, quàm excelſus? 4. Sed attende ad cœleſtia bona. Væ, amantibus ſuam miſeriam, in fine graviter ſentient, Bonum, quia humiliaſti te &c. Simile Colloquſum habet de tribus Tabern. c. 1.

15. Serm. 10. ad Nov. ſic ait 1. Nemini parcit Deus, ſed dat unicuique ſuum onus ad portandum, ut habeat cauſam ad multum Promerendum. Impugnatur omnis Chriſtianus, ſive religioſus, ſive ſæcularis, nec dives, nec pauper ſine onere eſt: quilibet habet ſatis ad portandum. 2. Non ſcandalizet vos, ſi mali florent in mundo; & boni gemunt ſub onere; 4. Deus meliora & æterna bona providit electis ſuis; malis omnia in eorum perniciem retorquet. Permittit Deus multas tribulationes cadere ſuper juſtos ad meritorum augmentum. Sanctorum vitam aſpicite, ut in adverſis fortes ſitis.

16.

tient, quam vile erat, quod amaverunt. 5. ſancti non attenderunt, quæ carni placuerunt. 3. quando tribularis, tunc tempus eſt promerendi.

16. L. 2. c. 12. De via crucis ſic diſſerit: durus multis videtur hic ſermo; Abnega temetipſum & ſequere me; ſed quid times, tollere crucem, per quam itur ad regnum, in cruce ſalus, in cruce gaudium ſpiritus; tolle ergo crucem, & ſequere Jeſum & ibis in vitam æternam. præceſſit ille bajulans ſibi crucem, ut tu portes crucem; quia ſi ſocius fueris pœnæ, eris & gloriæ. ſi hoc durum, multo durius erit audire illud extremum verbum diſcedite maledicti in ignem æternum? totum caput illud de Cruce extat in aliis operibus Thomæ K.

16. Serm. 23. De paſſione ſimilia habet, ſic: demonſtrat Chriſtus exemplo, quod docuit verbo: qui vult venire poſt me abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. ne formides, per crucem itur ad ſalutem, per pœnam pervenitur ad gloriam. Ecce! habes præceſſorem aſperioris viæ Jeſum; bajulat humilis Jeſus crucem ſuam; ſequere Dominum, ut eo duce pervenias ad æternæ felicitatis regnum. videtur via crucis amara & gravis, ſed finis erit. nonne melius eſt, nunc lugubrem ducere vitam, quàm cum diabolo æternaliter cruciari in inferno. Similia habet Serm. 19. ad Nov. Serm. 24. de paſſ. & Enchir. 1. c.

17. Frequenter agit contra inordinatum ſciendi deſiderium; videlicet l. 1. c. 1. 2. & 3. & l. 3. c. 63. & præcipuè l. 3. c. 48. cujus inſcriptio eſt: *Contra vanam*

17. Idem agit paſſim in aliis operibus v. g. Serm. 12. ad Nov. & in Vita Gerardi M. c. 18 proponit ſimilia documenta pro fuga diſputationum & vanarum ſcientiarum. & Serm. 17 ad *Nov.*

nam & ſæcularem ſcientiam ubi ſic ait: nunquam ad hoc legas verbum, ut doctior, aut ſapientior poſſis videri. væ illis, qui multa curioſa inquirunt, & de via mihi ſerviendi parum curant: ego doceo, ſine pugnatione argumentorum. & l. 1. c. 3. quid curæ nobis de generibus & ſpeciebus? quid prodeſt magna cavillatio de occultis & obſcuris rebus. humilis tui cognitio certior via eſt ad Deum, quàm profunda ſcientiæ inquiſitio. ô ſi tantam adhiberent diligentiam ad extirpanda vitia, ſicut ad movendas quæſtiones! quia verò plures magis ſtudent ſcire, quàm vivere, ideo ſæpe errant: quid prodeſt alta de Trinitate diſputare, ſi careas humilitate. l. 1, c. 1.

18. Frequenter exhortatur incipiendo per particulam Eja! v. g. l. 1. c. 23. Eja! chariſſime. l. 2. c. 1. Eja! anima fidelis. l. 3. c. 5. Eja! Domine Deus! l. 3. c. 56. Eja! fratres.

19. Familiarem habet modum excla-

Nov. n. 3. & 5. In vita Gerardi c. 18. ſic habetur: Nullam (propone) artem ſtudere, nullum librum facere, nullam practicam ſcientiæ exercere ad dilatandam famam meam, & nomen ſcientiæ meæ, vel ad habendos honores, vel ad memoriam mei relinquendam. item nullum verbum proferas, de quo multum religioſus vel ſcientificus appareas. item omnem diſputationem publicam vitare, quæ eſt litigioſa, ſicut ſunt diſputationes Theologorum & Artiſtarum Pariſiis. Serm. 12. ait: Multi philoſophi, & magni in oculis ſuis, ab humilitate recedentes, à veritate erraverunt. Multi magiſtri de humilitate & contemptu mundi prædicant, qui tamen vix à longe Chriſtum ſequuntur.

18. Serm. 2. ad Nov. Eja! chariſſime. Serm. ad fratres 6. Eja! quantum lætabuntur. Medit. 10. de Nativ. Eja! Domine Jeſu. Soliloq. c. 21. Eja! anima mea. & c. 24. Eja! obſecro te Domina mea. de fid. diſp. Eja! Martha.

19. Soliloq. c. 2. O quàm terribilis

clamandi: *O quàm.* l. 1. c. 13. ô quàm cito tranſit gloria mundi. & c. 18. ô quàm multas tribulationes paſſi ſunt! ô quàm ſtrictam vitam habuerunt! l. 3. c. 10. ô quàm magna multitudo! ib. c. 14. ô quàm breves, quam falſæ! ô quàm humiliter & abjectè, ô quàm profunde me ſubmittere debeo! & c. 7. ô quàm ſapiens, qui ita conſiderat. & c. 45. ò quàm benè ſapuit illa anima! ô quàm bonum & pacificum.

lis es! & c. 5. ô quàm miſer factus ſum! & c. 19. ô quàm ſalubre, quàm jucundum! ô quàm vanæ! quàm deceptoriæ. & c. 11. ô quàm dulcis & pius es. c. 16. ô quàm magna miſericordia ejus! c. 19. ô quàm dulcis tua præſentia! c. 21. ô quàm jucundi ſunt omnes ſancti. c. 25. ô quàm dulcis eſt amator tuus! ſimilia habet paſſim in aliis ſuis operibus.

20. Frequenter utitur exclamatione, *O ſi.* l. 1. c. 3. ô ſi tantam adhiberent diligentiam! c. 25. O ſi ſcirem! & O ſi nihil agendum incumberet.

20. Soliloq. c. 7. O ſi paratus eſſem. Et: O ſi in gratia mortuus eſſem. Vall. Lil. c. 10. O ſi tali fruerer dulcedine. & c. 19. O ſi ſtudium! & -- O ſi poſſem.

21. Quando aliquid narrat, fere ſemper utitur hoc initio: *Quidam.* idem facit, dum citat v. g. l. 1. c. 13. *Quidam* dixit; principiis obſta. l. 1. c. 20. dixit *quidam*, quoties inter homines fui, minor homo redii l. 1. c. 25. cum *quidam* anxius inter metum & ſpem fluctuaret, & quadam vice mœrore confectus in Eccleſia ante quoddam altare ſe proſtraviſſet, hæc inter ſe revolvit &c. l. 2. c. 9. *quidam* præſente gratia

21. Serm. 2. ad Nov. n. 5. quidam devotus tentatus exivit è congregatione. ib. n. 6. Clericus *quidam* in congregatione fratrum habitabat. ſ. 6. n. 4. frater *quidam* intra matutinas cœpit dormitare. & n. 6. fuit *quidam* frater in Ordine Regularium. ſerm. 13. n. 7. dixit *quidam* devotus ſolitudinis amator. & n. 9. fuit *quidam* Ordinis Ciſtercienſis. & n. 10. *quidam* frater regularis foras emiſſus. & n. 9. dixit *qui-*

gratia jam dicebat; Ego dixi in abundantia mea, non movebor in æternum. l. 3. c. 48. *Quidam* amando me intimè didicit divina, & loquebatur mirabilia, plus profecit in relinquendo omnia, quâm ſtudendo ſubtilia. l. 3. c. 50. cautus eſto; *quidam* ait, cautus eſto.

22. Habet quendam habitum derivandi ac inveniendi novas voces, aut certè talibus derivativis & inventis minus uſitatis utendi. v. g. l. 1. c. 4. *longanimiter* res eſt ponderanda. l. 1. c. 4. cum *conſcientioſo* viro rem habeas. l. 1. c. 5. non quæras, an magnæ *litteraturæ* fuerit. l. 1. c. 3. purus ſpiritus otioſus ab omni propria *exquiſitione* eſſe nititur. ib. quando aliquis interius ſimplificatus fuerit. te impedit immortificata affectio. talia verba etiam ſunt; procraſtinare. l. 1. c. 22. ſupportatio l. 1. c. 23. exaudibilis. l. 1. c. 24. purgativus. ib. contrariare. ib. pauperculus. ib. fabulatio. ib. groſſa. l. 1. c. 25. pigritare. ib. defœdari. l. 1. c. 7. extraneus. l. 1. c. 8. morigeratus. l. 1. c. 8. tractatus ſæcula-

quidam expertus; quidquid boni tacendo colligo, hoc ferè totum loquendo cum hominibus diſpergo. Serm. 14. n. 11. fuit *quidam* frater in Ordine Regularium. Hoſpit. c. 1: cum *quidam* nobilis princeps. dial. Nov. c. 5. Erat ſacerdos *quidam*. c. 6. fuit juvenis *quidam* ſimilia habet in multis aliis locis.

22. Eundem habitum oſtendit in aliis libris. v. g. *abdicata* vita. *abjectus* homo; *acceptabilis* oratio, actitare, *ædificatus* ſum bono exemplo. æternaliter, affabulari, affectare rem, affectualis, allevio, amareſco, amicabilis, amoroſe, anguſtiari, anxiari, approximare, artiſta, attædio, aviſare, barbariſo baſsè, baſſatio, beatificare, blauveis, pro cæruleis, boni burgenſes, pro, cives. candidare veſtem, carnalitas, cauterium, pro cautione, choralis bonus, circumcurſitat, circumſpectus, clauſtralis, cogitato, ſum communicatus, compaſſivus, compatienter, condolor, prò, compaſſio, confortabilis, conjecturare, conſolativus, conſuefactus, contentari, contrariare, convulnerari, cordetenus,

cularium geſtorum. l. 1. c. 10. ædificativa l. 1. c. 10. perplexitas l. 3. c. 50. indifferenter, apparentia, injuriare opinata juſtitia, indefectivus tædioſus, circumfundo, ſententiare, deſideranter, tortuoſitas, ſubjectivus, fruibiliter, edomatio, ſuppeditare, pro ſubjicere, finaliter, acerbari, groſſa, fugatrix, ablatrix, productrix, interminabilis, ſoſpitas, diſcurſus pro diſcurſio, magnificus, parvitas, ſupereffluo, reverberat, fiducialiter, amicabilis, imputribilis, præfigurativa, completiva, inviſa, pro, *nondum viſa*, gravitates, contrarietates, deformatus, vivificator, igneſco, diſpenſanter, patenter, inquietor, frequentare, incuſtoditus, incompoſitus, deploratus, medullitus, immiſſiones ſatanæ, frigiditas, dulceſco, abyſſalis, quietare, fruibilis, regratiari, homuncio, portabile, ſublevamen, affectatus, importabile, circuitiones, ſenſualitas, cordialiter, ſcire exterius, extraneus, requietio, benedictores, defenſare, pacificare, paſſionatus, colorare, feriatum eſſe, perſeverabilis, implicamenus, cordialiter, cruciamina, curialitas, cuſtoditor, defenſatrix, deificus, delectabiliter, delectamenta, deſideranter, deſpectivè, deſpicabilis, devotarius, dignanter, diſcantantes, domicella, dulceſco, dulcoro, duriter, erectivus, exemplaris, exemplificare, experientior, experimentaliter, exquiſitio, extraneus, fantaſticus, ferveſcit, fiducialiter, finaliter, flammigera, flebiliter, frequentare, frontosè, fruibilis, galedas, gaudenter, grandeſcit, gratanter, gratulanter, gravedo, gravitates, groſſa, jactanter, igneſco, ignire, immiſſiones, immortificatus, impetratrix, importabilis, inceſſabiliter, inceſſanter, incluſorium, incompaſſivus, inconfusè, indicibilis, indifficulter. indiſciplinatus, indurabilis, infrigidatus, inopinabilis, intimatus, intraneus, jocaliter, irrecompenſatum, lætanter, lætificatus, larvalis, licentiare, lucitare, lubricalis, mantello, melodizo, mœſtificat, morigeratus, mortificatus, nihilipendo, notanter, obtentu, originata, pacificatus, parviſſimus, paſſionatus, patenter,

camento, licentiare, redonare, anguſtiare, abyſſalis, intransnatabile, gyrare, reverſare, caſualiter, gratanter, împrætermiſsè, exquiſitio, querulo-ſus, ſecretarium cordis, abnegatus, intellector, fontalis, deſiderator, affectare, alleviari, circumſignatus, affectanter, vilificare, pulveriſare, ultimatus, ſolatioſiſſimus, pauperculus, regratiari, deſpicabilis, indurabilis, quietare, quietudo, recommendabilis, laborator, gyrovagi.

ter, pauperculus, pauſatio, pauſo, pauxillum, perplexitas, perſulto, pigrito, portabile, poſttergo, præcautum, præconiſo, præſentialiter, primordialis, probamentum, promptulus, proportionabilis, quietare, recidivare, refrigerare, regiro, regratior, repauſo, repecio, ſecretarium, ſenſualitas, ſentimenta, ſervitor, ſolatiari, ſolatioſus, ſolotenus, ſoſpitas, ſpatiamentum, ſublevamentum, ſubventor, ſupportatio, ſuperſumptus, tentamenta, theologicalis, tædioſus, tubalis, tutatio, vilifico, ultimatus, vividus, unicordes.

ſ. 221.

23. Continet easdem doctrinas, quas Thomas Kempenſis in aliis opuſculis fatetur ſe accepiſſe à Gerardo M. & ejus diſcipulis 1. ſic l. 3. c. 4. & l. 1. c. 1. 2. 3. docet non eſſe multum diſputandum de altis materiis & ſubtilibus quæſtionibus. L 1. c. 2. Quieſce à nimio ſciendi deſiderio, quia magna ibi invenitur diſtractio; multa ſunt, quæ ſcire parum aut nihil prodeſt; multa verba non ſatiant ani-

23. 1. In vita Arnoldi n. 6. ſic habet: *Reliquit ſcholaſticalia; non magnopere laboravit pro multa ſcientia habenda, ſed pro bona conſcientia.* Scientias etiam negligendas docuit Gerardus M. c. 18. ubi ait: *Omnem diſputationem abhorreas, quia contra quietem ſunt, & inutiles & ſemper curioſæ.* De Florentio c. 23. ſic ſcribit: *De altis quæſtionibus, & ſubtilibus rebus omnino tacuit, ſciens, quod parvam ædificationem præſtant, &*

animam, ſed bona conſcientia habet ad Deum confidentiam. Et c. 3. Quid prodeſt cavillatio de occultis & obſcuris rebus? grandis inſipientia, quod ultro intendimus curioſis & damnoſis! & l. 3. c. 48. Mortificatio plus proderit, quàm notitia difficilium quæſtionum, plus proficitur relinquendo omnia, quàm ſtudendo ſubtilia.

& devotioni frequenter obſiſtunt; ſicut expertum eſt in plerisque, qui curioſa ſcrutantes, & viam Chriſti humilem relinquentes multis lapſibus & erroribus ſe inſeruerunt. Notandum, quod Thomas K. & Arnoldus fuerint in eodem cubiculo.

2. Totus liber 1. inſcribitur, *de contemptu omnium vanitatum mundi.*

2. In vita Florentii c. 27. n. 4. ſic ſcribit: Longum eſt per ſingulos nominare devotos Patres, qui à tempore Magiſtri Gerardi cœperunt, & contemporanei D. Florentii fuerunt, qui nos vanitates ſæculi contemnere, & humiliter ac continenter vivere docuerunt, omnibusque ſequacibus ſuis clara exempla devotæ converſationis per patientiam & obedientiam reliquerunt

3. Totus liber 2. & 3. agit de *interna converſatione*, quia ſic inſcribitur c. 1. l. 2. *Regnum Dei intra vos eſt, diſce*, inquit, *ad interiora te dare; veniet Chriſtus, oſtendens tibi conſolationem, ſi ab intus paraveris dignam manſionem;* de conſolatione verò centies iis libris agit.

3. In vita Florentii c. 14. ſic ait: Interdum ex ſcripturis ſanctis aliqua devota notabilia ad conſolationem fratrum & exercitationem internorum compilavit.

4. L. 1. c. 19. Docet, faciendum eſſe examen ſingulis diebus, & renovanda propoſita, his verbis: Semper aliquid certi proponendum eſt, contra illa præcipuè, quæ amplius nos impediunt; exteriora & interiora noſtra pariter nobis ſcrutanda ſunt, & ordinanda. Si non continuè te vales colligere, ſaltem colligas interdum, & ad minus ſemel in die, mane videlicet, aut veſpere: mane propone, veſpere diſcute mores tuos, qualis eo die fuiſti in verbo, opere, & cogitatione.

4. Idem didicit Thomas K. à D. Florentio, qui in Epiſtola ad quendam Regularem in Windesheim ſic ſcribit: Compara diem præſentem ſemel in die diei præteritæ, ut apprehendere poſſis, quod proficis in virtutibus, aut deficis. Diſce ſemel aut bis in die tibi præeſſe, & vitam tuam ordinare. Habeas ſpeculum monachorum D. Bernardi, ſecundum quod omnes actus tuos potes ordinare, quem librum etiam diſcas exterius. Item; omnes actus præveni præmeditatione, & hoc erit tibi leve, ſi ſcis libellum exterius. Item mane, & poſt prandium ſtatue ante oculos tuos tuas malas conſuetudines, & vitia tua principaliora; & ſic implebis illud Bernardi; mane præteritæ noctis fac à teipſo exactionem, & venturæ diei tibi ſtatue cautionem.

5. L. 1. c. 19. Docet, ut laboremus pro communitate, & l. 3 c. 13. ſic ait: Nunquàm ſis otioſus, ſed aut legens, aut ſcribens, aut aliquid utilitatis pro communi laborans, quæ communia non ſunt, non ſunt foras

5. Eadem didicit & excepit Thomas K. à D. Florentio inter notabilia D. Florentii n. 6. ſic habetur: In labore communi ſta in perpetua cuſtodia: Semper debes niti quærere communia. Quidquid eſt pro communi bono

foras oſtendenda. Cavendum, ne piger ſis ad communia. Et l. 3. c. 13. Qui quærit habere privata, amittit communia. Qui non libenter ſe ſubdit ſuperiori, ſignum eſt, quod caro ſæpe remurmurat. Diſce ergo ſuperiori te ſubmittere. Quia adhuc te diligis, ideò plenè te reſignare aliorum voluntati trepidas. Et l. 1. c. 9. Non invenies quietem, niſi in humili ſubjectione. Multi ſunt ſub obedientia magis ex neceſſitate, quàm charitate; hi non acquirent libertatem mentis, niſi ex toto corde propter Deum ſe ſubjiciant.

6. L. 1. c. 17. Dicit: Non poteſt diu ſtare pacificus, qui non nititur eſſe minimus & omnibus ſubjectus.

7. L. 4. c. 10. Suadet communionem ſpiritualem, ac deſiderium cōmunicandi, his verbis: Cùm præpeditus eſt, habebit ſemper bonam intentionem communicandi

no ſollicitè cuſtodire debemus. In omni opere ſtudeat ſe communitati conformare, in legendo, cantando &c. Et n. 5. Quàm bene eſt vobis ſtare ſub obedientia. Sæpe debet ſe homo reſignare Deo & ſuperiori; miror, quod qui eſt ſub obedientia non ſtat contentus.

6. Hoc didicit Thomas K. à Luberto, de quo in ejus Vita n. 10. & 20. ſic ſcribit: Lubertus humilis actione, humilis habitu ſolebat ſeipſum omnibus viliorem reputare, ut etiam parvo puero ſe ſubderet, & minimo fratri in domo ita libenter obediret, ſicut D. Florentio.

7. In propoſitis Gerardi M. n. 15. idem habetur: Quando pax datur, ſis paratus, ac ſi capias Corpus Chriſti; & tunc leva deſiderium, & te præpara, ut ſi ſacra-

candi, & ſic non carebit fructu ſacramenti: poteſt enim quilibet devotus omni die ad ſpiritualem Chriſti communionem accedere.

§. 222.

24. Numeri ac ſtylus ſic comparati ſunt, ut intra feriem mille vocularum numeraverim ſubſtantiva 214. verba 167. adjectiva, ſine poſſeſſivis 75. puncta 74. participia 12. adverbia 47. interrogationes 10. particulas comparativas 23, conglobata adjectiva & adverbia 16. conglobata ſubſtantiva 14. conglobata verba 37. propoſitiones cauſales 10. propoſitiones modales, nullæ, parentheſes, nullæ, propoſitiones incidentes, nullæ, particulæ copulativæ propoſitionum 43. particulæ illativæ 5. exclamationes 5. Ita ſe habet ſeries vocularum incipiendo L. 1. c. 1. à verbis: *Qui ſequitur me*, uſque ad illa verba c. 3. *ſcientiæ ipſorum concordaſſet.* In L. 3. c. 51. ſumpſi aliam ſeriem mille vocularum incipiendo in verbis: *fili ſta firmiter.* uſque ad illa verba c. 53. deprimunt res temporales. Et inveni in hac ſerie reperiri,

ſacramentum corporaliter manducare non vales, ſaltem ſpiritualiter manduces.

24. Stylus ac numerus in aliis operibus ſimilis eſt; eam ſimilitudinem potiſſimum deſumo ex hoc, quod non ſit magna diverſitas in numero punctorum, ſubſtantivorum, verborum &c. Si enim intra ſeriem mille vocularum multa ſunt puncta, in quibus ſenſus propoſitionum aut periodorum completur, neceſſe eſt, periodos eſſe breves; ſi autem pauca ſunt epitheta ſeu adjectiva, neceſſe eſt, ſtylum non eſſe inflatum. Et ſic de cæteris loquendo; ſingularum earum partium numerus, intra millenariam vocularum ſeriem, frequentius in integro libro uſurpatus, optime ſtylum ac numerum exhibet. Hinc quia ſtylus Lactantii inflatus eſt, & numeroſæ periodi, & author diſcurſivus, in ſerie vocularum millenaria incipiendo à Præfatione Lactantii numeravi ſubſtantiva 221. adjectiva 131. par-

reperiri ſubſtantiva 223. verba 136. puncta 61. participia 12. adjectiva ſine poſſeſſivis 100. adverbia 40. adjectiva & adverbia duplicata, aut triplicata 12. ſubſtantiva duplicata, triplicata, aut quadruplicata 23. verba conglobata 20. propoſitiones cauſales 10. particulæ illativæ 4. interrogationes 9. exclamationes 8. propoſitiones copulativæ 37. particulæ comparativæ 2. parentheſes, nullæ.

puncta 31. participia 41. adverbia 53. propoſitiones incidentes 35. conglobata adjectiva vel adverbia, eaque triplicata, aut quadruplicata aut duplicata 20. conglobata ſubſtantiva 22. conglobata verba 24. Ex hoc ſtatim apparet diverſitas. Dum enim in libro de Imitatione ſunt adjectiva 75. aut 100. in Lactantio ſunt 131. Dum in illo ſunt puncta 74. vel 61. in hoc ſunt 31. Dum ibi participia 12. hic ſunt 41. Propoſitiones etiam cauſales erant in Lactantio 24. modales 17.

Poſſem plures alias notas characteriſticas inter librum de Imitatione & alia opera Thomæ K. afferre: verùm allatæ ſunt ſufficientes ad demonſtrationem faciendam.

CONCLUSIO.

§. 223.

Cum igitur ex demonſtratis in mea *Arte Critica*, quam inſerui *Philoſophiæ Pollinganæ*, Auguſtæ apud Veithium, & Venetiis apud Ricurtium editæ, moraliter certum ſit; duos diverſos authores in omnibus Notis characteriſticis Styli nec conveniſſe unquam, nec contingenter abſque ſtudioſa imitatione, quæ circa imperfectiones Styli à nullo prudente fit, convenire poſſe, eò quod juxta leges combinationum propemodum infiniti caſus differentiarum ſtyli poſſibiles ſint, etiam moraliter certum erit: demonſtrata hucuſque identitate ſtyli inter alios libros Kempiſianos, & quatuor libros de Imitatione, horum omnium operum authorem eundem eſſe. Si quis durioris ad

intelligendas leges conbinatorias Bernoullianas ingenii hæc non capiat, adeat *Matheſin Pollinganam* Venetiis à Ricurtio in Supplementum Philoſophiæ Pollinganæ impreſſam, à D. Herculano Vogl p. m. meo olim in his diſciplinis diſcipulo & dilecto confratre conſcriptam, ubi leges & infinitudinem variantium conbinationum circa ejusmodi decem, viginti, centum &c. elementa conbinabilia diſcet. Quod ſi nec ad iſtam initialem Matheſeos partem pertingat, oſtendat vel duos ex omnibus ſcriptoribus intra duo annorum millia claris, qui circa quadringentos circiter Idiotiſmos à me (§. 200. 201.) deſcriptos conveniant; (En! provoco omnes) aut victus à Kempiſianis humiliter ſileat.

PARS V.

FIGMENTA GERSENIANA.

PRÆFATIO.

Cauſa Gerſeniana Figmentis non caret; erratis certè plurimis ſcatet. Ad ERRATA refero, ad quæ in animo, alioquin etiam indifferenti, nec ullum Intereſſe habenti, *ignorantia*, erronea *præjudicia*, præconcepta de authoritate teſtium vel Magiſtrorum æſtimatio, & *impotentia* aut *ſocordia inquirendi* in fontes, VEROSIMILI umbræ veritatis profundo, ut ita dicam, indormire ſomno, atque *acquieſcere* ſuadet absque ſpe vel motivô commodi ſeu honoris proprii. Econtrà, ſiquis amans commodi vel honoris ſibi obventuri ex victoria cauſæ facilè prenſet omnem veriſimilitudinis umbram, in eáque immedicabili lethargo indormiat, ubi viator indifferens, quantumvis feſſus, nec momento ſiſteret, hoc totum ad *amantium ſomnia*, ad *Figmenta* refero. Ejusmodi Figmentorum illecebroſiſſimâ umbrâ præ vehementi ſuorum amore etiam MABILLONIUS, vir alioquin incomparabilis, non ſemel captus eſt. Codicem *Gerardimontenſem*, ſeu *Grandimontenſem*, cui tamen indubitatum Kempiſii Opus de *Diſciplina Clauſtri* inſertum eſſe, ignorare non poterat, cuique in noſtra

ſtra Bibliotheca poſſidemus Codicem quoad formam ſcripturæ ſimillimum, ſcriptum anno 1442. in ſuo Opere *De Re Diplomatica* inter formularia ſæculi decimi quarti refert (§. 112.) HENRICUM CALKAR, ſeu KALKAR (a) qui librum de Imitatione deſcripſerat, obiiſſe anno 1408. potiùs quàm 1448. legere maluit (§. 116. & 105. & 245.) In ſuo *Muſæo Italico* de Codice *Aronenſi* teſtatur, ſe illum attentè conſideraſſe, & deprehendiſſe, *vera eſſe, quæ ſui* (Benedictini) *de ejus antiquitate ſcripſerant*, nempè eum ſæculo XIV. ſcriptum eſſe. Et tamen ſcriptura ipſa, quam (§. 108.) toti Europæ pando, ſatis evidenter monſtrat, eum circa medium ſæculi XV. exaratum eſſe (§. 108. 256.) Hinç etiam in Opere Mabillonii *De Re Diplomatica* licèt diù poſt omnia ejus itinera ingentibus ſumptibus edito nulla hujus Codicis mentio, nulla ſcripturæ formula, licet anno 1702. 1703. 1704. dominantibus Mediolani armis Gallicis facilè obtinibilis, comparet. Quid ergò ſentiam de Mabillonio? Viróne tam *religioſo*, tam *erudito* fraudes, impoſturas, calamum mendacem tribuam? Abſit. Dormitante interdum *libenter* Homerô congrua *amantium ſomnia* non denego. Idipſum de R. P. *Marcellino Reiſchl in ſuo Atlante hiſtorico* 1758. Auguſtæ Vindelicorum edito P. II. pag. 359. & ſimilibus ſentire licebit.

FIGMENTUM I.

§. 224.

Cerſeniſta Scyrenſis in titulo ſuæ Diſſertationis affingit Joanni Gerſeni Abbati Vercellenſi prædicatum *Doctoris Decretorum*, rationem hujus inſcriptionis ſumit ex conjectura, quod *Joannes Decretorum Doctor*, qui ſcripſit *Homilias ad Dominicas & Feſta per annum*, ſit una eadémque perſona cum *Joanne Gerſene* Abbate Vercellenſi.

§. 225. RESPONSIO. Nil ineptius, nil critico nomine indignius fingi poterit hoc miſerabili commento. Reperiuntur complures Homiliæ in iſto Opere, in quibus allegantur textus ex quinque libris Decretalium GREGORII IX. ex Sexto *Decretalium* Bonifacii

 VIII.

(a) Vide, quæ dicemus §. 245.

VIII. aut *ex Clementinis Clementis V.* En! Syllabum ejuſmodi Citationum, & *titulum* libri

VADE MECUM FRATRIS JOHANNIS DECRETORUM DOCTORIS ET ABBATIS VINCELLENSIS DE COLLATIONIBUS DOMINICIS ET FESTIVIS.

Citationes Decretalium.

Serm. II. Dom. I. poſt Epiph. - -	*De jud. c. novit. in fin.*
Serm. II. Dom. I. poſt Epiph. - -	*De Sent. Exc. contingit.* 1. *in fin.*
Serm. II. Dom. I. poſt Epiph. - -	*De conſue. c. cum conſuet.*
Serm. I. Dom. III. poſt Epiph. - -	*De reſti. ſpoli. c. olim.* 1. *in ℣. cum ſtatim.*
Serm. I. Dom. III. poſt Epiph. - -	*De elec. c. fundamenta in pn. li. VI.*
Serm. II. Dom. III. poſt Epiph. - -	*De renunc. c.* 1.
Serm. II. Dom. III. poſt Epiph. - -	*De elec. c. cum in cunctis in fin.*
Serm. II. Dom. IV. poſt Epiph. - -	*De Donat. c.* 1.
Serm. II. Dom. IV. poſt Epiph. - -	*De Reg. c. licet. in fin.*
Serm. I. Dom. Sept. - -	*De Mag. c. ſi.*
Serm. II. Dom. Sept. - -	*De Offic. Ord. c. inter cætera.*
Serm. II. Dom. Sept. - -	*De Relt. c. unico li. VI.*
Serm. I. Dom. Sex. - -	*De pœ. & re. c. cum ex eo.*
Serm. I. Dom. Quinq. - -	*De Ætate. c. penult.*
Serm. I. Dom. Quinq. - -	*De elec. c. quorundam li. VI.*
Serm. II. Dom. Quinq. - -	*De Symo c. per Tuas.* 1.
Serm. II. de S. Andrea. - -	*De elec. in fundamenta in pn. li. VI.*
Serm. II. in Nat. S. Joan. Bapt. - -	*De Renunc. c. niſi. in prin.*

CLEMENT.

Serm. I. Dom. Sexag. - -	*De Reliquiis c. Tranſiturus in Cle.*
Serm. II. Dom. Trin. - -	*De Relig. c. Tranſiturus ultra in Cle.*
Serm. I. Hom. V. poſt Pent. -	*De Sum. Trinit. c.* 5. *in clem.*

Nemo

Nemo autem ignorat, GREGORIUM IX. BONIFACIUM VIII. ET CLEMENTEM V. fuiſſe poſteriores prætenſo *Joanne Vercellenſi*, qui fingitur vixiſſe tempore *S. Franciſci*. Scire debuiſſet iſte juvenis criticus, ne quidem extitiſſe Decretorum Doctorem ante Decretales GREGORII IX., qui eas Univerſitati *Bononienſi* & *Pariſienſi* præſcripſit. Neque enim habetur exemplum, aut indicium, in ulla Academia creatum eſſe Decretorum Doctorem ex ſolo *Decreto Gratiani*. Dedoceri ſui erroris potuiſſet Pſeudocriticus ex primis duabus lineis hujus Operis, in quibus non legitur Joannis Vercellenſis, ſed *Vincellenſis*, & in alia editione *Ucellenſis*. Habeo inter Manuſcripta Bibliothecæ noſtræ Codicem MS. ejusdem Operis, cum anecdota inſtructione Concionatorum ejusdem authoris, eleganter ſcriptum Viennæ in Auſtria per Notarium *de pretio* anno 1442, in cujus primis lineis legitur: *Incipit: Vade mecum Fratris Joannis Decretorum Doctoris Abbatis Juncellenſis.* (§. 258.)

§. 226. Dicet fortè quispiam: Non extat in orbe monaſterium *Vincellenſe*, *Ucellenſe*, aut *Juncellenſe*; ergo præſumendum, ab Amanuenſi, & Typographo indigitatum fuiſſe *Vercellenſem*. Ita etiam ante centum annos ratiocinabatur Conſtantinus Cajetanus Abbas Benedictinus in Epiſtola ad amicum, cujus in Chartophylacio noſtro Polſingano aſſervatur ipſum Originale, propria Cajetani manu ſcriptum, hujus tenoris:

Chariſſime & admodum Reverende Pater!

„Quia modo Paternitatis Tuæ litteras ſeptima menſis hujus datas, „ accipio, brevis ero; ſed in gratiis meo Patri amantiſſimo „ reddendis, abſit à me, qui multis minimè ſim. Gratias igitur Pa„ ternitati Tuæ immenſas habeo *pro Litterario Abbatis Vercellenſis* „ *Theſauro* noviſſimè adinvento, quo maximè ſpero noſtram adhuc „ ſententiam confirmaturam, Quam ob rem hiſce meis duos aureos hiſpa-

„ hiſpanos, quos vocant *doppie*, committo, quos Paternitas Tua po-
„ terit dare *notario* pro arra, ut citiſſimè MS. liber ille transſcriba-
„ tur, & citiſſimè ad me transmittatur. Abſque dubio etiam &
„ Paternitatis Tuæ Orationes potiſſimùm præſtabunt, ut & ego ami-
„ cus Tuus deditiſſimus, commodior in Subveniendo Paternitatis
„ Tuæ utilitatibus evadam. Laudo præterea judicium Paternitatis
„ Tuæ *pro Vercellenſi* notarium ſuppoſuiſſe *Vincellenſem*, nam facil-
„ limè illud *Ver* ſcabroſe Scriptum, in *Vin*-exſcribi potuit. Adde
„ quod *Vincellenſe* monaſterium extare nunquam legi vel audivi. -
„ - - - Vale Pater dilectiſſime, & me, ut facis, ama. Romæ
„ ex Palatio Apoſtolico 23. Februarii 1619.

Admodum Reverendæ Paternitatis Tuæ

Addictiſſimus
D. Conſtantinus Cajetanus
Abbas &c.

§. 227.

Verùm imperitè hæc ſcribi, patet ex GALLIA CHRISTIANA; ubi deſcribitur celebre Monaſterium *Vincellenſe* Ordinis S. Benedicti, ſitum in Diœceſi *Biterrenſi*. In MANSII *Supplemento ad Concilia* reperi in *Supplemento* ad Concilium *Conſtantienſe* Epiſtolam (a) Abbatis Generalis Cluniacenſis, in qua JOANNEM VINCELLENSEM ſub titulo *Doctoris Theologiæ* cum *Roberto de Eſclaudeſoles*, *Lamberto de ſtipite de Bertreriis*, *Petro de Corrozello*, & *Petro Abbate de Tarnayo* ſub titulo DOCTORUM JURIUM mittit ad Concilium Conſtantienſe tanquam ſuos delegatos: Verba Epiſtolæ ſunt iſta:

„ Sacroſanctæ generali Conſtantiæ Synodo in Spiritu Sancto congre-
„ gatæ, devoti Oratores Raymundus Eccleſiæ Cluniacenſis
„ humilis Miniſter, totúsque conventus ejusdem loci, reverentiam
„ & obedientiam cum honore.

„ Per-

(a) Tom. IV. fol. 123. & in Ampliſſ. Collectione *Martennii* Tom. VII. fol. 1217.

„ Perpendimus grande & multiplex bonum ob deſiderandam „ cujus aſſecutionem benedicta congregatio veſtra & ſuum cano- „ nicè ſortita eſt initium, & conſtanter, ritè & virtuoſè procedens, „ Chriſto duce, felicem præſtolatur exitum. Perpendimus ſanè & „ per tenorem priſcæ convocationis Apoſtolicæ didicimus glorioſam „ in unum conveniſſe multitudinem veſtram, ut diutinum peſtife- „ rúmque Schisma, & quodvis perverſum dogma, ſeu pullulantem „ hæreſim in agrô Dominicô funditùs exſtirparet, útque penè con- „ fuſum, proh dolor! Myſticum corpus Eccleſiæ ad debitum ſuæ in- „ tegritatis atque reformationis ordinem in capite & membris ip- „ ſius revocaret. Hæc opera eſt felíxque Solicitudo veſtri Sacra- „ tiſſimi cætus. Et verè felix cuicumque Deus tam laudabili ſalu- „ brique negotio coaſſiſtere & cooperari præſtiterit. Has ob res, „ ego Cluniacenſis Eccleſiæ Miniſter prædictus ſategeram dudùm, „ & arreptâ viâ conatus fui apud veſtrum Sanctæ conventionis con- „ ſortium me transferre, veſtri quidem Sancti operis & curæ parti- „ cipio me feliciſſimum exiſtimaturus, ſi quo tendebam tunc adve- „ niſſe potuiſſem. At grandis ſenectæ obfuit illico expertius com- „ probata debilitas, quam cœpti itineris fatigatio, indéque prove- „ niens gravis ægritudo ſimul oppreſſit. At verò non diminutam „ conſtat, quin potius in corporis & propriæ debilitatis argumen- „ tum proceſſiſſe, mei ampliûs quàm ſeptuagenarii ſenectutem. Su- „ pereſt incommoditas temporum, ſterilitas agrorum, dolendi & „ lacrymabiles tumultus impacifici finium iſtorum, Guerrarum im- „ petus, currentis nunc temporis frequentiores ſtrepitus armato- „ rum, & quorumdam prorſus impudentium, nedùm agris depo- „ pulatis inops vulgus exheredando ad nihilum funditùs redigere, „ quin etiam adverſus caſtrorum & fortalitiorum cacumina violen- „ tius inſurgere, atque radicitùs evertere ſingula, niſi jugis ac in- „ defeſſa cuſtodia ſedulius obſiſtat. Cujus rei inſolentiam nuper „ in grave iſtius Monaſterii diſpendium pertulimus. Cum igitur „ quædam generalis exhortatio requiſitio, monitio, ac in virtute

„ obedientiæ præceptio mandatúmque abſentium ab eadem Sanctâ
„ Synodô prælatorum, ut in eodem concilio conveniant, per quaſ-
„ dam litteras ſub plumbo & bulla quidem Sacræ Synodi dudùm
„ emanaſſe contigerit, prout fertur: idcirco eamdem Sanctam Sy-
„ nodum veſtræque Sanctæ multitudinis benedictum cœtum ſuppli-
„ ces & humiles depoſcimus, quatenùs prædicta ſterilitatis, guer-
„ rarum & diſturbiorum incommoda cum fragili ſeniô ad mei mi-
„ niſtri ſupradicti Cluniacenſis Eccleſiæ abſentiam legitimè excuſan-
„ dam ſuſcipere dignemini, attendentes, quod etiam ab ipſius San-
„ ctæ Synodi exordio, pro me & meo Monaſterio ac Cluniacenſi
„ Ordine in eodem Sancto conſortio veſtro atque generali concilio
„ affuerunt jugiter viri quidam juris utriusque divini & humani do-
„ ctores, quorum aſſiſtentiam in eodem concilio vicariatúmque &
„ procurationem pro me ac prædictis Monaſterio & Ordine usque
„ in finem ejusdem concilii continuandam eſſe decrevimus & de-
„ cernimus per præſentes: eisdem & cuilibet eorum in ſolidum vi-
„ delicet domnis ROBERTO de *Eſchaudeſoles* Decretorum Doctori
„ Priorique Celſiniarum, JOANNI DE WINZELLIS Magiſtro in
„ Theologia de Ymnimonte, LAMBERTO DE STIPITE de *Ber-*
„ *treriis*, PETRO DE CORROZELLO *B. Mariæ Deauratæ de Tho-*
„ *loſa*, & PETRO Abbati *de Tarnayo* Ordinis noſtri Cluniacenſis
„ Prioribus, DOCTORIBUSQUE DECRETORUM: dantes & con-
„ cedentes poteſtatem vice & nomine noſtro atque pro nobis in eo-
„ dem generali conciliô comparendi, & ibidem ad opus Sanctæ
„ unionis ac Reformationis Eccleſiæ incedendi, jura, libertates &
„ privilegia univerſalis Eccleſiæ, noſtrorumque Monaſterii & Or-
„ dinis prædictorum tuendi & defendendi: vices quoque noſtras in
„ hîs & aliîs quibuscumque, proùt moris eſt & pertinet ad genera-
„ lia concilia plenè abſentiam prædictam excuſandô, penitùs exer-
„ cendi. Quæ quidem omnia vice & nomine noſtrô agenda, ut
„ præmittitur, per noſtros hujusmodi procuratores & nuncios ſpe-
„ ciales, atque gerenda in eodem concilio ex nunc promittimus

„ rata

„ rata & grata habere, nec quomodolibet à ſalubribus diſcrepare
„ ſtatutis aut ſtatuendis in eodem generali concilio: quin immò
„ ea tenere & cuſtodire, ac in dictis noſtris monaſterio & ordine
„ facere totô niſu inviolabiliter obſervari. Datum in noſtrô mo-
„ naſteriô cluniacenſi prædictô, ſub Sigillîs noſtrîs, annô Domini
„ MCCCCXVI. die decimâ menſis Auguſti. R. Clun. J. *Ginavet.*

§. 228. Jam ſic infero: Si Cajetanus transformare potuit Joannem Doctorem Decretorum Vincellenſem in Vercellenſem, cur non idem contingere potuit Amanuenſi Exemplaris *de Imitatione* in Manuſcripto Aronenſi? Cæterùm mirum eſt, quòd viri tam Eruditi Cajetanus, & ejus amicus non inſpexerint duos Codices ejusdem Joannis Abbatis Vincellenſis Decretorum Doctoris impreſſos. Saltem Tu, Chariſſime Angele, corrige errorem, & *crede operibus.*

Accedit, neque in Monaſterio Vercellenſi ad S. Stephanum Benedictino jam dudum extincto, neque in Monaſterio Canonicorum Regularium ad S. Andream adhuc florente reperiri Joannem ab anno 1219. uſque 1406. prout RR^mus JOSEPHUS FROVA Abbas Later. in Epiſtola ad RR. meum Præpoſitum ex Canonia Vercellenſi recenter 1761. die 11. Januarii data teſtatur.

Verùm qui plura cupit ſcire de Joanne Vincellenſi, adeat Galliam Chriſtianam noviſſimam Pariſiis 1728. editam operâ & Studiô Monachorum Congregationis S. Mauri O.S.B. Tomo IV. pag. 1169. ubi agitur de Majoribus Cluniaci Prioribus. Ibi inter Priores hos numerô XLVII. ponitur hîs verbis: „ *Johannes II. de Vincelles* Do-
„ ctor Theologus an. 1412. Rector erat Collegii Pariſienſis. Eidem
„ *ordinem expreſsè profeſſo* Johannes Papa XXIII. annô Pontificatus 3.
„ XVII. Cal. Jul. contulit prioratum de Ynimonte Diœc. Gratia-
„ nopolitanæ, quem ante Concilium Piſanum Carthuſiæ majori
„ addictum, idem Romanus pontifex ordini Cluniacenſi reſtitue-
„ rat, eique permiſit poſſidere cum prioratu de Ancra diœceſis
„ Ambianenſis, de quô dictus Johannes de Vinzelles in curia libel-
„ lorum ſupplicum decertabat. Deinde Prioratum illum de Yni-

„ monte permutavit pro Celſiniarum prioratu ante diem 25. Jul. an. „ 1417. & hunc an. 1418. 26. Jun. pro majori prioratu Cluniacenſi, „ iſtámque rurſus dignitatem 1421. 5. Oct. pro prioratu de caritate, „ ac demum Abbas S. Eugendi effectus eſt, ubi vide.

FIGMENTUM II.

§. 229.

Supponunt, nomine Gerſenis & Gerſonis in Manuſcriptis Codicibus deſignari ſemper duas diverſas perſonas.

§. 230. RESPONSIO. Id falſum eſſe patet ex inſigni MS. Codice Bibliothecæ Guelferbytanæ, in quo liber tribuitur *Joanni* GERSEN *Cancellario Pariſienſi.* Manifeſtum proin eſt, Sæculo XV. ſub nomine *Gerſenis* non ſemper fuiſſe intellectam perſonam diſtinctam à *Gerſone* Cancellario Pariſienſi. Deſcriptionem Codicis Guelferbytani reperies in Epiſtola Viri Eruditiſſimi SCHEIDII (§. 121.)

§. 231. Idem patet ex Epitaphio Gerſonis, ſæculo XV. deſcripto, & inſerto Codici MS. Padolironenſi, quem ipſimet Benedictini in defenſionem ſuæ cauſæ produxerunt, & RR. Abbas Cartau (a) in ſuo *Apologetico Geſſenino* ſeu Gerſeniano typis publicis edidit anno 1618. Epitaphium Gerſonis in primo folio Codicis recentiore tamen ſcripturæ genere quàm ipſe Codex ſcriptus eſt, haud dubiè ab aliquo ſcriptore ejuſdem adhuc ſæculi XV., qui cùm de alio Gerſene Vercellenſi nihil unquam audierat, non dubitabat, in titulo libri nomine Gerſenis Gerſonem intelligi, hoc modo erat ſcriptum:

Magnum parva tenet virtutibus urna Joannem
Præcelſum meritis Gerſen cognomine dictum
Pariſiis Sacræ Profeſſor Theologiæ
Claruit Eccleſiæ qui conſolarius (*b*) *anno*
Milleno Domini centum quater atque vigeno
Nono, *luce petit Superos Julii duodena.*

§. 232.

(a) Sub quo nomine latere Conſtantinum Cajetanum aſſerit Anonymus Diſſertator Can. Reg. Pariſiis ad S. Genovefam (de Gery) adverſus Valartum.

(b) Cancellarius.

§. 232. Ipſemet MABILLONIUS in ſuis *Animadverſionibus* fatetur; in Codicis *Padolironenſis* folio primo Epitaphium Gerſonis, & in hoc Epitaphio loco *Gerſon*, fuiſſe ſcriptum *Gerſen.*

§. 233. R. D. ANGELUS VALSECHUS in ſuo *Gerſene vindicato* Cap. I. fol. 31. & 51. 164, & 165. Ipſe etiam fatetur, in ſuo Monaſterio FLUENTINO (di Firenza) reperiri Codicem MS. membranaceum in 4 ſcriptum anno 146[illegible]. cum hac Inſcriptione: *Incipit libellus devotus & utilis compoſitus à D. Joanne Gerſen Cancellario Pariſienſi de Imitatione Chriſti & contemptu omnium vanitatum mundi. Explicit liber quartus de Sacramento Altaris expletus MCCCCLXIV.* In tergo hujus Codicis manu recentiore non ſcribitur Gerſen, ſed *Joh. Gerſon de Imitatione Chriſti.* Ex quo evidens eſt, non tantùm circa medium ſæculi XV. ſed etiam longo (a) poſtmodùm adhuc tempore ſub nomine Joannis *Gerſen* intellectum eſſe *Joannem Gerſon* Cancellarium Pariſienſem. Titulus operis D. Valſechi eſt ſequens: *Giovanni Gerſen Abate Dell' Ordine Di S. Benedetto Soſtenuto Autore de' Libri dell' Imitazione in Firenze MDCCXXIV.*

FIGMENTUM III.

§. 234.

Fingunt Gerſeniſtæ, Joannem Gerſenem fuiſſe Abbatem ad S. Andream.

(a) En ipſa formalia! „Quanto poi al Codice Fiorentino, queſto ſi ritrova nella Libraria di „queſta noſtra Badia di Firenze, e Si può riſcontrare da chi ſi ſia, che il nome di *Gio:* „*Gerſen* nella inſcrizione interiore, del libro è ſano, intero, e immune d'ogni ſoſpe„pezione, e Scritto della Steſſa mano, che tutto il reſto, colla ſola differenza, che è „ſcritto col minio, Siccome Sono Scritti tutti i titoli degli altri MS. conforme il coſtu„me di tutti i Copiſti, e nella coſta eſteriore nella cartella ſoprappoſtavi, ma al rove„ſcio del Codice, di mano alquanto più moderna, ſi legge parimente, per quanto à „miei occhi appariſce: *Jo. Gerſen,* del che però non me ne impegno, interamente, eſſendo „la detta cartella un po Sudicia; benche di mano aſſai ancora più moderna, in altra „cartella poſta ſul doſſo del medeſimo Codice ſi veda ſcritto: *Jo. Gerſon de Imitatione* „*Chriſti.*

§. 235. REPONSIO. Hæc aſſertio tam putida fabula eſt, ut non niſi ſummis in re hiſtorica Idiotis conveniat. Certum eſt ex *Ughello* & Hiſtoricis Pedemontanis; Monaſterium ad S. Andream ſemper fuiſſe ac etiamnum eſſe Monaſterium Canonicorum Regularium. Documenta jam aliunde nobis comperta noviſſimè meo Reverendiſſimo Præſuli perſcribit Congregationis Lateranenſis Hiſtoriographus, olim mihi Romæ amicitia junctus in ſubjecta Epiſtola:

Illuſtriſſimo ac Reverendiſſimo Domino Domino FRANCISCO TOEPSL Præpoſito Pollingæ, atque Abbati Lateranenſi D. JOSEPHUS FROVA Abbas perpetuus Lat.

S. P. D.

„ Aliis, pluribúsque abſtractus curis modernus hujus Canoniæ Mo-
„ derator Reverendiſſimus CALIXSTUS CAGNA tuo Epi-
„ ſtolio impertiendi reſponſum mihi commiſit provinciam, quam
„ lubens ingredior, vel ut periculum Tibi exhibeam ſtudii, quo jam
„ dudùm Doctiſſimum Concanonicum Tuum *D. Euſebium Amort*
„ Romæ, dùm Lectoris Theologiæ munere fungebar, ſum proſecu-
„ tus, & Te jugiter proſequar, quemadmodùm Tua erga nos La-
„ teranenſes exigit Ευμένια. Aſt non uti percupis, reſpondebo. Ete-
„ nim quùm propter temporis anguſtias haud fuerit mihi conceſſa
„ facultas adeundæ MS. nunquámque editæ hiſtoriæ CANONICI
„ MODENÆ anno vulgari 1630. abſolute, teſtante Authographo
„ à me pluries conſulto penes ejus poſſeſſorem illuſtriſſimum Comi-
„ tem Concivem, amicúmque meum D. JOSEPH CORBETTA,
„ quid MODENA de Abbate Joanne Gerſen, nato (dixerunt ali-
„ qui) in *Burgo* CABALLIACO hujus Diœceſeos, ſcripſerit, re-
„ ferre minimè queo in præſentiarum niſi fidem ſuam liberaverit,
„ qui MODENÆ de Joanne loquentis verborum apographon mihi
„ promiſit mittere, (a) antequam hæ litteræ publico Tabellario tra-
dan-

(a) Vide infra in fine hujus Epiſtolæ *P. S.*

„ dantur. Verum etſi deciperer, Te minimè pigeat, quandoquidem
„ irrefragabilis haud eſt auctoritas MODENÆ, utpote qui in plu-
„ ribus eſt hallucinatus, plurimáque vel antiquioris ævi adſeruit al-
„ to ſilentio preſſis fontibus, è quibus ea hauſerat, nullóque in me-
„ dium adducto Teſte Synchrono, vel quaſi Synchrono, aut ſaltim
„ magnæ authoritatis quod ſcribendi genus regulis SANÆ CRITI-
„ „CES adverſaries haud ibis inficias. Alteri idcirco ſatisfaciam ex his,
„ quæ abs me percontaris, & eò libentiùs, quod hujus meæ Cano-
„ niæ hiſtoriam prætexere jam dudum mihi ſubierat. Scito igitur Il-
„ luſtriſſime ac Reverendiſſime Præſul, Emum Cardinalem GUALAM
„ BICCHERIUM Vercellenſem anno 1219. die 18. Februarii una
„ cum Canoniâ ædificare cœpiſſe Eccleſiam, eamque cum illa de-
„ diſſe Canonicis Regularibus S. Victoris Pariſienſis, quos die 19.
„ Novembris anni 1223. utramque incoluiſſe edocemur à ſequenti
„ Inſtrumento membranaceo noſtri Archivii. - Die 19. Novembris
„ anni 1223. *D. Salimbenus de Torcello* & *D. Jacobus de Caſnario*
„ Canonici Vercellenſes de ſpeciali mandato D. GUALÆ Tituli
„ S. Martini Cardinalis Presbyteri, ut dicebant, miſerunt fratrem
„ *Simonem* & Fratrem *Petrum* Canonicos S. Victoris Pariſienſis in
„ corporalem & plenam poſſeſſionem nomine Eccleſiæ novæ S. *An-*
„ *dreæ* Vercellenſis, quam fundavit D. Cardinalis, Caſtri & Villæ
„ Conſtantianæ &c. Actum in *Canova* Conſtantianæ præſentibus
„ *Rogerio*, *Ubertino*, & *Riccardo* - - *Aymo* - Sanè quoniam recens
è Gallia Vercellas venerant Canonici illi, quos antè nullos alterius
ordinis homines hanc obtinuiſſe Canoniam, vel Eccleſiam extra aleam
conlocat ſequens enarratio eruta ex membrana Archivii Xenodochii
Vercellenſis exiſtens ſub n. 4. - „ De ſolemnitate fundationis Eccle-
„ ſiæ *S. Andreæ* Vercellenſis, - - anno Dom. Incarn. MCC. nono
„ decimo indict. 7. die X. ante Kal. Martii, quùm acceſſiſſent ad
„ Eccleſiam (erat jam ab anno 1096. antiqua capella dicata D. An-
„ dreæ ibidem) B. Andreæ ſitam in civitate Vercellenſi D. GUA-
„ LA BICCHERIUS Dei gratia Tituli S. Martini Presbyter Cardina-
lis

„ lis Apoſtolicæ Sedis legatus. D. HUGO Dei Gratia Vercellenſis „ Epiſcopus deſignata ibi propè Eccleſia in fundo & proprietate illius „ D. Cardinalis, erexerunt & fixerunt ibi Crucem, & poſt ſolem„ nem illius loci Benedictionem duos lapides primarios illius Ec„ cleſiæ poſuerunt, quibus ritè peractis memoratus D. Cardina„ lis de conſenſu & voluntate præfati D. Epiſcopi, *D. Vercellini* „ Archidiaconi, & *D. Jacobi* Archipresbyteri, pro remedio pecca„ torum Suorum ac Progenitorum, & Parentum ſuorum dedit, & „ tradidit, ac veram & plenam poſſeſſionem conceſſit Eccleſiæ de „ novô ædificandæ, & ejus Miniſtris, qui pro tempore fuerint, ibi „ conſtitutis omnes terras & poſſeſſiones &c. Hæc autem omnia „ acta ſunt præſentibus *D. Robaldo* Monaſterii S. Stephani Vercel„ lenſis Abbate, *D. Oldebrando* Eccleſiæ S. Gratiani Præpoſitó (hic „ erat ex Canonicis S. Crucis Mortarienſis) *D. Rāymundo*, *D. Sa„ limben* Canonicis Eccleſiæ *D. Euſebii. D. Jacobo* F. - - *Lanthelmus* „ - Aſt neque poſt annum 1223. quandoquidem ab hoc anno ad „ hodiernam diem uſque Canonicos Regulares jugiter hanc incoluiſ„ ſe Canoniam liquido conſtat ex ejusdem Diurnis, membranis, & „ cartaceis Scripturis, à quibus omnibus quiſque expolitur anno „ 1224. ab Eminentiſſimo BICCHERIO electum fuiſſe in Priorem „ D. *Thomam*, qui anno 1227. BICCHERIO denato ad Abbatialem „ aſſumptus hanc Canoniam moderatus eſt ad annum uſque 1246. „ & Thoma vita functo undecim alios ſucceſſiſſe ordine ſequenti ad „ annum uſque 1460., quo hac Abbatia Lateranenſes fuere donati. „ - I. *Thomas* ab anno 1224. ad annum 1246. II. *Anfuſſus* ab anno „ 1246. ad annum 1282. III. *Ugo de* Bondonis, ſive *Ungucio* ab „ anno 1282. ad annum 1313. IV. *Nicolaus de Caſanova* ab anno „ 1313. ad 1325. V. *Bartholomæus de Moſſis* ab 1325 ad 1330. VI. „ *Franciſcus de S. Agatha* ab anno 1330. ad 1334. VII. *Andreas de* „ *Turriono* ab anno 1334. ad 1355. VIII. *Philippus de Cagnolis* ab „ anno 1355. ad 1383. 9. Kal. Januarii IX. *Antonius de Guſellis* ab „ anno 1384. ad 1401. X. *Petrus de Verme* ab anno 1401. ad 1432.

„XI.

„ XI. *Guillelmus Griſelli* ab anno 1432. ad 1441. XII. *Bartholomæus*
„ *de Muſis* electus anno 1441. Sed paulo poſt Abbatia fuit commen-
„ data Sereniſſimo Principi *Franciſco* de Sabaudia Filio Sereniſſimi
„ Ducis Ludovici, cujus opera nos Lateranenſes hac Canonia fui-
„ mus potiti anno 1460. vulgari, etſi pacifica ejus poſſeſſione ante
„ annum 1464. frui nobis minimè fuit conceſſum. Porro ut noſtros
„ anteceſſores fuiſſe Canonicos Regulares S. Victoris iccirco, &
„ Abbatem *Thomam*, noſque iisdem hac in Abbatia immediatè ſuc-
„ ceſſiſſe, evadat exploratum Tibi Illuſtriſſime ac Reverendiſſime
„ Præſul adverſus *Roſſotti*, *Wion*, *Oudinum*, *Blepharonemque* moder-
„ num, meminiſſe juvabit, præter Conſtitutiones GREGORII IX.
„ - Religioſam, PAULI II. - Apoſtolicæ Nobis - & - *Meditatio cor-*
„ *dis noſtri* - quorum apographa authentica in noſtro Archivio ex-
„ iſtunt, ſed aliis ferme innumeris immixta membranis, quapropter
„ modò inveniri non potuerunt, Conſtitutionis PII II. incipientis
„ - Paſtoralis Officii cura - in qua ſequentia occurrunt - etſi dilecti
„ filii moderni ipſius Monaſterii Conventuales Canonici ob melioris
„ vitæ frugem una cum Præpoſito, & Canonicis (Lateranenſibus
„ ſcilicet) inſtituendis remanere, & altiſſimo famulari voluerint,
„ pro eorum arbitrio poſſint & valeant auctoritate præfata &c. Ita
„ PIUS II. Senis Kal. Martii anno ab incarn. 1459. Quam ob rem
„ tunc Sabaudiæ Dux Ludovicus in ſuis Litteris apud nos originali-
„ ter exſtantibus Suos Miniſtros ſequentibus alloquebatur - LU-
„ DOVICUS Dux Sabaudiæ *Chablaſii* &c. - Univerſis ſerie præſen-
„ tium facimus manifeſtum, quòd, quùm ad noſtram notitiam de-
„ veniſſet Monaſterium S. Andreæ Vercell. Ord. *S. Aug.*, quod per
„ *Abbates* & *Can.* Reg. conſueverat gubernari ----- ulterius admini-
„ ſtratorio & curatorio nomine præfati filii noſtri præcipiendo manda-
„ mus omnibus *Can.* & *Cler.* in dicto Monaſterio S. Andreæ *reſidentibus*
„ ut ſecundum formam Litterarum Apoſt. curent cum ipſis Can. moder-
„ nis obſervantibus vivere ſub obſervantia regulari: quod ſi facere re-
„ cuſaverint, præcipimus & jubemus ſupra Scriptis Officialibus no-

„ ſtris ſub pœna, de qua ſupra, quatenùs omnes & quoscunque,
„ quorumcunque nomine cenſeantur, ab ipſius Monaſterii Eccleſia,
„ Domibus & Clauſtris expellant &c. *Datum in Monte Calerio* die
„ 23. Menſis Junii anno Dom. 1460. ex quibus omnibus colligere
„ abunde potes, ex anno 1460. Hac Canonia fuiſſe donatos La-
„ teranenſes, à quibus heic ſtatim conſtitutus fuit Præpoſitus D.
„ INNOCENTIUS *de S. Agatha*, uti edoceor à quadam membra-
„ na ejusdem anni, & noſtros Præceſſores fuiſſe Canonicos S. Vi-
„ ctoris, ex quorum numero fuiſſe Abbatem THOMAM, quem
„ Præceptorem D. ANTONII Patavini fatentur Chronicæ Franci-
„ ſcanorum & evincunt antiquiſſimæ picturæ illius ſepulchri hac no-
„ ſtra in Eccleſia exiſtentis, haud ſecus, ac fermè innumeræ mem-
„ branæ tum Acta Capitularia, cùm inſtrumenta continentes, aut
„ privilegia, quæ in noſtro ſervantur Archivio, quorum omnium,
„ quoniam haud vacat alios referre, vicibus fungatur Diploma quod-
„ dam AMEDEI Comitis Sabaudiæ, quius hæc ſunt verba: Anno
„ gratiæ 1238. 18. Kalend. Octobr. Vercellis in domo S. Andreæ
„ conſcripta. - AMEDEUS Comes Sabaudiæ Marchio in Italia
„ omnibus ſuæ jurisdictionis, & ſubjectis ſalutem - Quoniam gra-
„ tiſſima præmia conſequitur in cœlis, qui pietatis opera ſtudioſius
„ exercet in præſenti, maximè qui Viris Religioſis Deo deſervien-
„ tibus gratiam impendunt, & tranquillitatis tutelam, Nos divinæ
„ pietatis, & ſpiritualium Orationum intuitu Viros Religioſos fra-
„ trem THOMAM Abbatem S. Andreæ Vercellenſis Monaſterium,
„ *Canonicos*, Nuntios S. Victoris Pariſienſis cum omnibus rebus ſuis per
„ totam terram noſtram in noſtram ſpecialiter ſuſcipimus Protectionem
„ &c. - His adde duplicem imaginem, pictam unam, alteram anagly-
„ phorum inſtar ſculptam circa ejus ſepulchrum Abbatis THOMÆ
„ geſtare. - Albam lineam & Cappam nigram cum *Cappucio* ad mo-
„ dum aliorum Canonicorum in dicta Eccleſia S. ANDREÆ com-
„ morantium - tunc: utebar enim verbis mutatis à quadam membra-
„ na Profeſſionis heic factæ à quodam MARTINO *de Saleta* anno

„Dom.

„ Dom. Incarn. 1273. indict. 1. die Jovis 7. menſis Septemb. Abbate ANFUSSO. En igitur Illuſtriſſime ac Reverendiſſime Domine, quam enormiter à veritate aberrant, qui Canonicis Regularibus Abbatem THOMAM abjudicant, nobisque in hac Canonia Sedem reliquiſſe *Ciſtercienſes* deblaterant, quoniam in libro Taxarum nobis comperta occurrunt verba: jam quippe duobus abhinc annis cuidam Abbati Ciſtercienſi, cui eſt in votis ſyllabum *P. Roſſotti* emendatum in lucem emittere, exploratum reddidi illa verba libri Taxarum illeic occurriſſe, quoniam annis 1459. 60. 61. 62. 63. & 64. hanc Abbatiam veluti ſibi commendatam propter renuntiationem Sabaudienſis Principis retinuerat quidam Auguſtinus CORRADUS DE LIGNANA Abbas *Caſanovæ* Ordinis Ciſtercienſis, non autem, quoniam Ciſtercienſes hac in Canonia fuerint unquam. Aſt quoad Abbatem THOMAM, & hanc Abbatiam hactenus dicta ſufficiant, & ſi plura de iisdem optabis, me tibi ſemper obſequentem invenies. Relatè ad Abbatiam *S. Stephani* reſpondeo, ejus incolas primos fuiſſe Benedictinos, quos ejectos ſcio, ſed ejectionis tempus me latet, quoniam nos illis nonniſi poſt multos annos illeic ſucceſſimus. Unum hoc probè teneo, nempe anno 1219. die 18. Febr. Abbatem *Robaldum*, ſive *Roboaldum* poſitioni Petræ benedictæ pro fundaminibus hujus Eccleſiæ adfuiſſe, ideoque Gerſen tertii decimi ſæculi referre, ſi ROBALDUS præceſſit Gerſen, quo Cognomine heic, neque ac *Caballiaci* nemo inſignitur. Num autem adinveniri poterit illius Abbatiæ Præſulum Catalogus, prorſus ignoro, ſed ſcrutabor, utinam haud fruſtra bellorum, incendiorumque ergo. Abbatum hujus Canoniæ *S. Andreæ* ad hanc uſque diem deductum ope membranarum, & Diurnorum, ſi optas, Catalogum mittam.

„ *Ad* 4. *Reſpondeo.* Me audiviſſe, Aronæ 10. leucis circiter ab hac urbe diſſitæ ſervari Codicem MS. Operis *de Imitatione*, cujus ἐπιγραφὴ eum Gerſoni adjudicat, aſt quùm illum non viderim, nec

„ ætatem, nec characterum habeam exploratam formam, & alios „ Codices MS. laudare minimè audiverim, nil dicam ulteriùs.

Ad 6. *Reſp.* Jam demonſtraſſe in adlata Serie Pariſienſis Con„ gregationis Abbatum unicum THOMAM heic ante ann. 1460. „ & ex adlato Diplomate AMEDEI erui, Abb. THOMAM A. 1226. ulti„ mam non obiiſſe diem, ſed ſeriùs, nempe, uti optimeſcripſiſti, A. 1246.

„ *Ad* 7. & 8. RESP. Ultra Teſtamentum Cardinalis GUALÆ „ de *Biccheriis* nos inſigniri aliis pluribus antiquis monumentis: ſed „ relatè ad Abbatiam *S. Stephani* vereri, ne nihil habeatur, quum „ illam jam dudùm antea commendatam nos adobtinuiſſe exploratæ „ fidei ſit. Hæc ſunt, quæ tibi incontinuè, atque ob temporis an„ guſtiam perfunctorio calamo potui reſpondere, utique, non quæ „ percupiebas, ſed quæ, & quomodo licuit, ſaltem ut probè no„ ſcas, me officio prorſus haud defuiſſe; præcipuè quùm in maximis „ habeam à Te Tibi addictiſſimum exiſtimari. Vale.

P. S.

„ A BIBLIOTHECARIO Taurinenſi nil ſperandum adjudico. *Fran*„ *ciſcum Auguſtinum* ab Eccleſia Epiſcopum Saluzienſem fuiſſe „ reſpondeo. *Dabam Vercellis* ex Canonia S. Andreæ 8. Idus De„ cembris MDCCLX.

P. S.

„ En quæ reſpondit, qui MODENÆ ἀπόγραφον penes ſe habet. „ - Legi atque perlegi MS. MODENÆ, nec aliquid de *Jo*„ *anne Gerſen* in eo reperi. BELLINUS loquitur de *Gerſen*, ſed „ Patris CONSTANTINI CAJETANI (a) fide innititur. D. „ AUGUSTINUS AB ECCLESIA Epiſcopus Salutienſis in ſua „ Chronologia cap. 34. fol. 291. inquit ad annum - 1230. JOH. „ GERSEN Abbas *S. Stephani* de Cittadella Vercellenſi, qui *eru*„ *ditiſſimum* (b) Tractatum *de Imitatione Chriſti* compoſuit. - Iterum „ vale, & doctiſſimum Amort meo nomine valére jube. §.

(a) Quantæ fidei & auctoritatis ſit Conſtantinus Cajetanus, legere eſt in *Dupini* nouvelle Bibliotheque des Auteurs Eccleſ. Tom. XVII. pag. 133. & apud *Niceron* Tom. XXV. pag. 202. & paſſim.

(b) Quis non rideat, ſi viri eruditi tale de libello hoc judicium ferant: An non propriam Eruditionem ſic reddunt ſuſpectam?

§. 236. DICES poſſibile eſt, ab iis, qui ſuis Manuſcriptis librorum de Imitatione adſcripſerunt nomen Gerſenis, intellectam fuiſſe perſonam diſtinctam à Gerſone. RESPONDEO. Non negari à me poſſibilitatem oppoſiti. Sed ſola oppoſiti poſſibilitas non tollit moralem certitudinem propoſitionis teſtibus vel aliis Documentis moraliter certis ſuffultæ (§. 23, 25, 27.) nec ea circa quæſtiones facti conturbat ſapientem.

FIGMENTUM IV.

§. 237.

Gerſeniſtæ, ut meris figmentis ſuum Joannem Gerſen honeſtè in anicularum forum veſtiant; docent, *S. Antonium Paduanum* à *S. Franciſco* miſſum fuiſſe Vercellas ad *Joannem Gerſen* Abbatem S. Stephani.

§. 238. RESPONSIO. Hoc totum denuò eſt merum figmentum cerebri. Contrarium patet in Actis Sanctorum apud P. Danielem Papebrochium Die XIII. Junii ex veteri MS. de S. Antonio à Wadingo quondam erutô, ibique inſerto. „B. Antonius (verba ſunt „ veteris MS. ibidem fol. 728. allegati) de beneplacito S. Franci- „ ſci fuit primus ſtudens in Theologiâ, cum Fratre Adam de Ma- „ riſcô Anglicô, in ordine per Generale Capitulum ordinatus: & „ acceſſerunt ad Abbatem S. Andreæ de Vercellis, qui tunc inter „ omnes Theologos excellentior habebatur, qui & libros B. Dio- „ nyſii noviter ex Græcò tranſtulerat in Latinum, & pulcherrimè „ commentatus eſt: tunc enim de Mediolano Vercellas translatum „ fuerat ſtudium generale. Abbas verò eos benignè recepit, & „ tantum in eis mentis elevatione profecit, ut idem Doctor Abbas „ diceret, ſe doctum ab indoctis, & cœleſtes hierarchias in eorum „ animabus realiter depinxiſſe. In illis autem quinque annis, qui- „ bus cum illo ſtuduerunt in libris B. Dionyſii, ad tantam mentis

„ ſerenitatem & lumen ſapientiæ pervenerunt, ut illas hierarchias,
„ non tantùm didiciſſe, ſed percurriſſe viderentur. Undè idem Ab-
„ bas reddens teſtimonium de B. Antonio, Comment. cap. 3 parti-
„ cula - - - - - Sub littera V. ſic dicit: *Frequenter amor penetrat,*
„ *ubi cognitio phyſica foris ſtat. Legimus enim quosdam Epiſcopos, mi-*
„ *nus imbutos fuiſſe phyſicis, qui, ut myſticam Theologiam captu mentis*
„ *haurientes, cœlos penetrabant, omnem phyſicam cognitionem ſubtiliſſimè*
„ *tranſcendentes, uſque ad beatiſſimam Trinitatem. Quod & ego in ſan-*
„ *cto fratre Antonio de Ordine Fratrum Minorum peculiari familiarita-*
„ *te expertus ſum: qui cum eſſet minus imbutus litteris ſecularibus;*
„ *animi puritate & mentis ardore ſuccenſus, myſticam Theologiam captu*
„ *mentis & ferventer deſideravit & abundanter hauſit; ut poſſim dice-*
„ *re de eo, quod ſcribitur de Joanne Baptiſta; ipſe erat lucerna ardens*
„ *& lucens: quia enim amore ardebat interius, lucebat exterius,* &c.

§. 239. Aliud argumentum in contrarium ſuppeditant Epiſtolæ Reverendiſſimi Joſephi Frova §. 235. & 257. relatæ.

FIGMENTUM V.

§. 240.

Gerſeniſtæ lepidè fingunt, THOMAM Vercellenſem jam obiiſſe 1226. antequàm S. ANTONIUS fuerit Vercellas miſſus ad ſtudia. Nituntur inſcriptione ſepulchrali hujus tenoris:

Bis tres viginti currebant mille ducenti
Anni, cùm Thomas obiit Venerabilis Abbas
Primitus iſtius templi, ſummeque peritus
Artibus in cunctis liberalibus, atque Magiſter
In Hierarchia, nunc arca clauditur iſta
Quem celebri fama vegetavit pagina ſacra.

§. 241. RESPONSIO. Stupida eſt hæc inſcriptionis expoſitio. Ars Hermenevtica quam inſerui meæ *Arti Criticæ*, jubet verba ſcri-

ptorum

ptorum veterum, præſertim monumentorum publicorum, accipi in eo ſenſu obvio, quem illis tribuerunt omnes Lectores vel auditores ſynchroni. Sepulchralem autem illam inſcriptionem intellectam fuiſſe à ſynchronis de anno 1246. non de anno 1226. patet ex Documentis ſynchronis, ab *Oudino* Tom. III. relatis. Idem demonſtrant tum variæ picturæ in Eccleſia S. Andreæ Vercellenſis, prout teſtatur *Reverendiſſimus D. Joſephus Frova* in ſuis litteris ad Reverendiſſimum Præpoſitum meum ex Abbatia S. Andreæ Vercellenſis datis (§. 235. 257. tum etiam Diploma *Amedei III.* Comitis Sabaudiæ Marchionis &c. (§. 257.) relatum. Item Bulla *Gregorii IX.* anno 1227. ad Thomam Abbatem Vercellenſem, utique non mortuum data, quam neſcio an majori ſtupiditate quam protervia, à PENNOTTO confictam eſſe, quaſi ex tripode auſus eſt definire Eruditione ſicut & ætate admodum juvenis Scribillator Schyrenſis, cujus originale teſtante eodem REVERENDISSIMO FROVA l. c. Vercellis ad S. Andream aſſervatur cum ſubſcriptione Cardinalium. Eidem huic veritati vel invitus teſtimonium dicit PAPEBROCHIUS, dum in *Actis Sanctorum ad Diem XIII. Junii T. II. p. 732.* refert, *Antonium de Padua* vix defunctum anno 1231. *Thomæ* adhuc in vivis exiſtenti apparuiſſe, eúmque ægrè decumbentem ſolo attactu ſanaſſe, licet in eadem Diſſertatione ſui immemor, *Thomam* anno 1226. deceſſiſſe ſcribat. En verba formalia ex veteri Manuſcripto jam ſemel laudato. *Eodem autem Die, quo S. Antonius migravit ex hac vita, famoſiſſimus & in ſacris Scripturis eruditiſſimus Abbas Vercellenſis, erat in camera ſua, divinis intentus meditationibus, ſolitarius: quem vir ſanctus, dùm viveret, dilectione præcipua fuerat proſecutus, & frequenter mutuis divinæ Scripturæ colloquiis ſe paſcebant. Undè idem Abbas, in quodam Commento ſuo, de ipſo B. Antonio dicit ita: Frater Antonius, Ordinis Fratrum Minorum, de puræ Theologiæ ſenſu myſtico, hauſit pleniſſimè, Dei gratia illuſtratus. Cùm ergò Abbas ſic ſolus moraretur; eadem horâ quâ obiit, famulus Domini ad eum ſolus ingrediens, poſt mutuam ſalutationem benevolam vir ſanctus adjecit: Ecce, Domine Abbas, quòd reli-*

Ető aſellő meő Paduæ vado ad patriam feſtinanter: & confeſtim cùm Abbatem in gutture, ubi tunc graviter patiebatur, familiarius tetigiſſet, & continuò ab ægritudine liberaſſet, exiens foras, diſparuit. Ille verò Abbas, conſiderans quod forte ad nativam patriam, ſcilicet Hiſpaniam, pergeret; ejus deceſſum totaliter ignorans, ut ipſum ſaltem aliquantulum retineret, ſurrexit; & ipſum extra non inveniens, obviis monaſterii ſervientibus, ubi eſſet Frater Antonius anxie requirebat Quibus reſpondentibus, ipſum non veniſſe, & ubi eſſet ſe penitus ignorare; ille firmiter aſſeruit, ſe modò illum vidiſſe, & ſibi talia dixiſſe, & ipſum Sanctum miraculosè curaſſe, & ſubitò exiviſſe. Miſſum eſt ſtatim ad locum Fratrum, qui erant in illa villa; ſi fortè ipſum vidiſſent: & eò non invento, præfatus Abbas ad cor rediens, certiſſimè intellexit, beatum Patrem per mortis exceſſum, ad patriæ cœleſtis convivium feliciter perrexiſſe: & notans tempus diligenter, poſtmodum reperit liquidò, eadem hora, qua ſibi apparuit, ipſum ex hac vita migraſſe.

FIGMENTUM VI.

§. 242.

Gerſeniſtæ ſuum Joannem Gerſen *de Canabaco* ſcribunt, inſcriptione Codicis nixi, in quo titulus *Joannem de Canabaco* authorem præfert.

§. 243. RESPONSIO. Inſcriptio libri inprimis non neceſſariò authorem refert, ſed poteſt etiam poſſeſſorem libri ſignificare; præſertim cùm non in *linea* prima titulari ſed *ſuprà lineam* primam titularem illud nomen *Joannis de Canabaco* ſcriptum ſit, qui modus ſcribendi poſſeſſorem ſignificat. Secundò certum eſt, hunc Codicem ab ALLATIO *Vienna* ex Auſtria Romam perductum eſſe. In Auſtria autem ac Bavaria ſæculo XV. reperiebantur complures Joannes de *Rorbach*, ſeu de *Canabaco* ſic dicto à græco verbo *κανα*; latine cannà,

na, prout patet ex Stemmatographia Boica HUNDII (a). Sic etiam in Bibliotheca Cathedrali Auguſtana initio Bibliæ Manuſcriptæ vidi in fronte ſcriptum nomen *Emiconis Epiſcopi* haud dubiè poſſeſſoris. Et in noſtra Bibliotheca habemus librum, in cujus titulo ſuperius ſcriptum eſt nomen *Joannis de Rorbach*, cui donatus fuerat ille liber. Verum Gerſeniſtarum fictio non in eo conſiſtit, quod poſſeſſorem libri in authorem commutent, ſed quod denuo duas perſonas, Joannem *Gerſenem* & Joannem de *Canabaco* in unam perſonam conflent. Accepi anno 1726. à Viro Erudito Vercellenſi litteras, in quibus teſtatur, in Monaſterio ad S. Andream Vercellenſi, aſſervari quidem Chronicam antiquam ALLICENSEM, ubi dicitur; *Joannem* GHERSEN fuiſſe Abbatem Ordinis Lateranenſis in Monaſterio *Pagi*, vulgo ALLICE, non procul à *Cavaglia*, ſimul tamen teſtatur, Parochum hujus loci nullibi reperiſſe, *Cavagliam* unquam dictam eſſe *Canabacum*. Hic locus proin quærendus eſt in *Bavaria*, vel *Auſtria*, ubi ſuas ſedes fixerunt RORBACHII, Poſſeſſores libri de Imitatione. Qui ex his Nobilibus unum nuper in gradum Comitum evexit, plura docebit Interea accludo Diſſertationem Gallico Idiomate anno 1758. contra *Vallartum* Gerſeniſtam à Canonico Regulari Pariſiis, à meorum Confratrum quopiam Neo-Clerico in gratiam Schyrenſis Gerſeniſtæ Neo-Myſtæ latinè verſum.

Totum Diſſertationis argumentum eò redit. Non conſtat de identitate inter Joannem - Gerſen - Abbatem - Benedictinum - Canabacenſem. Deficientibus ergò idoneis teſtibus circa eandem perſonam prætendentem partus legitimo parenti teſtimoniis moraliter certis aſſertus Ven. Thomæ Kempiſio relinquendus eſt.

(a) I. *Joannes de Canabaco* circa annum 1460 vel 70. II. *Joannes de Canabaco* Prætor Mainburgenſis anno 1470. III. *Joannes de Canabaco*, qui obiit A. D. 1426. IV. *Joannes Thoman* Canonicus Friſingenſis anno 1585. Siquis infidelium ſecundos hos ex Idiomate Latino vel Græco baptiſmos, ſæculo XV. & XVI. uſitatiſſimos præfractè neget, præter Malleolos, Legipontios, Sartorios, Sutores, Textores, Molitores, Farinaceos, Captiones, Oecolampadios, Melanctones, &c. etiam ex ipſo nobilium, præſertim recentiorum Stemmate exempla mille promittimus.

PARS VI.

§. 244.

D. JOSEPHUS VALART NOVUS GERSENISTA A CANONICO REGULARI PARISIENSI CONVELLITUR.

QUÆSTIO I.

An ſolide probatum ſit, librum de Imitatione eſſe Thoma Kempenſi antiquiorem.

Modus demonſtrandi, librum de Imitatione eſſe Thomâ Kempenſi antiquiorem, quô uſus eſt Valartius, eſt ejusmodi, ut ſanè dubitem, utrum vel ipſis doctis Benedictinis, aliisque liti huic implicitis arriſerit, ſatisfeceritve. Mediô, ut mihi quidem videtur, uſus fuiſſet ſecuriſſimo, ſi demonſtraſſet, librum hunc jam ab authoribus piô hoc Canonico Regulari antiquioribus, citatum fuiſſe, aut exiſtere ejusdem apographa ſæculo decimo quinto antiquiora. At medio hoc tam naturali, quódque Delfavii & Mabillonii adeo urgebant, neglecto, ſatis eſt Valartio criſim, & hanc parum æquam ferre de manuſcripto anno 1441. cui tanquam præcipuo fundamento cauſam Kempiſianam inniti contendit. En! quo redeat ejus ratiocinium: Thomas Kempenſis, inquit, propria manu anno 1441. ſcripſit manuſcriptum, quod pertinet ad Jeſuitas Antwerpienſes: multi manuſcripto huic inſunt errores: ergò Thomas Kempenſis non eſt author libri de Imitatione. Logica hæc haud adeò exacta mihi videtur. Manifeſte impoſſibile eſſe ſupponit, authorem, qui opus quoddam à ſe compoſitum pluries manu propria deſcripſit, ſive ut habeat apographa, quibus ipſemet utatur, ſive ut habeat, quæ diſtrahere poſſit, aliquos errores apographis ſuis inſerere poſſe. At prin-

principium hoc adeo non certum mihi videtur, ut potius perſuaſum mihi habeam, authorem, qui propria ſua opera deſcribit, eò plures manuſcriptis ſuis inſerere errores poſſe, quò magis memoriæ ſuæ confiſus, minori attentione originale, aut apographum, quod præ oculis habet, conſulit. Nimium ergo Valartius vult probare ex eo, quod Manuſcripto Antwerpienſi errores inſint. Pergit Valartius: Reperitur in fronte quorundam capitum *Vox diſcipuli*, locò *Vox dilecti &c.* ergo, infert noſter Criticus, *author pretioſi hujus manuſcripti nec numerum perſonarum in libro hoc loquentium, nec quænam ſit, quæ in quovis capite loquatur, novit.* Næ bella hæc mihi conſequentia? An ergo Thomas Kempenſis non calluit linguam latinam, adeóque non intellexit latinum libri de Imitatione? intellexit certò; hujus enim rei fidem nobis faciunt opera ab ipſomet Thomâ compoſita, in quibus eundem, quem in libro de Imitatione, & guſtum & ſtylum reperire eſt. Omni ergo probabilitate caret, Thomam aliquod libri hujus caput ſcribentem neſciviſſe, quænam perſona loquatur, cùm potiùs valde probabile ſit, minorem in ſcribendo hoc apographo ejus attentionem fuiſſe. Nimium itaque dum Valartius probat, nihil probat.

Longe adhuc miſerabilius eſt argumentum alterum, gravi huic, quod Valartius ponit, innixum principio: *In Dialogo caput, cujus initium facit petitio quædam brevis & ſimplex, non niſi reſponſione ad hanc petitionem finiendum eſt.* Certè principium, quod, miror, eum non tanquam axioma, tanquam toti orbi notum, tanquam veritatem ex ipſa Dialogi natura reſultantem jactitaſſe. Sed totum librum de Imitatione ſi pervolvamus, videbimus, Interlocutores ferè ſemper, quod loquuntur, per diſcurſum totius capitis loqui. Naturale itaque erat, diſcipulum petitionem capite VI. libri IV. factam, per totum capitulum proſequi. En igitur bonitatem conſequentiæ!

Ultrà progreditur Valartius, & ex erroribus Grammaticalibus, qui manuſcripto Antwerpienſi inſunt, Thomam Kempenſem authorem hujus manuſcripti, non poſſe eſſe authorem ipſius operis con-

 cludit,

cludit. Et hæc Logica Eruditi Academici defectuoſa apparet. An ergo author libri de Imitatione, quiſcunque demum fuerit, non poterat immiſcere errorem Grammaticalem? erátne incapax? Ad quid ergo tanta cura & labore Valartius Dictionarium fecit verborum minus latinorum, quæ author libello inſeruit? Nonne & in hoc libro per ſcrupuloſum Reviſorem noſtrum correcto phraſes ad minus etiam barbaras reperire eſt, ac eſt illa: *non parùm eſt in monaſteriis uſque ad mortem fidelis perſeverare?* Alia ex parte, omne id, quod reprehenſione dignum Valartius judicat, palàm adeô reprehenſibile non eſt e. g. circa illud: *Si non continuè te vales colligere, ſaltem interdùm, & ad minùs ſemel in die, manè videlicet aut veſperè; manè propone, veſperè diſcute mores tuos:* obſervat Valartius; *ſemel* hìc errorem copiſtæ eſſe non poſſe. Tam facile enim haud eſt ſumere & ſcribere *ſemel* pro *bis*; Studio itaque hoc poſitum eſt; indè ergò concludendum, quod Thomas Kempenſis (cui hoc ſaltem laudis Valartius tribuit, quod fuerit fidelis Copiſta;) tò *ſemel* jam invenerit in exemplari, quod deſcripſit. Verum ſenſui, æque ſi ponatur *ſemel*, ac ſi ponatur *bis*, nil deeſt. Senſus enim eſt iſte: *collige te ad minus ſemel in die, manè aut veſperè, ſi manè te colligis, propone; ſi veſperè, diſcute mores tuos.* Quid impedit, quominus ſenſus hic bonus ſit? Nonne & S. Ignatius Loyola, & S. Vincentius à Paulo voluerunt, orationem fieri manè, & examen veſperè, ita quidem ut id nobis tanquam arcanum, mediumque ad ſublimem perfectionem chriſtianam perveniendi ſecuriſſimum deprædicarint? Haud benè itaque & æquè hoc in Diſſertationis loco diſcurrit Valartius. Citat nobis verſionem Gallicam impreſſam Antwerpiæ apud D. Kayſer, in qua habetur, *bis in quolibet die, manè & veſperè.* Sed huic pro reſponſione oppono verſionem gallicam, impreſſam Pariſiis, per *Joannem Lambert* 1493. ubi legitur: *Et ſi non vales te colligere, & ad te redire continuè, ad minus ſemel id facere ſatagito. Id eſt, ſemel in die, manè aut veſperè. Manè propone, & veſpere diſcute mores tuos, & qualis bodie fuiſti in verbo, opere, & cogitatione.*

Deni-

Denique Thomam Kempenſem non eſſe authorem libri de Imitatione, librúmque hunc Thomâ antiquiorem eſſe, Valartius ex eo, evincere vult, quòd in Manuſcripto Antwerpienſi liber quartus reperiatur in loco libri tertii, & quòd in Manuſcripto Lovanienſi, cujus pariter author eſt ipſe Thomas, alia quoque opera, quatuor libris, ex quibus ordinariè conſtat liber de Imitatione, immixta ſint. Hæccine pro argumentis venditas? An ergo quatuor libri de Imitatione adeò ſibi invicem colligati ſunt, ut ſeparari, diverſáſque in partes transponi nequeant. Sequitúrne tractatus, à priori qui dependeat. Planè ejusmodi ratiocinium in alio authore ſi occurriſſet, eum ne quidem legiſſe libros de Imitatione ſupponerem. Valartii fuiſſet attendere, quatuor hos libros ab invicem non dependere, ordinémque, in quo hodie eosdem collocatos reperire eſt, nonniſi arbitrarium eſſe. Hinc eſt, cur in pluribus manuſcriptis omnino ſeparati reperiantur. Valdè itaque malè probavit Valartius, librum de Imitatione eſſe Thomâ Kempenſi antiquiorem.

Cæterum haud abs re aſſeruit, quod verba hæc: *Finitus & completus per manus F. Thomæ à Kempis*, quæ in fine hujus manuſcripti léguntur, non probent, pium hunc Canonicum libri de Imitatione eſſe authorem. A longo enim jam tempore conceſſum eſt, Thomam per verba hæc præcisè copiſtam ſe declaraſſe. Verùm cùm in eodem Codice ſint alia etiam opera, quorum indubitatò & author eſt & Copiſta, quidni & libri de Imitatione author eſſe poſſit & copiſta? Vix enim veriſimile mihi eſſe videtur, hominem humilitatis adeo ſtudioſum opera ſua cum illo confundere voluiſſe, quin ejusdem haud authorem ſe eſſe moneat, prodátve. Verùm anticipatò hac de materia agimus, non enim hìc quæritur, utrùm Thomas ſit author libri de Imitatione, ſed quæſtiò, quam examinandam ſuſcepimus, in eo conſiſtit, utrum opus hoc ſit Thoma K. antiquius. Sed idipſum eſt, quod non tam facilè quis probaverit. Natus eſt Thomas K. anno 1380. Quid jam impedit, quominùs Thomas potuerit componere librum de Imitatione ab anno 1410. ſeu ab illo

tempóre, quo citatum reperimus? Contendebatur quondam, S. Bonaventuram libelli hujus habuiſſe notitiam, eundemque in quadam ſuarum conferentiarum citaſſe. Verum ſolidè probatum eſt, opus hoc non eſſe Bonaventuræ, eoquod in eo pariter citatus reperiatur author, nomine Ubertinus, de quo certò conſtat, eum nonniſi poſt mortem S. Doctoris Bonaventuræ ſcripſiſſe. Præterea & S. Thomas Aquinas libri de Imitatione habuiſſe notitiam, ex eóque quaſdam Officii ſui de S. Sacramento Antiphonas mutuaſſe fertur. Sed & hac ſuper re à Kempiſtis reſponſum eſt, non Aquinatem ex Kempenſi, ſed è contrario Kempenſem ex Aquinate loca, de quibus hìc agitur prout & alias diverſas ex Officio divino partes, e. g. *O mira circa nos tuæ pietatis dignatio &c.* mutuaſſe.

Quod alii quondam, hoc etiam hodie regerit oggeritque Valartius, nimirùm, Authorem libri de Imitatione perſonaliter fuiſſe notum S. Franciſco Aſſiſſienſi. Et planè, hoc ſolidè ſi probatum fuerit, partes Thomæ Kempenſis teneri ultra non poterunt. At quomodò probant? ſolo hoc & unico illo ex libro de Imitatione loco: *Quantùm unusquiſque eſt in oculis tuis, tantùm eſt & non amplius: ait humilis Franciſcus.*

In Editionibus ordinariis legitur, *humilis Sanctus Franciſcus.* Ut Valartius, authorem, qui loquitur, contemporaneum eſſe, faciliùs perſuaderet, conſultius fore judicavit, ſi ſequeretur manuſcriptum, quod ſupprimit epitheton *Sanctus.* Quidquid ſit, tam infirmum certe argumentum reperire ullibi haud erit. Author citat alterum; ergò ſunt contemporanei? id certe ſi teneret, æquè facilè, ut ajebat quidam Kempiſta, probari quoque poſſet, authorem libri de Imitatione eſſe & Chriſto contemporaneum, eòquod & Chriſtum ſæpè citet tali modo: *dicit Dominus.*

Prætendebatur inſuper librum de Imitatione non poſſe eſſe partum ſæculi XV, eoquod author fervorem plurium Ordinum Religioſorum ſummopere deprædicet, qui tamen eo tempore plurimum à fervore deſciviſſe feruntur. Infirmæ huic objectioni reſpondetur & reſpon-

reſponſum eſt, in pluribus adhuc, belgii præſertim, inferioriſque Germaniæ monaſteriis diſciplinam religioſam ſummè viguiſſe Sæculo XV. Author præciſè fatetur, alia monaſteria eſſe, in quibus regularitas integra adeò haud eſſet: L. 1. c. 3. n. 5. *Non fierent tanta mala & ſcandala in populo, nec tanta diſſolutio in cœnobiis.*

Manuſcripta denique afferri ſolita quod attinet, dici poteſt, ex omnibus illis, quæ certum Datum habent, nec unicum eſſe, quod ad annum 1410, quô Epocha Libri de Imitatione Statui poſſe creditur, aſcenderet. Inter illa, quæ Benedictini à Concilio Eruditorum annô 1671. examinari curarunt, nonniſi unicum erat, quod pro partu Sæculi XIV. vendebatur. Pro tali etiam id emit Valartius, utpote qui illud Sæculi XIV. Manuſcriptum eſſe, in ſua Diſſertatione aſſerit. at vehementer in hoc fallitur. Manuſcriptum hoc, quod in Actis hujus Eruditorum Concilii nonum eſt, Datô caret. Ultima, in quâ ordinarie reperitur, pagina lacerata eſt. Verum hujus loco in medium adducitur Atteſtatio coram Notariis per Benedictinum quemdam, Abbatiæ Gerardimontenſis in Flandria, ad quam illud pertinebat, facta, qui olim in ultima manuſcripti hujus pagina hæc verba Scripta vidiſſe ſe aſſeverat. *Hic liber conſcriptus fuit à F. Ludovico de Monte, qui obiit antè annum milleſimum quadringenteſimum.* Æquitas poſtulare videtur, ut verbis Religioſi hujus adhibeamus fidem. Demus ergo, eum reverâ vidiſſe hanc notam. At num vera erat, & legitima hæc nota? alia hæc eſt quæſtio. Me quod attinet, rotundè aſſero, me id haud credere. 1mò, Scripta non erat manu *F. Ludovici Montani*, cùm annotata in ea ſit mors ipſius. 2dò. Certò ſcripta eſt poſt annum 1400, adeóque Sæculo XV. ſive dein Sæculo XV. ineunte, ſive mediô, ſive exeunte. 3tiò. Illius, qui hoc ſcripſit, notitiam haud fuiſſe exactam certum eſt, cùm in hoc ipsô manuſcriptô contineatur Opus Thomæ Kempenſis, *de diſciplina clauſtrali.* Itaque ſcripta eſſe Sæculo XIV, non potuit. Claudius Molinetus, Eruditiſſimus Antiquitatum Scrutator, & Bibliothecarius ad S. Genovevam, in quadam Epiſtola ad DD. Herouvalium, Ducangium, & Cotellio-

rium

rium An. 1674. datâ defendit, Scripturam manuſcripti hujus adeò, ut jactitatur, antiquam haud eſſe; quoniam, cominùs ſi examinetur, apparet, caudas litterarum S & F multùm infra lineas deſcendere, quod, ut ille ait, nonniſi à ducentis circiter annis introductum eſt, prout etiam in Manuſcriptis Bibliothecæ Regiæ obſervavi.

Falſum itaque eſt, anno 1671. productum eſſe Manuſcriptum Sæculi XIV. prout tamen Valartius aſſerit, qui ipſemet duo hujus ætatis habere ſe contendit, quæ tamen tamdiu in dubium vocari poſſe & licere credo, donec ritè examinata fuerint. Unum Manuſcriptorum horum, ut ipſemet Valartius teſtatur, illud eſt, cujus mentio fit in Tomo I. *Operum Poſthumorum Mabillonii* pag. 33. In quo loco legitur, quod „ D. Eſcalius in litteris Pariſios miſſis, auſpica-
„ tíque ſui in Auſtriam Inferiorem itineris nuntiis, novi quid, id-
„ que ſingulare ſignificarit, quod Doctus Clericus, D. à S. Hilario,
„ Theologiæ Baccalaureus, & Liberorum Marchionis de Feuquie-
„ res Inſtructor, aſſeveraverit, ſe habere Manuſcriptum non ſolum
„ Thoma Kempenſi, ſed ipſo Gerſene antiquius. Placuit hoc, in-
„ quit hac ſuper re D. Vincentius Thuillierius, tertium ſurrexiſſe,
„ per quem duo prætendentes exauthorarentur. “ Habes hic, quisnam tunc de manuſcriptô hoc fuerit ſenſus; Credebatur antiquius Gerſene, adeoque Sæculi XII. vel Sæculi XIII. ineuntis. Cur ergo Valartius id ſolummodò nobis tanquam manuſcriptum Sæculi XIV. obtrudit? En quomodo inordinata cupido, librum de Imitatione adjudicandi Gerſeni, minuat antiquitatem hujus, & extollat, augeatque antiquitatem aliorum Manuſcriptorum?

Ne tamen ægrè ferat Valartius exiguam meam, quam in ipſius de manuſcriptis notitiâ collocare videor, fiduciam, noverit, me non pluris quoque facere judicium Eruditorum, juxta quos Manuſcripta Aronenſe & Bobienſe anno 1687. non erant trecentis annis inferiora. Me quod attinet, ſolum & unicum poſitivè quid de ætate alicujus manuſcripti aſſerendi medium eſſe judico, inſpicere datum, inquirere in Scriptorem, aut inſpicere ejusdem citationes in Regiſtris

aut

aut Catalogis, de quorum tempore & ætate certô conſtat. Quando de ætate nonniſi ex apparente vetuſtate aut forma caracterum judicium fertur, decidi quid non niſi circiter poteſt, facilíſque patet errori locus. Vel mediocriter eruditus nunquam manuſcriptum Sæculi XII. judicabit eſſe manuſcriptum Sæculi XIV. at inter Scripturam exeuntis Sæculi XIV. & medii Sæculi XV. tantam differentiam intercedere haud credo, ut vel unico ictu oculi decidi poſſit, cujusnam Sæculi ſit quoddam manuſcriptum. Eruditus P. Mabillon dum in ſua *Diplomatica* pro Manuſcripto Sæculi XIV. non ſolum illud Abbatiæ Gerardimontenſis, ſed & aliud D. Thevenoti, quod certò nonniſi Manuſcriptum Sæculi XV. eſt, cum poſt librum I. de Imitatione ibi reperiatur Tractatus de *paupertate*, *humilitate*, & *patientia*, aliàs dictus de *Tribus Tabernaculis*, cujus authorem eſſe Thomam Kempenſem ipſimet *Delfavius* & *Mabillonius* fatentur. Non igitur temeritatis & incredulitatis notam incurrit, qui renuit tam facilè & cæcô modô ſubſcribere judicio Eruditorum, quibus An. 1687. viſum eſt, Manuſcripta hæc Aronenſe & Bobienſe trecentis annis inferiora non eſſe. *Non videtur*, ſunt termini illorum cujusdam à *Dupino* relati, *Scriptura inferior annis trecentis.* Licitè itaque ſupponimus, illos ad quadraginta aut quinquaginta annos erraſſe, hæcque aliorum libri de Imitatione Manuſcriptorum, quæ nonniſi ad annum 1420. aſcendunt, Claſsi annumeramus.

En vix non omnia, quæ in medium hactenus allata ſunt, aut afferri poſſunt ad probandum, librum de Imitatione eſſe Thoma Kempenſi antiquiorem. Habet hic Lector, ex quibus judicium ferre poteſt, an unquam & præſertim in Diſſertatione Valartii ſolidè id probatum ſit.

QUÆSTIO II.

In quô Sæculô compoſitus fuerit Liber de Imitatione?

Quæſtio hæc cum antecedenti & ſubſequenti connexionem adeò neceſſariam habet, ut eidem multùm immorari ſuperfluum fo-

ret. Sat oſtendiſſe me credo, ſufficientem rationem aſſerendi, Librum de Imitatione compoſitum eſſe antè annum 1410. in medium afferri non poſſe. Spero me oſtenſurum, rationes darî, eásque ſolidas, quæ perſuadent, authorem libri de Imitatione eſſe Thomam Kempenſem, quod & concludendum. Optimum tamen erit examinare argumenta, quæ Valartius in ſecundo Diſſertationis ſuæ articulo adducit. Aſſerit in ejusdem articuli principio, librum de Imitatione debere eſſe ſcriptum non ineunte Sæculo XV. ſed Sæculo XIII. En, quî probet. Argumentum primum, quod affert, ita ſonat: *Si liber de Imitatione fuiſſet compoſitus Sæculo XIV. manuſcripta Sæculi ſequentis non ita erroribus referta eſſent, prout tamen referta ſunt omnia.* Argumentum hoc peſſime ſonat. Supponamus, librum de Imitatione fuiſſe compoſitum Sæculo XIV. nonne ſat ſpatii inter Sæculum XIV. & XV intercedit, ut errores potuerint multiplicari? immo plus dico, & apographa, præſertim manuſcripta facillimè corrumpi poſſe, & fere ſemper ex ipſorum ſurculo & radice, aſſevero. Hujus rei exempla ſi quis petat, infinita ſunt. Errores itaque qui manuſcriptis Sæculi XV. inſunt, non modo non probant, librum de Imitatione eſſe Sæculi XIII. Sed nequidem probant, illum eſſe Sæculi XIV.

Altera, quam affert, ratio eſt, quod *manuſcripta Sæculi XIV. ſint rariſſima, cùm tamen manuſcripta Sæculi XV., ſi comparentur, ſint communia.* Latet quid in hoc ratiocinio, non tam facile detegendum Manuſcripta Sæculi XIV. ſunt rara; ergo liber eſt Sæculi XIII. Neceſſitas certè conſequentiæ, quam vel ipſe Valartius palpaverit. Cæterùm abſolutè nego, vel unicum hactenus manuſcriptum Sæculi XIV. productum eſſe, in quô continetur liber de Imitatione.

En tibi, inquit Eruditus Criticus, *argumentum, idque meum, omni exceptione majus.* Leguntur in quadam verſione Gallicâ factâ ex verſione Germanicâ per quemdam Presbyterum Diœceſis Metenſis, & impreſsâ apud Martinum Kayſer Antverpiæ ann. 1530. hæc verba deciſiva: „Author hujus verſionis Germanicæ fuit, prout ex viris doctis

„ doctis, iisque in hac arte peculiariter exercitatis accepi, perſona non „ docta minus quam devota, ex Ord. Carthuſienſ., nomine Ludolphus „ Saxo, à cujus morte jam centum circiter & ſexaginta anni abiere.„ Hac ſuper re, en! quomodò ratiocinetur Valartius: *Si doctus hic Carthuſienſis*, inquit, *libri de Imitatione interpres, jam eſt mortuus antè annum* 1380. *quocunque demum anno abſolverit ſuam verſionem, certè abſolvit ante nativitatem Thomæ Kempenſis utpote qui natus eſt anno* 1380. Conſequentia ratiocinii hujus omninò in forma eſt; nec jam quid deeſt ad hoc, *ut ſit argumentum ſine replica & omnì exceptione majus*, quàm certitudo facti; nempè quòd verſio abſoluta fuerit per Carthuſienſem quemdam Germanum ante annum 1380. Mirabitur forſan Valartius, quòd dubium de hoc movere quis audeat, *cùm Presbyter Diœceſis Metenſis ſe id à viris doctis, iisque in ejusmodi genere exercitatis accepiſſe aſſeveret.* Nos tamen haud adeo cred·li ſumus, ſed in dubio perſiſtimus, rogamúsque Valartium, ut argumentum hoc ex numero *argumentorum omni exceptione majorum* expungere velit; miramúrque, meliori tamen jure, quod tanta fiducia concludere audeat: *Ergo quiſque agnoſcit librum de Imitatione eſſe compoſitum ante annum* 1330.

Si locus ille, *ait humilis Franciſcus*, qui juxta Valartium demonſtrativè probat, authorem libri de Imitatione noviſſe S. Franciſcum, non eſſet; forſitan tentaſſet opus hoc pro opere ſæculi XII. vendere; in favorem tamen hujus notitiæ ultrà ac ad tempus Patriarchæ Franciſcanorum, qui obiit anno 1226. elevare non poteſt. Fatendum planè, Valartio haud adeo difficile eſſe, argumenta invenire & hypotheſes, id quod clarius videre licebit in Quæſtione ſequenti.

QUÆSTIO III.

Quis ſit author libri de Imitatione?

Turbaretur forſitan Valartius, ſiquis cum eo pauliſper de omnibus, quæ in duobus articulis præcedentibus probare contendit, con-

ferret, dicerétque, easdem rationes evincere, authorem libri de Imitatione non poſſe eſſe Joannem Gerſen.

Ratiocinari cum eo ſic quiſpiam poſſet: Juxta Te, Valarti, liber de Imitatione fuit ſcriptus ſæculo XIII. per Abbatem quemdam Vercellenſem, contemporaneum S. Franciſco Aſſiſienſi, qui etiam erat S. Antonii Patavini in Theologia Magiſter, cui inter alia expoſuit libros, qui S. Dionyſii Areopagitæ eſſe prætenduntur. Sed ille Abbas Vercellenſis, qui floruit tempore S. Franciſci, quique fuit Magiſter S. Antonii de Padua, non erat Joannes Gerſen; ergò Joannes Gerſen non eſt author libri de Imitatione. Argumentum, ùt credo, eſt in forma: Major eſt Tua ipſius Propoſitio: itaque non niſi minor probanda venit; quod habe: Juxta Hiſtoriographos Ordinis Fratrum Minorum, & juxta Lucam Wadingum, quem citas, Abbas Vercellenſis, Magiſter D. Antonii Patavini, erat Abbas ad S. Andream Vercellis; *Voluit* (S. Franciſcus) *ut ſub Abbate Vercellenſi apud Sanctum Andream* (*Ordinis tunc Sancti Benedicti,* (a) *ut, ejus inſtituti viri, contendunt: ſive Canonicorum Regularium Sancti Auguſtini, ut ipſi decertant, & quorum modo eſt habitatio*) *viro doctiſſimo, myſticam audiret Theologiam.* En! quàm clarè. Idipſum & alius Chronographus, citatus à Penotto aſſerit: *Illum Vercellas ad ſtudia una cum ſocio nomine F. Adamo de Mariſco Anglo miſit ad Abbatem S. Andreæ clariſſimum illorum temporum Theologum.* Sed tempore S. Franciſci & S, Antonii Patavini non fuit ad S. Andream Vercellis Abbas, nomine Joannes Gerſen. En, quæ de Abbatia S. Andreæ diſſe-

Annal. Ord. FF. Min. T. II. pag. 48. ed. 1732.

Hiſt. tripart. lib. 3. c. 55.

(a) Benedictini absque ullo fundamento contendunt Abbatiam S. Andreæ Vercellenſis fuiſſe aliquando Ordinis S. Benedicti. Hanc enim Abbatiam ab origine ſua fuiſſe Canonicorum Regularium, præter *Italiam Sacram* à nobis ſtatim citandam, & *Galliam Chriſtianam*, dum agit de Abbatia S. Victoris, evidenter ipſa Bulla fundationis Gregorii IX. 1227. demonſtrat. En ipſius formalia: *Inprimis ſtatuentes, ut Ordo Canonicus, qui ſecundum Deum & Beati Auguſtini regulam in Eccleſia veſtra inſtitutus eſſe dignoſcitur perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter obſervetur.* Abbatia S. Andreæ Vercellenſis ad Annum uſque 1470. ab Abbatia S. Victoris dependebat. Vid. *Caſimir. Oudin.* de Script. Eccleſ. Tom. III. pag. 9. *Pennot.* Hiſt. tripart. lib. 3. c. 28. pag. 674.

differat *Ferdinandus Ugghellus*, Abbas Ordinis Ciſtercienſium, author libri, cui titulus: *Italia Sacra*, Tom. IV. pag. 783. „ Guala „ Cardinalis ille eſt, qui - - - anno 1220. (a) nobile Monaſterium „ Eccleſiámque Sancti Andreæ Vercellis fundavit, atque ampliſſimis facultatibus auctum, cultúque eccleſiaſtico exornatum, Reliquiis SS. munitum, Canonicis Regularibus attribuit. - - *Primus* „ *hujus Cœnobii Abbas fuit Thomas Doctor Pariſienſis inſignis*, *ex Canonico* S. *Victoris ad hanc dignitatem vocatus à Guala*; qui plura ingenii ſui monumenta reliquit, teſte Poſſevino, obiitque an. 1226. „ (b) Jacet in Eccleſia cum Statua marmorea & Epitaphio:

„ *Bis ter* (c) *viginti currebant mille ducenti*
„ *Anni*, *cùm Thomas obiit venerabilis Abbas*
„ *Primitus iſtius Templi*, *ſummèque peritus*
„ *Artibus in cunctis liberalibus*, *atque Magiſter*
„ *In Hierarchia*, *nunc arca clauditur iſta*
„ *Quem celebri fama vegetavit Pagina Sacra.*
„ Poſt hunc alius Thomas Abbas fuit &c.

Longior nonnihil locus hic eſt, attamen magni momenti. 1. Juxta Wadingum S. Antonius de Padua fuit Vercellas miſſus anno 1222.

 Jam

(a) Cùm Ugghellus Abbatiam S. Andreæ Vercellenſis anno 1220. fundatam eſſe ſcribit, concordat quidem cum Pennotto, ſed non cum Hiſtoriographis San-Victorinis, utpote qui Thomam primum anno 1225. Vercellas, ut primus ibi Abbas eſſet, miſſum aſſerunt. In hoc tamen puncto Itali ſequendi videntur. Si Abbatia hæc primum fundata eſſet anno 1226. S. Franciſcus Diſcipulum ſuum illuc mittere haud potuiſſet, eo quod anno 1226. diem ſupremum obierit S. Franciſcus. Sic teſtimonium FF. Minorum confirmat Sententiam Pennoti & Ugghelli.

(b) Ugghellus manifeſtè fallitur & errat, dum obitum Thomæ refert ad annum 1226. Thomas enim primum anno 1246. obiit prout evincit verus verborum iſtorum Epitaphii: *Bis tres viginti*, ſenſus: ex numero enim 23. bis ſumpto exurgit productum 46. Sic que verba hæc etiam intellexit Joannes à Toloſa Canonicus S. Victoris, author Chronici manuſcripti hujus Abbatiæ, citatus ab Oudino, *ubi ſupra*, pag. 10. Obitus Thomæ Abbatis in Necrologio S. Victorino ad diem 5. Decembris his verbis notatur. *Obiit Dominus Thomas Abbas Vercellenſis Canonicus noſter profeſſus.* Ad hæc quomodo de Antonio Diſcipulo ſuo, tanquam ſancto loqui potuiſſet, ſi jam A. 1226. obiiſſet?

(c) In eodem hoc Epitaphio, prout refertur à Pennoto, habetur, *bis tres viginti.*

Jam vero Thomas Abbatiam S. Andreæ adminiſtrabat ab anno 1220. uſque ad annum 1246. ergo Thomas fuit Magiſter S. Antonii de Padua. 2. Thomas hic erat inſignis Doctor Pariſienſis, & id ipſum erat, quod S. Franciſcum movit, ut eundem chariſſimi ſui diſcipuli Antonii Magiſtrum eligeret (a) 3. Thomas erat ſummè peritus, præſertim in Hierarchia, *Magiſter in Hierarchia.* Sed Hierarchia præciſè eſt, cui ſtuduit S. Antonius de Padua, ùt expreſsè aſſerit Lucas Wadingus in loco à Valartio citatô. Abſolutè itaque indubitatum eſt, Abbatem Vercellenſem, cujus S. Antonius fuit diſcipulus, nominatum fuiſſe Thomam, & non Joannem Gerſenem. Ergo ſi Magiſter S. Antonii eſt author Libri de Imitatione, Joannes Gerſen omnino cauſa ſua cecidit.

Vanum hic eſſet appellare ad manuſcripta, quæ librum de Imitatione Joanni Gerſen attribuunt. Manuſcripta hæc, reſponderem ego, æquè errant, ac Manuſcripta, quæ eundem Cancellario Gerſen & Thomæ Kempenſi attribuunt. Manuſcripta hæc enim non ſunt illius, qua vixit S. Franciſcus, ætatis. Si actu illis quadringentos ætatis annos addas, adhuc opportebit addere centum & triginta circiter, & tamen vix erunt contemporanea libro de Imitatione. Et in hoc temporis intervallo vera periit de authore hujus libri Traditio.

Evidens eſt, duo illa, quæ Valartius adducit, quorúmque primum eſt, librum de Imitatione eſſe opus Abbatis Vercellenſis, Magiſtri S. Antonii de Padua; alterum, Abbatem illum vocari Joannem Gerſen, ſtare ſimul non poſſe, & ſaltem unum amandandum eſſe. Me, qui circa duo hæc indifferens ſum, quod attinet, ſuaderem potiùs, ut amandet & dimittat Joan. Gerſen. 1. Primo enim non adeò tunc multa forent retractanda in reſiduo Diſſertationis; nec quod

(a) Non ideo præciſe, ut devotio profundiores radices ageret, prout ſentire videtur Valartius, ſed juxta Lucam Wadingum ideo, *ut ſolidiùs & graviori fundamento gratiam prædicandi exerceret.* Cæterum haud abs re Valartius potius inſiſtit Abb Vercell. pietati, quam Eruditioni; Revera enim opus de Imitatione non ſapit Authorem Theologum ſæculi XIII. in explicanda præſertim Dionyſii Areopagitæ Theologia occupatum.

quod alterum eſt, homo ſine conſequentia titularetur. Et quis denique, miſſis his omnibus, eſt ille Joannes Gerſen? Eſt fortè, eum qui novit, aut cujùs fortuna & commodum à commodo & fortuna illius dependeat? Benedictini aliquo modo ex charitate eum ſibi adſciverunt. E fundamento enim ſi res conſideretur, non minus incertum eſt, illum fuiſſe Ordinis S. Benedicti, ac incertum eſt, illum fuiſſe Abbatem Vercellenſem.

Liceat mihi, obſecro PP. Congregationis S. Mauri, pauliſper hìc digredi. Dico itaque primò, non eſſe certum, Joannem Gerſen fuiſſe Abbatem Benedictinum. Ex omnibus, quæ in ejus favorem adducta ſunt, manuſcriptis nec unicum eſt, quod hanc illi qualitatem attribuat. Aut enim vocatur ſimpliciter Joannes Gerſen; aut Abbas Gerſen, nunquam verô Abbas Gerſen Ordinis Sancti Benedicti. Nec eſt niſi *Codex Cavenſis*, ex quo concludi poſſe credebatur, authorem libri de Imitatione fuiſſe Benedictinum, eoquod in littera prima Q ſpectandus veniret Monachus niger, crucem intra brachia tenens. Verum 1. manuſcriptum hoc non præſefert nomen Joannis Gerſen; hinc alius per hoc deſignari Monachus potuit, quàm Joannes Gerſen. 2. Figura hæc, ſi modo non omnem eidem æſtimationem denegare voluerimus, aliud non probat, quam manuſcriptum hoc aliquando pertinuiſſe ad Benedictinos, aut fuiſſe ab aliquo Ordinis hujus Religioſo deſcriptum, illuminatúmque D. Conſtantinus Cajetanus, (a) qui primus Joanni Gerſen vindicias dixit, omnium ſe riſui expoſuit, vitæ Gerſenis apponendo hanc figuram, ac ſi vera eſſet, & ipſiſſima Gerſenis imago.

Si ſemel conſtaret, cujus Abbatiæ Abbas fuerit Joannes Gerſen, conſtaret quoque, cujus Ordinis fuiſſet. Sed hoc eſt quid valdè incertum. Manuſcripta antiqua, quæ eidem attribuunt qualitatem Ab-

(a) Erat Abbas Benedictinus, Congregationis Caſſinenſis. Omnia pro gloria Ordinis ſui tentare paratus erat, & tentavit. *Vir in extollendo Ordine ſuo immodicus*, ut ait *Dupinus*. Aliter, multóque durius eum excipit & depingit *P. Petau* in quadam Epiſtola de 9. Mart. 1652. Malè in Bibliotheca Critica, *M. Simon* T. I. p. 25. appellatur Abbas Cartau qui error tamen non irrepſit in Manu ſcriptum *Molineti*.

Abbatis locum ùbi fuerit Abbas, non determinant. Reperitur quidem verum eſt, ad finem cujusdam libri impreſſi Venetiis A. 1501. in quo liber de Imitatione attribuebatur Joanni Gerſoni Cancellario Pariſienſi, hæc nota à manu quadam ſcripta: *Hunc librum non compilavit Johannes Gerſon, ſed D. Johannes - - - - - - Abbas Vercellenſis - - - - - - ut habetur uſque hodie, propria manu ſcriptus in eadem Abbatia.* Præterquàm quod nota hæc ſit admodùm recens, neſciatúrque illius author, de quo dubium eſt, utrùm ille magis ac typographus librum attribuendo Gerſoni erraverir, nota hæc ſemper fuit valdè ſuſpecta. *Gabriel Naudæus* judicavit Anno 1641. eam corruptam, ac aſſeverat, loco *Johannes* prius poſitum fuiſſe *Thomas*, hujuſque rei ſat diſtincta adhuc apparere veſtigia; vel ipſis Benedictinis haud expediens fore viſum eſt, illud ſubjicere Criticorum Pariſienſium judicio, prout alia ſubjecerant, ejusdem criminis ab illo condemnata. Nota hæc, utut brevis ſit, lacunas tamen habet, per puncta à me annotatas, quas & indicare Valartii fuiſſet. En, quisnam de hoc Delfavio fuerit ſenſus: *Quod non ſine animi dolore meminiſſe poſſum, ea inſcriptio unde - unde vim paſſa eſt. Inprimis enim aliquid interſcriptum apparet in voce Johannes. Tùm quod ſtatim ſequebatur abraſum eſt, denique poſt verba: Abbas Vercellenſis, expunctum eſt nonnihil: reliqua integra ſunt.* An ejusmodi inſcriptioni ſuperſtrui fundamentum poteſt? Dein etſi eſſet Joannes Abbas Vercellenſis, an exinde ſequeretur, eum appellari Gerſen? nonne alius eſſe Joannes potuit? e. g. *Joannes de Canabaco*, cujus nomen aliud manuſcriptum præſefert, cujuſque cum Joanne Gerſen identitatem omninò gratis aſſeri defendo? Quidquid ſit, ſupponamus Joannem Gerſen, Abbatem Vercellenſem; nondum tamen exinde liquet, cujusnam ordinis fuerit: plures etenim Vercellis Abbatiæ numerantur. Delfavius propria ſua authoritate eum cudit & creat Abbatem Vercellenſem S. Stephani. At quomodo probat? Silendo. Immò nec probari poſſe *Dupinus*, qui quæſtionem hanc nulli parti addictus examinavit in Editione Operum Gerſonis aſſerit: *Faten-*

Lib. de Imit. Joa. Gerſen iteratò aſſer. p. 92.

Gerſoniana L. III. p. LXXXII. *Fatendum eſt*, inquit, *nullo argumento aut teſte probari poſſe Joannem Gerſenium Abbatem fuiſſe Sancti Stephani Vercellenſis.* Datò etiam gratis, quod Joannes Gerſen fuerit Abbas S. Andreæ Vercellenſis; eo ipſo eſſet Canonicus Regularis non Benedictinus. Prætenſio enim Benedictinorum, qui Abbatiam hanc aliquando poſſediſſe ſe credunt, nulli innititur fundamento. Concedendum ergo tandem erit, non conſtare, quis fuerit, cujus ordinis fuerit, quo tempore vixerit Joannes Gerſen; verbô, nihil, niſi fortè, quod fuerit aliquis Joannes Gerſen Abbas, cui quidam circa ſæculum XV. attribuerunt librum de Imitatione. Si ergo adhuc Valartio animus eſt defendere, librum de Imitatione fuiſſe compoſitum ab Abbate Vercellenſi, Magiſtro S. Antonii Patavini, optimum faciet, ſi amandet Joannem Gerſen; nec habet, cur timeat, quemquam fore, id qui ægrè ferat.

Cum nemine, ùt declaravi, niſi cum Abbate Valartio cùm mihi res ſit, finire Diſſertationem meam licebit, poſtquam ſufficienter, ut credo, oſtendi, doctum hunc Abbatem manifeſtè ſibi contradixiſſe, magiſque nocuiſſe Gerſenio, cujus tamen partes tueri aggreſſus eſt, quam contra ipſum deciderant Frontæi, (a) Tetelleti, Amortii, Roſweydi (b) Heſeri, aliique Canonici Regulares, aut Jeſuitæ. At promiſi me breviter expoſiturum, in quonam fundetur jus Thomæ Kempenſis, cúrque eundem Canonici Regulares Joanni Gerſen præferant.

(a) *Joannes Fronto, Petrus Lallemant,* & *Philibertus Tetelletus* ſibi invicem ſucceſſerunt in dignitate Cancellarii ad S. Genovefam, & Univerſitatis Pariſienſis. Omnes tres, primus præſertim & tertius in favorem Thomæ Kempenſis ſcripſerunt; idipſum fecerunt & alii Canonici Regulares Galliæ, ut Nicolaus Deſnos, Gabriel de Boiſſi, Anſelmus Pariſienſis, Claudius Molinet &c. D. Amort eſt doctus Canonicus Regularis Canoniæ Pollinganæ in Bavaria. Multa opera Theologica, de jure Canonico, de S. Scriptura compoſuit, eáque præclara inter alia etiam edidit Tractatum in 12. cui titulus: *Plena ac ſuccincta informatio de Statu totius Controverſiæ de authore libelli de Imitatione Chriſti.*

(b) Heribertus Roſvveydus & Georgius Heſerus docti Jeſuitæ multum laborarunt pro Thoma Kempenſi. Fuitque Roſvveydus primus, qui Thomæ vindicias dixit. Plures ejuſdem ſocietatis viri graves ex eadem Kempenſis parte ſteterunt. In Bibliotheca noſtra San-Genovefana aſſervamus originale litterarum P. Petau, egregii Thomæ vindicis, ſicut & aſſervamus litteras originales P. Theophili Raynaudi. P. Sirmondus tamen non ejuſdem omninò erat Sententiæ.

Sunt quædam, ut diffitendum haud eſt, quæ pro Gerſene militant, argumenta. Quinque ſaltem manuſcripta ſunt, quæ eidem librum de Imitatione attribuunt, ùt Aronenſe, Bobienſe, Padolironenſe, Sluſianum & Parmenſe, nota ſunt; non recenſendo hìc Manuſcripta Salzburgenſe, in quo author per has litteras, *Joh. Gerſ.* notatur, cùm veroſimile ſit Joannem Gerſonem indicari; *Cavenſe*, quod authore caret, & illud *Allatianum*, ubi author vocatur Joannes de *Canabaco*, quia, ut ſupra dixi, probatum nondum eſt, Joannem de Canabaco eundem eſſe cum Joanne Gerſen. Omnia ergo pro Gerſene argumenta ad quinque illa, de quibus ſupra, manuſcripta reducuntur. Et ex his nonniſi unicum, ſcilicet Parmenſe, certum Datum habet, A. 1466. Reliqua ejuſdem ætatis, aut ſicui placet, eſſe poſſunt etiam paulò antiquiora. Sluſianum eſt paulò recentius; anno enim 1674. ducentorum annorum eſſe judicabatur. At nunquam probabitur, ea ad tempus Thomæ Kempenſis aſcendere, aut omnino ſuperare.

Ex his itaque manuſcriptis nonniſi hoc colligere datur, quod ſæculo XV. & illo, quo Thomas K. vixit, tempore, in quibusdam locis, præſertim in Italia, non conſtiterit, pium hunc Canonicum eſſe authorem libri de Imitatione, qui idcirco diverſis perſonis pietate inſignibus attribuebatur, præſertim venerabili Abbati, cui nomen Gerſen, aut Geſen, aut Geſſen, prout hiſce nominibus compellatur. (a) Cæterùm ante inventionem Codicis Aronenſis nemo erat, qui de eo locutus eſſet. Primi Editores libri de Imitatione, inventa typographia, ejuſdem notionem non habuerunt; & nonniſi anno 1616. in fronte libri de Imitatione apparuit.

Pro

(a) Singulari fidelitate de his manuſcriptis diſcurrit Valartius, Aliqua Manuſcripta dicunt, Joannem Gerſen eſſe authorem libri de Imitatione. Aliquod vocat eum Abbatem. Nota quædam cuidam Codici impreſſo per ignotum quempiam adjecta, dicit eum Abbatem Vercellenſem. *En ergo*, ait, *tria ex hoc evidentia, quæ inde eruuntur.* 1. *Nomen Authoris, Joannes Gerſen*, 2. *Ejus qualitas, Joannes Gerſen, Abbas.* 3. *Nomen Abbatiæ, Joannes Gerſen, Abbas Vercellenſis.* Cur non dicis etiam Vercellas eſſe Abbatiam? Nunquid injuriam feci Valartio, dum dixi, eidem difficile adeo haud eſſe, invenire argumenta ac hypotheſes?

Pro Thoma Kempenſi militant omnia ea & habentur, quæ ad librum quemdam legitimo ſuo authori adjudicandum & requiruntur, & abundè ſufficiunt. Ut enim nihil loquar de conformitate ſtyli cum aliis indubitatis ejus operibus, de phraſibus Flandricis, de ſimilitudine conceptuum, in aliis ejusdèm aut Canonicorum Regularium Confratrum illius & Commenſalium operibus reperibilium; adſunt Manuſcripta, teſtimonia authorum coævorum, Editiones antiquæ; quæ planè eum authorem eſſe libri de Imitatione demonſtrant. Dico ergo 1. pro Thoma Kempenſi ſtare plura manuſcripta. Præter Antwerpienſe & Lovanienſe, ex quibus ſi non colligitur, Thomam Kempenſem authorem eſſe libri de Imitatione, ſaltem colligitur cauſa, cur eundem cum aliis ſuis operibus pius hic Canonicus Regularis commiſcere voluerit, Canonici Regulares undecim anno 1681. produxerunt, quæ omnia à peritis Criticis in Palatio Archiepiſcopali ob hanc cauſam congregatis, coram D. Harlai declarata ſunt authentica; inter quæ manuſcripta quoddam eſt de anno 1447. (a) aliorum potior pars eſt de ſæculo XV. plura quoque illorum habentur, quæ Thoma adhuc in vivis exiſtente ſcripta ſunt, qui mortuus eſt anno 1471. In eodem concilio producebantur etiam teſtimonia omni exceptione majora de exiſtentia decem aut duodecim aliorum manuſcriptorum, quæ illuc afferri non poterant.

(a) Manuſcriptum hoc eſt Cartuſiæ Colonienſis. In fronte apparet Catalogus ſive Index Operum in eo contentorum. Et inter alia: *Item quædam opuſcula cujusdam devoti Regularis (cujus nomen eſt Thomas Kempis Conventus prope Swollis) 1. De Sacramento Altaris &c.* Eruditi, qui examinarunt hoc Manuſcriptum, non convenerunt in eo, utrum verba hæc. *Cujus nomen eſt Thomas Kempis;* ſint ejusdem manus, ac reſidua, quamvis in hoc conveniant, quod Scriptura ſit valde antiqua, id quod expreſsè in Actis, ſeu proceſſu verbali notatum eſt: *Quæ uncis incluſa ſunt, ea ſunt in margine alia manu addita, ſed antiqua.* Et de hoc loquitur Dom. Vincentius Thuillier. *Oper. poſthum. Mab.* T. I p. 45 Cæterùm hæc verba: *Opuſcula cujusdam devoti Regularis,* certè juxta ſtylum illorum temporum indigitant Canonicum Regularem. Sed nulli Canonicorum Regularium opus hoc, quàm Thomæ, fuit aſſertum. Acta ſubſignarunt F. Archiepiſcopus Pariſienſis A. Faure, Baluzius, J. Garnier. F. N. Alexander Ord. Præd. Du Frene, de Vion, Cotellier, J. Hardouin, & G. Du Bois Congr. Oratorii Presbyter,

2. Jus Thomæ Kempenſis fundatur etiam in teſtimonio authorum coævorum. Nihil hic diſputando de loco Buſchii Authoris Chronici Windeſemenſis, de quo, licet immeritò, controvertitur, in horum claſſem admittendus eſt author vitæ Kempiſianæ, ita, ùt ab illis, qui cum Thoma vixerant, acceperat ſcriptæ; *Mauburnus* Abbas Livriacenſis, qui in eadem cum Thoma K. domo morabatur; *Philippus Bèrgomenſis*, *Petrus Schottus*, in editione Operum Gerſonis impreſſis Argentorati A. 1688. cum pluribus aliis.

3. Editiones antiquæ à potiori favent Thomæ K. Nulli enim niſi Thomæ & Joanni Gerſon, non verò Joanni Gerſen favent. Prima eſt Zeintheri, qui mortuus eſt anno 1475. Alia de Anno 1487. Alia de A. 1489. Memini ſupra Verſionis Gallicæ impreſſæ Pariſiis 1493. Eſt & alia Nierenbergenſis de A. 1494. Fateor, capere me haud poſſe, quo fundamento nixus *Vincentius Thullierius* aſſerere potuerit, Jodocum Badium Aſcenſium primum fuiſſe, cui in mentem veniſſet, hunc Thomæ K. tanquam populari ſuo honorem deferre; cùm omnes, quarum memini, Editiones Editionem Badii de Anno 1523. ſollicitantibus & urgentibus Benedictinis S. Germani de Pratô, Carthuſienſibûs & Cœleſtinîs factam præcedant.

En ſatis, ut mihi videtur, pro Thoma Kempenſi Argumentorum. Si hæc omnia non invincibiliter demonſtrent, Thomam eſſe authorem libri de Imitatione, ſaltem concedi debet, jus Thomæ, quàm Joannis Gerſen, pro quô nonniſi quorundam Copiſtarum authoritas, abſque ullo teſtimonio antiquo, ſtat, multò melius eſſe.

Gravem contra Thomam K. objectionem non legi; niſi hanc fortè ex pluribus libri de Imitatione locis apparere, authorem fuiſſe monachum, cùm tamen certum ſit, Thomam K. non fuiſſe monachum.

Ad hanc objectionem reſpondeo; nomen monachi in illis locis ſumendum eſſe in ſenſu latiore, proùt indigitat Religioſum, qui vi Profeſſionis ſuæ ad plura ſeſe cum Monachis ſimilia obligavit, multáque cum illis communia habet. Thomas Kemp. & illius tunc temporis confratres veri bonſque erant Canonici Regulares, tam ſtrictè

tamen

tamen ad diſcrimen, quod Canonicum Reg. inter & Monachum intercedit, non attendebant. Certum eſt, quod in operibus indubitatò ſuis qualitatem monachi ſibi attribuiſſe videantur. *Monache*, inquit T. K. in undecimo ſuorum opuſculorum, *ad quid veniſti? Quare mundum reliquiſti? Cur mappam iſtam induiſti.* Eodem modo quoque loquitur *Joannes de Huesden*, Superior generalis Can. Reg Windeſem. Exactas non eſſe ejusmodi expreſſiones optimè novimus; iisdem tamen Canonicos hos uſos eſſe certum eſt; hinc & illa, quæ in libro de Imit. Monachiſmum ſapiunt nos non impediunt, quominùs eundem Thomæ K. adjudicemus.

Diſſertationi ſuæ adjecit Valartius quædam loca *extracta ex libro de Imit. ex quibus extrahi quædam*, ut ait, *lumina authorem concernentia poſſunt.* Loca hæc & conſequentiæ, quas exindè deducit, materia brevis Commentarii eſſe poterunt. Aggredior jam illud, ex quo Valartius concludere vult, authorem fuiſſe Benedictinum. *O quantus fervor omnium Religioſorum in principio ſuæ ſanctæ inſtitutionis fuit! ---- Quanta æmulatio virtutis! Quàm magna diſciplina viguit! Quanta reverentia & obedientia ſub regula Magiſtri in omnibus efflorait! Conſtat*, ait author noſter, *per verba hæc, Regula Magiſtri, deſignari Regulam S. Benedicti.* Lubens fateor, ignorare me, utrùm Regula S. Bened. unquam appellata fuerit ſimpliciter, & ſine addito, *Regula Magiſtri*: poterit eſſe; hoc tamen perbene ſcio, authorem libri de Imit. id non intendiſſe. Reverà enim loquitur de omnibus Religioſis, *Omnium Religioſorum*, qui in principio ſuæ inſtitutionis cum magno fervore vixerant, ſuique legislatoris Regulam exactiſſimè obſervarunt. An ergo intendit dicere, omnes Religioſos in principio ſecutos eſſe Regulam S. Benedicti? en abſurditatem!

Finio jam Diſſertationem meam, ac fieri volebam, longiorem. Suam adeò exactè diſcuſſum iri vix crediidiſſet Valartius. Unum, quod Valartium rogo eſt, ut neutiquam, me ex mala quadam erga ipſum affectione ſtrinxiſſe calamum credat. Qui enim male affici erga eum poſſemus, qui in Diſſertationis ſuæ limite ſe nos ſemper amaſſe proteſtatur. Proteſtor & ego, me eum ut amicum amice diligere, plurimique & perſonam & perſonæ talenta æſtimare, venerarique.

PARS VII.

CATALOGI
MANUSCRIPTORUM CODICUM DE IMITATIONE CHRISTI.

§. 245.

Catalogus MS. Codicum, qui aſſervatur apud Carthuſianos Germaniæ. Hujusmodi in Carthuſia Gemnicenſi ſunt 11. vel 12. ex his ſequentes placuit adducere.

I. Codex in 4. n. 3. continens librum primum, in cujus fine additur. *Explicit Tractatus de reformatione hominis finitus Sabbatina in die S. Joan. B. per Magiſtrum Johannem Lang de Pruna A.* 1452. Joannes Lang in Gemnico profeſſus 1455. † 1501.

II. Codex in 4. n. 56. continens librum 4. ſub hôc titulô: Incipit 4ta pars libri qui intitulatur de Imitatione Chriſti. Explicit in vigilia S. Laurentii 1457. in hoc libro ſunt 21. Capita.

III. Codex in 8. n. 58. continens 4. libros de Imitatione ſub hoc titulo: Sequuntur Tractatus de Imitatione Chriſti, qui ſunt quatuor, editi ab egregio Doctore B. Bonaventura de Balneo regio S. R. E. Card. primus tractatus eſt de Imitatione Chriſti. NB. in 4ta parte terminatur liber 4tus de Imitatione Chriſti finitus A. D. 1470. in conventu in nova cella buxue. Mox eadem manu ſubjungitur. Item incipit liber de Doctrina interioris hominis ad animam contemplandam, Bonaventuræ Cardinalis, qui Bonaventura Cardinalis etiam dicitur compoſuiſſe præcedentes 4tuor tractatus de Imitatione Chriſti, ut inveni in exemplari.

IV. Codex in 8. n. 17. continens ex quatuor primum. &

V. Codex in 8. n. 16. continens ſecundum, qui antiquiores ſint anno 1443 (licet quo annô ſcripti ſint, in codicibus non reperiatur) mihi quidem certum eſt ex obitibus D. *Chriſtiani à Layming*, & D. *Friderici*, quorum manus ſive Character in iisdem appa-

apparet. Obiit Chriſtianus (qui A. 1415. erat Prior in Aquisbach) anno 1442. die 5. Julii. at Fridericus, qui ab anno 1430. usque ad obitum fuit Prior in Gemnico, antea etiam per octo circiter annos Prior vallis jocoſæ in Carniola, obiit anno 1443. die 28. Januarii. Idem Fridericus in ſermone quodam ad Fratres prolixum ſubjungit textum ex libro primo de Imitatione Chriſti, ſed tacito Authoris nomine.

VI. Codex in 8. n. 11. continens duos primos ex illis quatuor, quorum titulus ſequens eſt ſcriptus minio. Sequitur quidam tractatulus de Imitatione Chriſti, & de contemptu vanitatum nedum contriſtantium, ſed & conſolantium, in Seculo hujus mundi, editus per quemdam Carthuſianum in Reno. additur in fine libri ſecundi etiam minio. Finis hujus Opuſculi 14. Kalendas Martii anno D. &c. 39°.

Reliqui Sex quos in Gemnico habemus, Codices anno, titulo, & nomine Authoris carent.

In Carthuſia Aquisbacenſi reperiuntur 4. MS. Codices de hac materia, ex his unus duos ex quatuor continet primos, ſed ſine nomine & anno, ut mihi ſcribitur. Alter itidem duos primos ſub hoc titulo: incipit Tractatus de Imitatione D. N. I. C. & de contemptu mundi editus per quemdam Cartuſienſem in Reno. 3tius non niſi primum continet ſine nomine Authoris. Colligitur tamen ſcriptus anno 1438. ex eo, quòd tractatus hunc immediatè præcedens & huic in ſcriptura ſimillimus hunc annum habeat adjunctum. 4tus Codex omnes quatuor habet ſub hoc titulo: incipit Tractatus de Imitatione Chriſti, & contemptu mundi editus per quemdam Cartuſienſem in Reno multùm ædificatorius pro ſalute animæ.

Ex Carthuſia Olomucenſi olim quatuor habui MSS. Codices, inter quos duo Carthuſienſi in Rheno adſcripti titulum retinuerunt illæſum. Verùm in duobus aliis nomen Authoris à propria manu ſcriptum minio eſt obductum & ſupra obductionem additum *per Canonicum Regularem*, ita tamen ut veſtigia *in Rheno* appareant.

Extra-

Extractus.

Ex Epiſtola ad me data anno 1724. à quodam Cartuſiano profeſſo Cartuſiæ in Aſtheim in Franconia.

Satisfacturus ſollicitudini veſtræ comparticipo extractum quemdam ex operibus D. *Mabilion* hiſtoriographi Gallici, qui ſic ait: in Manuſcripto quodam, quod cernitur in Bibliotheca Cartuſiæ Parci provincia du Maine plures reperiuntur tractatus aſcetici varii characteris. Hos inter eſt liber primus de Imitatione Jeſu, ad cujus calcem hæc legi verba: Explicit liber Dei, qui nuncupatur, *Qui ſequitur me*, quem compoſuit religioſus quidam Ordinis Carthuſienſis pro omnibus religioſis & presbiteris Deo devotis. &c. cernitur quoque in Cartuſia Capellæ in Flandria Manuſcriptum conſtans ex variis tractatibus compoſitis à *D. Henrico Calkar* profeſſo domus Coloniæ, Doctore olim Pariſienſe, qui obiit anno 1408. inter cujus Manuſcripta inventi ſunt tres libri de Imitatione Chriſti, ſub nomine cujusdam Cartuſiani, ſuppreſſo tamen nomine proprio. Hæc ille, in quo tractatu hæc referat Mabillonius, me latet. Ita Carthuſianus in ſua Epiſtola. Errat tamen, & fortè Studiosè errat Mabillonius, dum mortem Henrici Calkar adſcribit ad annum 1408. Legendum enim, prout *Gundlingius* in ſua *Bibliotheca Litteraria* num. 2194. legi poſſe & debere obſervat, anno 1448. *Mabillonius* Signum numericum 8. in Manuſcriptis Germaniæ uſitatiſſimum pro nullione ſumpſerit. *Henricum Kalkar* obiiſſe anno 1448. certum eſt ex Swertio apud Oudinum *V. Henricus Kalkar*, & *Bibliotheca Belgica Franciſci Foppens*, in qua inter alia hæc pag. 451. habentur: *Henricus Kalkarienſis*, *cognomento Æger — obiit octogenarius Coloniæ, in Cartuſia, anno* 1448. *die* 20. *Decembris*. (a)

In

(a) Plures ejusdem *Henrici Kalkar* Epiſtolæ ad amicos, & amicorum ad ipſum aſſervantur Manuſcriptæ in Bibliotheca Sacri Ordinis Hieroſolymitani Argentorati, quæ conſuli poſſunt.

In Catalogis Manuſcriptorum, quæ aſſervantur in Monaſteriis Bavariæ, juſſu Maximiliani I. MDCX. conſcriptis, recenſentur ſequentes Codices de Imitatione.

In Catal. Monaſt. Reicherſperg.

Joannis Gerſon Cancellarii Pariſienſis Libri IIII. de Imitatione Chriſti. Scriptus eſt liber Anno Chriſti 1477. Nro. 101. Chartaceus in 4.

In Catal. Monaſt. Schyrenſis.

Lit. F. Thomæ Kempenſis Opuſcula.

In Catal. copioſo Monaſt. Raitenhaslacenſis.

De Imitatione Chriſti Tractatus B. Bernhardi Abbatis Claræ-vallenſis, huic quondam adſcriptus. Sed continet Capita Libri I. Thomæ de Kempis. In 8. Chart. Cod. LXXI. Lit. G.

In Catal. Monaſt. Benedictoburani.

Quatuor Libri de Imitatione incerti auctoris. in 4.

In alio Catalogo MS. C. Monaſt. Ejusdem A. MDCXL Concinnato.

T. 2. in fol. inter alia.

Tractatus Joannis Gerſon de arte audiendi Confeſſiones.

Item Pars I. De Imitatione Chriſti.

Stella Clericorum.

Secunda Pars de Imitatione Chriſti.

In Catal. MSC. Monaſterii D. Virg. & Beatorum Apoſtolorum in Underſtorff.

De quatuor Noviſſimis & de Imitatione Chriſti. Author quidam innominatus, Canonicus Regularis in 4. folior. 120. in 4. annus nullus appoſitus.

In Catal. MSC. Monaſterii Altahæ Superioris.

Item Notabilia quædam Excerpta ex libro *Thomæ de Cemptis.* fol. 20.

Item Tractatus de Imitatione Chriſti & contemptu omnium vanitatum Mundi. fol. 9.

In Catal. MSC. Monaſterii Staingadenſis.

Thomæ de Kempis de Imitatione Chriſti Libri 4. quibus annexa eſt relatio quædam de fundatione cujusdam Monaſterii Scotorum Ordinis S. Benedicti propè Memingam & Pœnitentia *Guelphonis Sexti.* Acceperunt hunc libellum mutuum Weingartenſes anno Superiori 1609. Scriptus eſt in Chartam in 4. à Canonico quodam qui nobis nunc non occurrit.

In Catalogo MSC. Bibliothecæ Tegernſeenſis.

Thomæ de Kempis Tractatus de diſciplina Clauſtralium, 4. c. 9. 3.° 9.

Ejusdem Alphabetum Monachicum. Ibid. colligatum.

Ejusdem Pars I. De Imitatione Chriſti. 4. T. 26. 2.° 9.

Ejusdem Libellus Primus de Imitatione Chriſti. 4. R. 48. 2.° 9.

Ex Catal. MSC. Monaſt. Dieſſenſis.

Thomas Kempenſis de Imitatione Chriſti. in folio & 4to.

RRmus *P. Calmet* edidit duos Catalogos Manuſcriptorum Codicum de Imitatione, quos reperit, vel repertos refert in Germania. Unum intulit ſuo *Diario Helvetico* impreſſo typis Einſidlenſibus anno 1756. alterum inſeruit ſuæ *Bibliothecæ Lotharingicæ* Gallicè ſcriptæ, fol. 575. editæ Nanci 1751. Cum ſi duo Catalogi inter ſe varient circa ætatem Codicum, utrumque adjungo.

CATALOGUS CALMETIANUS MSSC.

Ex

BIBLIOTHECA LOTHARINGICA.

I. Manuſcriptum *Melicenſe* ſcriptum ann. 1431.

II. Aliud ejusdem Monaſterii ſcriptum ann 1433.

III. *Weingartenſe* Scriptum anno 1434. per Joannem Mersberg hujus Abbatiæ O. S. B. Religioſum.

IV. Aliud ejusdem Monaſterii, Scriptum anno 1433. per Conradum Ebersberg, Religioſum in Weingarten.

V. *Salzburgenſe*, in quo continentur quatuor Libri de Imitatione dedicati Leonardo, Abbati Melicenſi, mortuo 1433.

VI. *Ublingenſe*, Scriptum 1437. tempore Concilii Baſileenſis.

VII. *Ochſenhuſanum* Scriptum anno 1427.

VIII. Codex San-Uldricianus in 4to continens plures Tractatus Spirituales, inter quos & librum primum de Imitatione, ubi in fine legitur: *Eſt finis hujus Tractatus Scripti in Concilio Baſileenſi anno Domini* 1437.

IX. *Zwifaltenſe*, Scriptum anno 1423. per fratrem Conradum Ebersberg, in cujus fine hæc habentur: *Explicit liber internæ conſolationis finitus anno M. CCCC. XXIII. Secunda feria ante feſtum Aſſumptæ Virginis per me Fratrem Conradum Eberberg, tunc temporis Conventualem Weingartens.*

X. *Einſidlenſe* Papyraceum, quod mihi Sæculi XV. eſſe videbatur, cui titulus: *Internæ conſolationes Sancti Auguſtini; incipiunt annunciationes primæ partis ad ſpiritualem vitam valdè utiles.*

Capitulum primum de Imitatione Chriſti, & contemptu omnium vanitatum mundi.

Notatu dignum eſt, Capitula & Tituli Capitulorum hujus Manuſclipti non ubique convenire cum Capitulis & Titulis Capitum exemplarium impreſſorum.

R. P. D. *Edmundus Martenne* aſſerit, ſe in Monaſterio Ervicenſi Canonicorum Regularium Congregationis Windeſemenſis, vidiſſe Manuſcriptum de Imitatione J. C. ad cujus finem hæc verba legere eſt: *Explicit libellus devotus de Imitatione Jeſu Chriſti dictus, qui ſequitur me, non ambulat in tenebris; finitus per Johannis Kitchten manus, cognomento Bupen. Domini M. CCCC. XXVI. anno Exaltationis Crucis feſto, quod tum celebrabatur ipſa VI. feriâ.*

CATALOGUS
MANUSCRIPT. CODICUM DE IMITATIONE
EX
DIARIO HELVETICO RR^mi Abbatis *D. Auguſtini Calmet* O. S. B. Typis Einſidlenſibus anno 1756. impreſſo.

In Bibliotheca Monaſterii *Einſidlenſis pag.* 52.

Inter Codices recentiores notatu digni ſunt 1. Codex papyraceus XIV. (a) aut XV. ſæculi, in quo reperimus librum de Imitatione Chriſti, cui affixus eſt titulus ſequens: *Internæ conſolationes S. Aug. Incipiunt annuntiationes primæ partis ad ſpiritualem vitam valde utiles*: Capitulum primum de *Imitatione Chriſti & contemptù omnium vanitatum mundi.* Capitula in eo Codice non ubique reſpondent cum ordinariis noſtris editis, imo multi occurrunt hiatus.

In Bibliothecâ Monaſterii *S. Gallenſis pag.* 73. & 74.

Specialem quoque conſiderationem merentur nonnulli Codices MSS. librorum de Imitatione Chriſti. Primus Codex ſcriptus A. 1435. in Vigilia Pentecoſtes per manum Joannis Ottinger de Fyeſſen, præfert hunc titulum: Regiſtrum Brevilogii virtutum. Sequitur Syllabus Capitulorum numero 25. quorum primum de Imitatione Chriſti, & contemptu omnium vanitatum mundi. Secundum de humili Scire ſui ipſius. Tertium de doctrina veritatis. Quartum de prudentia in agendis. Quintum de lectione Sacrarum Scripturarum. Sextum de inordinatis affectionibus. Septimum de vana ſpe & elatione fugienda.

(a) En! quod CALMETO in *Bibliotheca Lotharingica* videbatur eſſe Manuſcriptum ſæculi XV. nunc in DIARIO HELVETICO eidem (ſi tamen hæc p. *XIV aut*) ipſe Calmetus inſeruit, de quo dubitare temerarium haud foret) jam videtur eſſe ſæculi XIV. forte *Calmeto*, qui priùs ſuſpicabatur, *Joannem Rhodes* florentem ſæculo XV. poſſe eſſe authorem libri de Imitatione, ſubito in mentem venit Joannes Gerſen.

da. Octavum de cavenda nimia familiaritate. Nonum de obedientia & ſubjectione. Decimum de cavenda ſuperfluitate verborum &c. &c. Sunt 25. Capitula, quorum ultimum inſcribitur: De ferventi emendatione totius vitæ noſtræ. Deinde incipit Brevilogus virtutum de Imitatione Chriſti, & contemptu mundi: Qui ſequitur me, non ambulat in tenebris, dicit Dominus: Hæc ſunt verba Chriſti, quibus ammonemur. Adeſt tantum primus liber, deſinitque in hæc verba: Tantum proficies, quantum tibi vim intuleris. Secundus Codex videtur antiquior, vel ſaltem æqualis præcedenti. Continet ſecundum, tertium, quartum, libros de Imitatione Chriſti. Secundus liber ſic incipit: Liber de Imitatione Chriſti loquens de ammonitionibus ad interna trahentibus; & primo de interna converſatione. Regnum Dei intra nos eſt, dicit Dominus. Converte te ex toto corde ad Dominum, & relinque hunc &c. Ultimum caput libri quarti deſinit in hæc verba: Perge ergo cum ſimplici, & indubitata fide, & cum ſupplici reverentia ad Sacramentum accede. Quidquid intelligere non vales, Deo omnipotenti ſecurè committe.

In alio Codice Manuſcripto occurrit liber primus de Imitatione Chriſti, & internarum inſpirationum. Aſſervatur in eadem Bibliotheca opus de Imitatione Chriſti typis impreſſum anno 1492. absque nomine auctoris ſub hoc titulo: Tractatus aureus & perutilis de perfecta Imitat. Chriſti, & vero mundi contemptu. Complectitur libros quatuor.

In Bibliotheca Monaſterii *Augiæ Divitis pag.* 111.

Inter Codices papyraceos hæc notatu digna viſa ſunt. Primus occurrit liber de Imitatione Chriſti præfixo hoc titulo. De Imitatione Chriſti & contemptu omnium vanitatum mundi. Caput primum explicit in hæc verba: Explicit libellus de Imitatione JEſu Chriſti dictus. Qui ſequitur me. Nota bene. Deſunt alii tres libri. Obſervandum hunc primum librum de Imitatione Chriſti, eodem charactere, eadémque manu exaratum, quo ſcriptus eſt alter liber de Ec, cleſiaſtica Poteſtate editus per D. Cardinalem Cameracenſem in Sacro

cro Concilio Conſtantienſi anno 1416. uti legere eſt initio ejusdem Tractatus, quem propria manu deſcripſit *Albertus de Belbor* in ſacra pagina licentiatus anno 1428. in Feſto Inventionis S. Crucis. Confeſtim ſequitur liber 1. præfatus de Imitatione Chriſti eadem manu & charactere conſimili. Uſque huc *Calmetus*.

CATALOGUS

MANUSCRIPTORUM CODICUM, QUOS POSSIDET BIBLIOTECA LUNÆLACENSIS.

In Catalogo MS. *Claſſe III. pag.* 357.

Libri 4. de Imitatione Chriſti. Per manus F. Jacobi Keſer Lunælacenſis. Chartac. anno 1454,

Pag. 259.

Liber I. de Imitatione Chriſti. Chartac. 4. ſæculo XV.

Pag. eadem.

Tractatus de Imitatione Chriſti in 4. Partes diviſus. Chartac. 4. ſæcul. XV.

Claſſe V. *Pag.* 378.

Libelli de Imitatione Chriſti Pars I. ſcripta anno 1447. Chartac. 4. ſæcul. XV.

Pag. 380.

Tractatus de Imitatione Chriſti anno 1438. Sicque ante Thomam Kempenſem cujus autographum deſignat annum 1441. deſcriptus. Chartac. 4. ſæcul. XV. NB. Sunt verba Lunælacenſium.

Pag. eadem.

Liber I. de Imitatione Chriſti, de cujus authore ſub judice lis eſt. Speculum peccatoris ex D. Auguſtino. Dialogus Rationem inter & animam. Chartac. 4. ſæc. XV.

Pag. 381.

Tractatus quadripartitus de Imitatione Chriſti anno 1462. Chartac. 4. ſæcul. XV.

Pag.

Pag. 385.

Tractatus de Imitatione Chriſti chartac. 8. ſæcul. XV.

Pag. 386.

Libri de Imitatione Chriſti Pars I. Chart. 8. ſæcul. XV.

Pag. eadem.

Admonitiones ad ſpiritualem vitam de Imitatione Chriſti. Membran. 12. ſæcul. XV.

His addi poſſunt *decem* Manuſcripti Codices Libri de Imitatione qui omnes *Thomæ K.* nomen præſeferunt, ùt notantur in *Catalogo* Manuſcriptorum Codicum Bibliothecæ ſacri Ordinis Hieroſolymitani Argentorati, in qua aſſervantur.

VARIA DOCUMENTA PROBATORIALIA

HUCUSQUE ALLEGATA INTEGRE EXHIBENTUR.

§. 246.

B*aluzius* Tom. I. Miſcellaneorum affert ſcriptum *Ubertini de Caſali* anno 1330. Avenione oblatum & oretenus recitatum *Joanni* XXII. in defenſionem paupertatis Evangelicæ, quod à Papa tanquam ſanæ doctrinæ ſcriptum laudatum eſt. Annus huic ſcripto litteris Romanis cum die adſcriptus eſt hoc modo: *Hoc dixit anno Domini milleſimo CCCXXX. die XXVII. menſis Septembris*

§. 247. *Oudinus* in examinandis genuinis ac ſuppoſititiis operibus D. *Bonaventuræ*, dùm adhuc Pariſiis erat, ſolertiſſimus, fatetur c. 14. hoc argumentum adeò convincens eſſe, ut *omnium ſane ſapientium ora obſtruere debeat*.

§. 248. Acta & articuli hujus condemnationis per extenſum legi poſſunt in Miſcellaneis *Baluzii* Tom. I.

§. 249. *Chronicon Windesh* L. 1. c. 2. Cùm Daventriæ in diebus *Gerardi Magni* ſtudium plurimorum ipſi ſubditorum in pleno eſſet

ſet vigore, ubi juvenes & adoleſcentes, majores & minores, de diverſis mundi partibus accumulatè affluentes, in ſuis fundamentalibus optimè imbuerentur, Gerardus plures Clericos Scriptores meliores in unum recollectos libros ſanctorum Patrum in forma meliori, ſalvo pretio condigno per eos exſcribi fecit & excopiari: quibus aliquanto rempore neceſſaria victus & veſtitus de pretio ſic acquiſito ſtudioſe conquirentibus, *D. Florentius*, Daventrienſis Vicarius (Epiſcopi) *Gerardo* dixit: Quid noceret, quod ego & Clerici iſti Scriptores ea, quæ ſeptimatim habemus expendere, in unum reponentes in communi pariter viveremus? Reſpondit *Gerardus*: Iſti de Ordine Mendicantium id nullatenus ſuſtinebunt, ſe totis ſuis viribus reſiſtere tentabunt. - Tandem *Gerardus* ait: In nomine Domini incipiatis. Igitur D. Florentius una cum dictis Clericis Scriptoribus pretium laborum manuum ſuarum de ſingularium Scripturis ſeptimanatim exactum in burſam communem inchoaverunt. Conſiderantes autem præfati Clerici, hujusmodi vitam eſſe viam perfectionis in primitiva Eccleſia ab Apoſtolis conſtitutam concordaverunt, in tali communi vita ſub *D. Florèntii* obedientia, quamvis ſolenniter non promiſſa, cunctis diebus vitæ ſuæ perpetuò remanere, victum & veſtitum &c. de labore manuum ſuarum in communi præſertim Scripturarum, indefeſsè procurando. Pariter ſtatuerunt, plures homines, non ſolùm Clericos, ſed etiam Laicos, ad mundi contemptum verbis & exemplis ſuis attrahere. Itaque D. Florentius cum ſuis presbyteris & Clericis in vita communi pariter commorantibus formam & modum in communi vivendi, loca & tempora laborandi, vigilandi, dormiendi, orandi, legendi, corpora reficiendi, aliorúmque ſaluti aliquando inſiſtendi. Hanc Apoſtolicæ vitæ formam & Evangelicæ perfectionis exemplar formale omnes ubique Congregationes devotorum presbyterorum, Clericorum, & Sororum imitantes per orbem Almanicum plurimum ſunt dilatatæ. - Hujusmodi Fratres & Sorores ſine aliqua certa regula profeſſa in vera obedientia Deo ſervientes in ſtatu utique ſunt ſalutis, cùm juxta primitivæ Eccleſiæ inſtitutionem

ſine

ſine ſolenni profeſſione vita vivunt apoſtolica. Et c. 3. Devotis igitur presbyteris & Clericis ſimul commanentibus, & quibusdam ſororibus ſine proprio in communi viventibus, fratres quidam Ordinis Mendicantium, regulæ & profeſſionis ſuæ tranſgreſſores, vitam eorum ſanctam, præſertim quòd in communi vivebant, publicè impugnare & privatim redarguere non ceſſabant &c.

§. 250. Origo & ſeries hujus controverſiæ fuſius exponitur in *Chron. Windesh.* L. 2. c. 58. Quidam de Ordine Prædicatorum Fr. *Mathæus Grabon* grande volumen ediderat contra devotos presbyteros, Clericos, & Beginas, in communi ſine regulæ alicujus profeſſione viventes. Hoc volumen Paſtori in Daventria præſentans adhæſionem petiit, qui illud Rectori Congregationis Clericorum in Daventria ad legendum transmiſit. Hic librum per folia ſtatim diſſolvens, ut eadem nocte per fratres ſuos diviſis inter ſe foliis exſcriberetur, diſpoſuit. Transſcriptum transmiſit Priori Windesh. in Northom. qui Fr. Grabonem ad Curiam Trajectenſem citari procuravit. Cùm autem à præfato Priore vehementer angeretur, ad Sedem Apoſtolicam appellavit. Hæc autem cauſa ad Concilium Conſtantienſe tandem fuit devoluta. Eccleſiæ Trajectenſis Epiſcopus patentes litteras, cauſam prædictam & ſtatum devotorum continentes eidem Concilio transmiſit, exorans, ut Grabo digna feriretur animadverſione, & fidem faciens, quòd nihil unquam mali, aut dignum ſuſpicione in devotis hujus patriæ ſexus utriuſque invenit deliteſcere, ſed omnes & ſinguli vitam apoſtolicam primitivæ Eccleſiæ, ùt veri Chriſtiani, ad purum ſervarent &c.

§. 251. Revocatio *Grabonis* erat his verbis concepta: Ego Fr. *Mathæus Grabon* anathematizo & abjuro - decem & ſeptem Concluſiones perverſas, quarum aliæ ſunt hæreticæ, aliæ erroneæ, & aliæ ſcandaloſæ, ac piarum aurium offenſivæ, in opuſculo contentas, de quo convictus & condemnatus ſum.

§. 252. Libellus à *Fr. Grabon* ſummo Pontifici oblatus ſic incipit: Exponitur Sanctitati Veſtræ ex parte Fr. M. G. quod ipſe vi-

...ventu G. Diœceſeos Traject. plures perſonas ſexus ...væ religionis habitum aſſumentes, & conventicula facien... ...approbatum habitum profitentes, ſtatuentésque ſibiip... ...s pro libitu voluntatis - domus ſumptuoſas ad modum ...um ædificantes, & ſe invicem in eis includentes, cum obſervatione quorundam rituum minimè approbatorum per Eccleſiam - Super hoc quasdam concluſiones reprobantes illorum modum vivendi Scripturæ commendavit, quarum una principalis eſt, ex qua aliæ deducuntur exceptis paucis: Nullus poteſt licitè & meritoriè, immo nec veraciter obedientiæ, paupertatis & caſtitatis univerſalia conſilia conjunctim extra veras religiones (Ordines religioſos) obſervare.

§. 253. LEUBNITIUS in *Coll. Scriptorum Brunſwic.* Introduct. §. 39. ſcribit: *Joannes Gerſon* Cancellarius Pariſienſis eos defendit non voce tantum, ſed & libro compoſito, oſtenditque, inſtitutos eſſe, ut ſcholas tenerent, & non tantum litteras, ſed & mores quoque & vitam laudabilem diſcipulos ſuos docerent; vivere eos in communi ſecundum inſtituta primitivæ Eccleſiæ ſine proprio, ſine mendicitate, Diœceſanis ſuis (Epiſcopis) ſimpliciter ſubditos: quæ ita placuerunt, ut Concilium, præſidente Martino V. modo eorum vivendi comprobato, hortaretur eos, ut viriliter agerent, ſcholas erigerent, & ad pietatem diſcipulos inſtituerent, quibus Eccleſia Dei fulciretur. Itaque hi vitæ communis Clerici per Germaniam inferiorem litteras humaniores excitarunt. Ex ſcholis eorum plurimi viri celebres prodiêrunt; *Deſiderius Eraſmus*, *Petrus Caniſius* &c. &c. Itaque Inſtitutum eorum gemellum fuit Inſtituto Patrum Societatis JEſu, qui & ipſi Inſtitutioni Juventutis ſe dicarunt. Ita *Leubnitius*.

§. 254. *Kempiſius* in vita Gerardi M. c. 18. ponit inter libros ab eo commendatos etiam *Speculum Monachorum* S. Auguſtini. De auſtera autem vita Windesheimenſium legi meretur Chronicon Bodecenſe impreſſum Monachii 1731. impenſis Canoniæ Pollinganæ.

§. 254.

§. 254. D. THOMAS 2. 2. q. 189. art. 8. ad 2. ſcribit. Dicendum, quod utraque religio, ſcilicet Monachorum & Canonicorum Regularium ordinatur ad opera vitæ contemplativæ, inter quæ præcipuè ſunt, quæ aguntur in divinis myſteriis, ad quæ ordinatur directè Ordo Can. Reg. quibus *per ſe* competit, quòd ſint *Clerici* religioſi; ſed ad religionem Monachorum *non per ſe* competit, ut habetur in *Decret.* 16. q. 1. (c. 2. *Nemo poteſt* & c. *alia cauſa*).

§. 254. Conſtitutio *Benedicti XIV.* regulativa præcedentiæ in Capella Pontificia inter Monachorum S. Baſilii & Canonicorum Reg. Abbates generales recuſa eſt cum Notis Auguſtæ apud Veithium 1759. ubi Pontifex Canonicos Reg. iteratò vocat *portionem Cleri ſæcularis.*

§. 255. *Bulla Gregorii IX.* ſic habet: GREGORIUS Epiſcopus Servus Servorum Dei Dilectis Filiis Thomæ Abbati Eccleſiæ S. Andreæ Vercellenſis, ejusque Fratribus, tam præſentibus, quam futuris regularem vitam profeſſis in perpetuum. Religioſam vitam eligentibus Apoſtolicum convenit adeſſe præſidium, ne fortè cujuslibet temeritatis incurſus aut eos á propoſito revocet, aut robur, quod abſit, ſacræ religionis infringat. Eapropter dilecti in Domino filii veſtris juſtis poſtulationibus clementer annuimus, & præfatam Eccleſiam S. Andreæ Vercellenſis, in qua divino eſtis obſequio mancipati, ſub B. Petri, & noſtra protectione ſuſcipimus, & præſentis ſcripti privilegio communimus. In primis ſiquidem ſtatuentes, ut Ordo Can. qui ſecundum Deum, & B. Aug. regulam in Eccleſia veſtra inſtitutus eſſe dignoſcitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter obſervetur. Præterea quaſcunque poſſeſſiones, quæcunque bona eadem Eccleſia ex donatione dilecti filii noſtri Guallæ tituli Sancti Martini Presbyteri Cardinalis ejusdem Eccleſiæ fundatoris, vel alias in præſentiarum juſtè & canonicè poſſidet, aut in futurum ex teſtamento, vel donatione Cardinalis ejusdem, conceſſione Pontificum largitione Regum, vel Principum, oblatione fidelium, ſeu aliis juſtis modis præſtante Domino poterit adipiſci, firma vobis, veſtrisque ſucceſſoribus, & illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus

mus vocabulis exprimenda. Locum ipſum, in quo præfata Eccleſia ſita eſt, cum domibus omnibus, & pertinentiis ſuis. Caſtrum & Villam S. Germani cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis, domos, ſedimina, terras, vineas, & poſſeſſiones omnes cum omnibus juribus, & pertinentiis, quas in Carixianæ, & Veinen. Caſtris, Villis, & territoriis cum prædictis omnibus Eccleſiæ veſtræ idem contulit Cardinalis. Hoſpitale, quod idem Cardinalis prope Eccleſiam veſtram fundavit, & veſtræ gubernationi, & proviſioni commiſit, ita tamen, quod de poſſeſſiònibus, & bonis ipſius mobilibus, & immobilibus per Cardinalem præfatum, vel quoscunque alios fideles collatis, vel conferendis eidem nihil vobis liceat alienare, minuere, occupare, ſeu veſtris uſibus applicare: ſed ſola ipſius Hoſpitalis viſitatione, & regulari correctione contenti, miniſtrum idoneum confratrum ejusdem Hoſpitalis conſilio præficiatis ibidem, qui bona pauperum fideliter adminiſtret, & generalem computationem reddat de omnibus ter in anno Abbati veſtro, & Fratribus Hoſpitalis ejusdem, ipſique Abbati præſtet obedientiam, & reverentiam cum omnibus aliis Fratribus, & Sororibus, ex quibus ipſe miniſter nullum recipiat, ſed per Abbatem eundem recipiantur nomine Hoſpitalis, quoties fuerit opportunum, cum miniſtri tamen, & omnium fratrum, vel majoris partis ejusdem Hoſpitalis conſilio, & conſenſu. Capellam S. Andreæ ſitam juxta Eccleſiam veſtram cum omnibus poſſeſſionibus, juribus, & pertinentiis ſuis, exceptis poſſeſſionibus, quas idem Cardinalis dicti Hoſpitalis uſibus deputavit. Eccleſiam S. Andreæ de Chriſtotonen. Helen. Diœceſis per chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Henricum III. Regem Angliæ, & ejus Conſiliarios Eccleſiæ veſtræ intuitu Cardinalis prædicti in proprios uſus dicti loci, & Capituli ſuo aſſenſu accedente, collatam, & poſtmodum auctoritate Apoſtolica. - - Ob evitandas quoque ſæcularium perſonarum frequentias liberum ſit vobis, ſalvô jure Diœceſani Epiſcopi, Oratoria in Grangiis & Curtibus veſtris conſtruere, & in ipſis vobis, & familiæ veſtræ divina officia, cùm neceſſe fuerit ce-

ha-

lebrare, & ipſam familiam, niſi aliqui ſint, qui in vicino propria habeant domicilia, ad confeſſionem, & communionem ſuſcipere, ſine juris præjudicio alieni. Prohibemus inſuper, ut nullus infra fines parochiæ veſtræ ſine aſſenſu Diœceſani Epiſcopi, & veſtro Capellam, ſeu Oratorium de novo conſtruere audeat: ſalvis privilegiis Pontificum Romanorum. Ad majorem etiam Ordinis veſtri reverentiam, & regularis diſciplinæ obſervantiam tibi fili Abbas, & ſucceſſoribus tuis ſubjectos veſtros ligandi, atque ſolvendi plenam concedimus facultatem. Diſtrictiùs inhibentes, ne aliquis ſubditorum veſtrorum in his, quæ ad diſciplinam, & inſtituta Ordinis ſpectant, audeat prout ſtatutum eſt in Lateranenſi Concilio, appellare: Sed ſiquis appellare tentaverit, nihilominus illi, quorum intereſt, regularem exerceant diſciplinam. Ad hæc novas & indebitas exactiones ab Archiepiſcopis, Epiſcopis, aliisque omnibus Eccleſiaſticis, Sæcularibusque perſonis in veſtris domibus, vel Hoſpitali omnino fieri prohibemus: ne alicui Archiepiſcopo, Epiſcopo, Archidiacono, eorúmve miniſtris liceat procurationes à vobis exigere, vel pro ipſis aliquid extorquere: ita tamen, ut in expenſis, quæ à Capellis Vercell. fieri communiter debent, pro rata poſſeſſionum, quas præfata Capella Sancti Andreæ ante fundationem Eccleſiæ veſtræ habuit, cum requiſitum fuerit, conferatur Epiſcopo, & Eccleſiæ Vercellen. tres libras ceræ annis ſingulis cenſus nomine perſolvendo, ſecundum quod in Inſtrumento Conceſſionis ſæpe-dictæ Capellæ per Venerabilem fratrem noſtrum Hugonem Epiſcopum, & Capitulum Vercellenſe factæ Cardinali prædicto plenius continetur: contra cujus conceſſionis tenorem ne aliquid à dicto Epiſcopo, & Capitulo exigatur à vobis, auctoritate Apoſtolica diſtrictius inhibemus. Paci quoque, & tranquillitati veſtræ paterna impoſterum ſolicitudine providere volentes, auctoritate Apoſtolica prohibemus, ut infra clauſuras locorum, ſeu Grangiarum veſtrarum vel Curtium nullus rapinam ſeu furtum facere, ignem apponere, ſanguinem fundere, hominem temerè capere, vel interficere, ſeu violentiam audeat exercere.

Præterea omnes libertates, & immunitates à prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus Ordini veſtro conceſſas, nec non libertates, & exemptiones ſæcularium exactionum à Regibus, & Principibus, vel aliis fidelibus rationabiliter vobis indultas authoritate Apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti privilegio communimus. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat præfatam Eccleſiam temere perturbare, aut ejus poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, ſeu quibuslibet vexationibus fatigare: ſed omnia integra conſerventur eorum, pro quorum gubernatione, & ſuſtentatione conceſſa ſunt, uſibus omnimodis profutura. Salva Sedis Apoſtolicæ autoritate, & Diœceſani Epiſcopi canonica Juſtitia, ſervato moderamine prænotato. Si qua igitur in futurum Eccleſiaſtica ſæcularisve perſona hanc noſtræ conſtitutionis paginam ſciens, contra eam venire tentaverit, ſecundo, tertiove commonita, niſi reatum ſuum congrua ſatisfactione correxerit, poteſtatis, honorisque ſui careat dignitate, reámque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & à ſacratiſſimo corpore, & ſanguine Dei, & Domini Redemptoris noſtri JEſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictæ ſubjaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco ſua jura ſervantibus ſit pax Domini noſtri JEſu Chriſti, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Datum Laterani per manum Magiſtri Senebaldi Auditoris litterarum contradictarum D. Papæ, 3. Calend. Junii, indictione 15. Incarnationis Dominicæ anno 1227. Pontificatus verò D. Greg. Papæ IX. anno primo. Gregorius Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus (a) Ita Bulla GREGORII IX. prout eam affert *Pennottus*, qui ſic pergit:

Ex

(a) Subſcriptiones Cardinalium in Bulla originali aſſervata Vercellis. Vide §. 257.

Ex illo autem tempore viguit ſemper in dicto monaſterio diſciplina Regularis cum Dei laude, ac populorum ædificatione non modica, ſub Abbatibus Canonicis uſque ad annum 1440. quo tempore Illuſtriſſimus Sabaudiæ Dux noſtros Canonicos ad illud reformandum accedere rogavit, duabus tamen adjectis conditionibus, quas noſtri non admiſerunt, nimirum ut loci Abbates eſſent perpetui, & Congregatio ab illo Monaſterio denominaretur, ut patet ex actis Capituli Generalis anni 1439. -- -- Ex illo autem tempore uſque in præſens floruit ſemper in dicto monaſterio regularis obſervantia, quod Domus Novitiorum ferè ſemper eſſe conſuevit, in quo ipſe tyrôcìniô peractô regularem profeſſionem emiſi: ex quo ſemper viri ſanctitate, & litteris conſpicui exierunt, inter quos.

Secundus D. *Thomas* primus Abbas dicti Monaſterii ex S. Victoris Pariſienſis Canonia acceptus, vir doctiſſimus æquè, ut religioſiſſimus, qui in D Dionyſii librum de cœleſti Hierarchia Commentarium illud edidit, cujus cum tanta laude Sixtus Senenſis in verbo *Abbas Vercellenſis* meminit. Qui Vercellis Scholam Theologicam aperuit, & inter alios diſcipulos B. Antonium de Padua illuc à S. Franciſco miſſum habuit. Obiit anno 1246. in Sacello Majori turri Campanariæ propinquo tumulatus cum ſequenti Epitaphio:

Bis tres viginti currebant mille ducenti
Anni, cum Thomas obiit Venerabilis Abbas
Primitus iſtius templi, ſummèque peritus
Artibus in cunctis liberalibus, atque Magiſter
In Hierarchia, nunc area clauditur iſta,
Quem celebri fama vegetavit pagina ſacra.

§. 256. „ Anno 1402. Reverendus Pater Joannes Malleolus „ ſeu Hemmercken Thomæ de Kempis Germanus piis parentibus „ utique defunctis ad patriam reverſus pro ſe & fratre ſuo Thoma „ ædes ſuas Kempenæ prope Cœmeterium ſitas vendidit, quam venditionem hæc infra notata formalia, quæ ex Archivio Electoralis „ Judicii Civitatis & Satrapiæ Kempenſis Archi-Diœceſis Coloni-

„ enſis

„ enſis inferioris coram Clariſſimis DD. Georgio Theodoro Vaſ-
„ mer Prætore, & Joanne Henrico Molanus fati Judicii Actuario
„ ac duobus Scabinis 7ma die Menſis Martii 1744. depromſi, evi-
„ denter probant exprimentia hunc tenorem.

„ Herr Johann Hemmercken Prieſter, Canönich von den
„ Regulieren pro ſe & Thoma ſuo fratre vendidit & transportavit
„ domum ſuam gelegen zu Kempen ahm Kirchhof negſt Telen
„ ter Meer Haus 1402. feria 3. poſt Lamberti.

(L.S.) Præſens veritatis Teſtimonium Joan. Arn. Janſen, Protho-Notarius Apoſtolicus & Gymnaſii.

Venerabilis Patris Thomæ de Kempis, p. t. Regens ſcripſit & ſubſignavit hac 10^mâ^ die Menſis Januarii 1761. Mpria.

§. 257.

Epiſtola RR. Abbatis Frova

Illuſtriſſimo, ac Reverendiſſimo Domino, D. *Franciſco Töpsl*, Præpoſito Pollingæ & Abbati Lateranenſi D. *Joſeph Frova* S. P. D.

Nimis equidem inurbanè agerem tecum Ill^me^ & RR^me^ Domine, quoties fidem impertitam in meis Superioribus litteris in præſentiarum haud liberarem: pollicitus etenim fueram αὐτόγραφον Bullæ Gregorii IX. noſtro in Archivô perquirere, illiusque Tibi ἀπόγραφον transmittere: Verùm quum doctiſſimi Concanonici noſtri cujusdam elegans libellus, ilicèt prægrandi cum voluptate à me lectus, & pro quo maximas tibi reddo grates, illam præſeferat, ſubſcriptorum Cardinalium nomina in Pennoti hiſtoria deſiderata unicè mittam, ut Bullæ autentia à nemine dein revocetur in dubium. Addam etiam exemplar quijusdam διπλώματος Amedei III. Sabaudiæ Comi-

Comitis, ann. cir. 1370 huic Canoniæ elargiti, ne Schyrensem cœnobitam fugere possit ὑπομνήματα à ſe commiſſus relatè ad annum, quô denatus eſt noſter Abbas Thomas, quem Præceptorem D. Antonii Patavini, F. Adami, & B. Ardicii Vercellenſis diſcipulorum S. Franciſci cum Modena, Canonico Vercellenſi, & Chronicis Franciſcanis vel recentioribus, teſtantur picturæ, quæ integras nunc quoque temporis à die depoſitionis ejus, Thomæ exornant, illuſtrantque σαρκοφάγων. Porrò his adjungam aliud ἀπόγραφον, nempè donationis à Cardinali Bicherio factæ huic Canoniæ, ne meo videar deeſſe muneri, denegando, quod abs me priori Tuo epiſtolio efflagitaſti; & quoniam percontatus fuiſti num in Abbatia S. Stephani, aut in hac mea Canonia antiquitùs Abbas, Johannis nomine inſignitus, extiterit unquam, accipe quæ in quibuſdam excerptis è Modenæ Hiſtoriâ, ſeu melius, annalibus adinveni. Ann. 904. era Veſcovo di Vercelli Regemberto, il quale ſcriſſe una lettera formata con i numeri, e caratteri greci a Andrea arciveſcovo di Milano in raccomandazione, e informazione di Valfredo Canonico Subdiacono di Vercelli elletto Veſcovo d'Ivrea, acció lo confermaſſe, e conſegraſſe - in queſto tempo fiorivalo ſtudio in Vercelli ſotto ad un gran lettore, che era Gioanni Scoto Abate, e gli Canonici Studenti compilorono un Volume di ſagri Canoni alla forma del decreto di Graziano, má piú antico, e lo dedicarono ad' Andrea arciveſcovo di Milano. „ Queſto fú portato con il Greſonio, e Dionifio Exiguo á Roma Sotto Gregorio XIII. per la „ correzione de Sagri Canoni, e Sono nominati Sotto il titolo di „ Bibliotheca del Cardinale di Vercelli, furono rimandati à Mila„ no, poi à Novara ál Veſcovo Carlo Beſcapeo di Santa Vita, e „ dottrinâ, & io gliandai à pigliare, e riposi nella Bibliotheca „ dell' Archivio, di S. Euſebio, e la dove erano Stati levati. - - " Hæc autem ſicuti extant transſcribere ſatius duxi, ut Schyrenſis συκοφαντίαν in propatulo conlocarem, quoniam Modena neque adfirmat Abbatem Johannem Abbatem fuiſſe S. Stephani; neque ſi-

ſilentio obvolvit ejus diſcipulos fuiſſe Canonicos, neque nobis reliquit provinciam divinandi quiſnam fuerit ille Johannes, quum ſcribat
„ *Hoc tempore florebat Studium Vercellis ſub magno Lectore, qui erat*
„ *Johannes Scotus Abbas, & Canonici diſcipuli &c.* ac de reliquis ibi-
„ dem commemoratis ex ore Schyrenſis Mr. Lego inſuper &c. pag. 8. in Modenâ nec quidem minimum verbum occurrit. Attamen fallitur & eruditiſſimus hic ſcriptor, haud abſque culpâ, utpote deceptus inſtar Ciaconii à Pennotô in pluribus à veritate aberrante, dum ſcribit Cardinalem Bicherium Canonicum Regularem hac in Eccleſiâ ſepultum, & Petrum de Vedrine IX. inter Abbates Congregationis S. Victoris fuiſſe, quoniam hic (qui anno vulg. 1407. majorem Turrim exædificavit decimus fuit) inter Abbates commemoratæ Congregationis in hâc Canoniâ, & Cardinalis Bicherius, jam Canonicus hujus Eccleſiæ Cathedralis electus ann. 1170., ideóque non regularis, Romæ obiit, ſuámque in Eccleſiâ S. Martini in Montibus ſepultus exiſtit, quin conſtet de illa hac translatione. Prætereò à Pennoto reticeri tertiam noſtram Parochiam, videlicet Alicis in Diœceſi Hiporedienſi, & unicè inficias eo eidem adſerenti hac in Eccleſiâ adſervari gladium, quô S. Thomas Cantuarienſis fuit excerebratus: quùm liquidô conſtet illum non mucronem, verùm oblationarium eſſe, quo forſitan S. Martyr fuerat uſus: etenim illius oblationarii lamina longitudinis unius Palmi Romani, inſignitur manubriô myrteô affabrè elaboratô, atque exornatô 12. figuris cœlatis, altitudinis unius pollicis cum dimidio in tres ordines diſtinctis, & repræſentantibus res ad ſacrificia utriuſque Teſtamenti ſpectantes: Porrò extremitates manubrii exornantur circulis argenteis inauratis, in quorum primo vetuſtis characteribus (quos imitari Typographia noſtra haud potuit) legitur = † NULLUS ME POSCAT, QUOD PARVI SUMERE POSCAT: & in altero propè laminam † = PESTIS POSCENTI FIAM, FELIX RETINENTI. Quæ Leonina Carmina num ad ſacram σύναξιν ſint referenda, ecquis ſub judice dicet? Tandem epiſtolium abſoluturus reſpondebo jam exaraſſe ami-

cum,

cum, ut à Patre *Bellini* Vercellenſi Rectore Aronenſis Collegii S. J. expoſcat, quæ tu percupis, atque iccircó fore, ùt brevì reſponſionem unà cum à te peroptatis tranſmittam quanquam dicta ab Abbate *Ladvocat* in ſuo Dictionario hiſtorico, & ea, quæ occurrunt in Diſſertatione P. D. Vincentii Thuillier, abundè ſufficiant. Vide Ill^me^ ac RR^me^ Domine, num in aliis pluribus tibi valeam obtemperare, & probè tene, me tibi ſemper addictiſſimum, obſequentiſſimúmque futurum. Vale unà cum ſapientiſſimo Amort, & me amare perge.

Dabam Vercellis ex Canonicâ S. Andreæ III. Id. Januarias ann. Vulg. ær. MDCCLXI.

Nomina Cardinalium Subſcriptorum in Bulla *Gregorii IX.*

Ego Pelagius Albanenſis Epiſcopus.

Ego Conradus Portuenſis Tit. S. Ruffinæ Epiſcopus.

Ego Guido Prænestinus Epiſcopus.

Ego Oliverius Sabinenſis Epiſcopus.

Ego Stephanus Baſilicæ 12. Apoſtolorum presbyter Cardinalis.

Ego Thomas S. Sabinæ presbyter Cardinalis.

Ego Johannes Tit. S. Praxedis presbyter Cardinalis.

Ego Octavius SS. Sergii & Bachi Diaconus Cardinalis.

Ego Reinerius S. Mariæ in Coſmodin Diaconus Cardinalis.

Ego Stephanus S. Adriani Diaconus Cardinalis.

Ego Egidius SS. Coſmæ & Damiani Diaconus Cardinalis.

Ego Petrus S. Georgii ad velum aureum Diaconus Cardinalis.

Donatio facta à Cardinali Bicherio Canoniæ S. Andreæ in membrana noſtri Archivi Signata A. n. 7.

Annô Dom. Incarnat. 1224. indict. 13. die undecimo intrantis menſis Novembris in Vercellis in Camera D. Epiſcopi quæ eſt ante Capellam S. Ambroſii. Coram D. Hugone Dei gratia Vercellenſi Epiſcopo, & D. Vercellino *Archidiacono* & Magiſtro Jacobo de Caſnario Canonico Vercellenſi. & D. Artaldo Præpoſito de Bugellâ, & D.

& D. Guidone Præpoſito S. Agathæ. & Magiſtro Petro de Burgis & Magiſtro Bono. presbytero Hugone. presbytero Bonifacio de S. Thoma. presbytero Jacobo de S. Laurentio de Vercellis teſtibus. ibique D. Guala Bicherius Dei gratia tituli S. Martini presbyter Cardinalis recognovit & confeſſus eſt, quòd pro remiſſione peccatorum ſuorum ac progenitorum & parentum ſuorum donavit & tradidit Eccleſiæ novæ B. Andreæ quam in civitate Vercellenſi fundavit. quicquid habet & aquiſivit per ſe, vel per procuratores ſuos in civitate Vercellenſi in contrata S. Andreæ & curte ejusdem civitatis. in carixiana & territorio ejus. in caſtro & Villa S. Germani. in caſtro & Villa *Conſtanzanæ* ac Villæ Reglæ. in caſtro & Villa Vevroni & in omnibus territoriis & pertinentiis prædictorum locorum. prout continetur in *quoddam* publico inſtrumento facto per manum Lantelmi notarii. cujus incarnatio eſt 1219. indict. 7. decimo die ante Kal. Martii. & in patentibus litteris ejusdem D. Cardinalis Sigillatis Sigillo ipſius. & Sigillis D. Nicolai Epiſcopi Tuſculani & D. Stephani Baſilicæ 12. Apoſtolorum presbyteri Cardinalis. & in *Confirmacione* D. Honorii PP. III. cujus Data eſt talis. Dat. Laterani 9. Kal. Februarii Pontificat. noſtri ann. VIII. Inſuper etiam ad majorem *cauptelam*. Omnia ſupradicta ſicut continetur in prædictis inſtrumento & litteris. & quicquid uſque ad præſentem diem emit vel aquiſivit per ſe vel alios in civitate Vercellenſi in contrata S. Andreæ & curte ipſius civitatis & in aliis locis ſupradictis. verè donavit & tradidit Eccleſiæ prædictæ B. Andreæ. ac eorundem veram & plenam poſſeſſionem conceſſit in manibus *Fratris Thomæ Prioris* Eccleſiæ prædictæ B. Andreæ Vice & nomine illius Eccleſiæ. eo modo & tenore. quod dictus Prior; & qui pro tempore illius Eccleſiæ miniſtri fuerint & *Canonici*. habeant teneant atque poſſideant omnia ſupradicta. retento & reſervato ipſi D. Cardinali uſufructu & plena *ordinacione* omnium prædictorum in vita ſua. ita tamen quòd non liceat eidem D. Cardinali per ſe vel per alium diſtraere. vel alienare aliquas de prædictis poſſeſſionibus niſi ad utilitatem prædictæ Eccleſiæ vel Hoſpitalis S.

An-

Andreæ conſenſu capituli S. Andreæ nihilominus accedente. Omnia autem prædicta cum finibus & terminis & pertinentiis ſuperioribus & inferioribus acceſſibus. egreſſibus ſuis. & cum omnibus juribus. *Accionibus* honoribus & diſtrictis uſibus & conſuetudinibus. & omnibus ad prædicta pertinentibus in vivis prædicta die ut ſuperius tradidit & donavit in manibus jam dicti Prioris vice & nomine præfatæ Eccleſiæ. ita ut prædicta Eccleſia & ipſius Miniſtri ſicut ſuperius dictum eſt à præſenti die in antea donec vixerit præfatus D. Cardinalis quoad proprietatem. & poſt mortem illius quoad proprietatem & uſumfructum habeant & teneant & poſſideant omnes præfatas Terras res & poſſeſſiones pleniſſimè liberè & quietè ſine *moleſtatione* & *contradicione* alicujus perſonæ. nullo in ipſa Eccleſia ſeu ipſius poſſeſſionibus jure patronatus vel *ſervicio* ſeu *præſtacione* aliqua ejusdem D. Cardinalis nomine. vel hæredum aut conſanguineorum ejus ut prædictum eſt. & hæc omnia firma & rata perpetuò eſſe voluit & ſtatuit atque promiſit.

Ego *Albertus* imperiali auctoritate Notarius interfui & juſſu præfati D. Cardinalis inde plura inſtrumenta uno tenore ſcripſi.

Diploma *Amedei III.* Sabaudiæ Comitis.

Amedeus Comes Sabaudiæ Marchio in Italia omnibus ſuæ Jurisdictionis & Subjectis ſalutem. Quoniam gratiſſima premia conſequuntur in cœlo qui pietatis opera Studioſius exercent in præſenti. maximè qui viris religioſis aſſiduè Deo deſervientibus gratiam impendunt. & tranquillitatis tutelam. Nos divinæ pietatis. & ſpiritualium orationum intuitu viros religioſos fratrem Thomam Abbatem S. Andreæ Vercellenſis & totum ejusdem loci conventum cum omnibus ipſorum nunciis & rebus per totam terram noſtram & jurisdictionem in noſtra protectione tutela cuſtodia & defenſione ſuſcipimus in perpetuum.

Statuimus & quòd ſi animalia vel qualibet res dicti Monaſterii furtivè ſive violenter ſubripiantur liceat Canonicis vel certis nunciis


dicti monaſterii ipſa animalia vel res ipſas per totam terram noſtram liberè propria auctoritate capire & tollere, & ad ipſum monaſterium deducere ſine redemptione vel aliqua exactione, & ſi quæ litteræ conceſſiones vel ſtatuta ab anteceſſoribus noſtris aut à nobis circa Vercellenſes aut alios Lumbardos nunc uſque emanarunt, aut à nobis aut à ſucceſſoribus noſtris in poſterum emanaverint dicto monaſterio, aut rebus ejus in nullo penitus noceant, nullam moleſtiam inferant, niſi quod abſit ipſius monaſterii fratres ſpeciali culpa id meruiſſe certius convincantur & publicè. Omnibus ergò terræ noſtræ juriſdictionis, principibus, caſtellanis; Ballivis, & miniſtris, & cæteris univerſis & ſingulis mandamus, & ſub debito fidelitatis injungimus, quatenùs hujus privilegii noſtri tenorem per ſingulos articulos dicto monaſterio obſervent, & obſervari faciant ſinguli in potentatibus ſuis, & omnibus nunciis dicti monaſterii ſi necesſè habuerint & requiſierint, opem, auxilium & conſilium diligenter impendant. Scientes quòd quicquid utilitatis aut honoris eiſdem contulerint nobis impenſum reputabimus, ob dicti etiam gratiam monaſterii Canonicos, nuntios S. Victoris Pariſienſis cum omnibus rebus ſuis per totam terram noſtram in noſtram ſpecialiter ſuſcipimus protectionem & defenſionem. Siquis verò aliis temerario contra ipſius noſtri privilegii tenorem venire præſumpſerit, iram & indignationem noſtram ſe noverit incurſurum. Nos autem in eundem vindictam *accerbiſſimam* ſtudebimus exercere. In cujus teſtimonium præſentem cartam ſigillis noſtris fecimus communiri. Actum Vercellis in Domo S. Andreæ anno gratiæ MCCXXXVIII. XVIII. Kal. Octobris.

Amedeus Comes Sabaudiæ Marchio in Italia omnibus ſuæ juriſdictionis & ſubjectis ſalutem. Notum fieri volumus quod memores obſequii & honoris nobis apud Eccleſiam S. Andreæ Vercellenſis impenſi fratrem Thomam Abbatem loci illius, & totum conventum, & eorum ſucceſſores in noſtram protectionem per terram noſtram ſuſcipimus in perpetuum ipſos & eorum nuntios, & omnia ipſorum animalia per terram trranſeuntia eundo & redeundo, & ibi permanendo

nendo, tam à pedagio quàm ab omni exactione temporali æternè & in omne tempus liberaliter eximendo.

Siquis vero auſu temerario contra iſtius noſtri privilegii tenorem venire præſumpſerit, iram & indignationem noſtram ſe noverit incurſurum. Nos autem in eundem vindictam acerbiſſimam ſtudebimus exercere. In cujus teſtimonium præſentem cartam ſigillis noſtris fecimus communiri. Hujus rei teſtes ſunt D. Unbertus de Sorſel. & D. Gratapalla & D. Reſtagnus Caſtellanus de Avilana & D. Petrus de Chanbene. Actum Vercellis in domo S. Andreæ anno gratiæ MCCXXXVIII. XVIII. Kal. Octobris.

Sigillum ſuſtinetur à funiculo compoſito ex pluribus filis carbaſi. Conſtat cera cooperta papiro, & quùm adhuc crucem pro ſtemmate non adoptinuiſſet Sábaudorum gens præſefert caſtrum cum luna prævio heſpero. Ita



Index Abbatum S. Stephani Civit. Vercellarum Ord. S. Benedicti, quorum nomina reperi.

1219. D. *Roboaldus.*
1320. D. *Guillelmus* de Advocatis obiit anno
1340. die 23. Junii.
1340. 1344. D. *Simon Maſſarolus.*
1406. D. *Benedictus de Bulgaris* - alios nondum inveni.

In-

Index Præpoſitorum Lateranenſium S. Stephani de Cittadella hactenus repertorum.

1542. D. *Archangelus Bononienſis.*
1544.
1545. D. *Angelus Bicherius.*
1546.
1547. D. *Ægydius.*
1548.
1549. D. *Felix.*
1550.
1551. D. *Paulus Alexandrinus.*
1552.
1553. D. *Stephanus à Burontio.*
1554.
1555. D. *Paulus Alexandrinus.*
1556. D. *Albertus Bugellenſis.*
1557.
1558.
1559. D. *Jacobus Philippus Vercellenſis.*
1560.
1561. D. *Valerius Gattinarienſis.*
1562.
1563. Idem.
1564. D. *Johannes Petrus à S. Germano.*
1565.
1572. D. *Stephanus à Burontio.*

P. S.

Abſoluto jam meo Epiſtolio Patris Corbellini MS. Hiſtoria ad me perlata fuit, & ſub ann. 887. &c. adinveni ſequentia verba de Abbate Johanne.

Il Corrado Enrico il buono, e ſemplice che non venne in Italia, nè fece opra, che l'Italia foſſe liberata da Tiranni. Contrà queſti due, regnarono il ſecondo, e terzi Berengario. Il 2do, fu crudele, e più crudele Vuilla ſua moglie figlivola di Bozone marcheſe della Toſcana, donna inpudica, e ſentina di tutti i vizii, e trà tutte le donne della ſua età ſceleratiſſima. La loro crudelta però non puote fare, che ne ludi tempi non fioriſſe lo ſtudio di tutte le ſcienze in Vercelli e non vi leggeſſe l'Abate Gioanni Scoto, & iſuoi Scuolari non vi compillaſſero un Volume de Sacri Canoni alla forma de Decreti di Graziano &c.

Item in alia MSS. Hiſtoria Vercellenſi *Vercellini Bellini* Patritii Vercellenſis ad ann.

924. Fioriva in queſto tempo il ſtudio di Vercelli Sotto à un gran Lettore chiamato Gioanni Scotto Abate, * egli Canonici ſtudenti compilorono un Volume di Sacri Canoni alla forma di graziano, mà aſſai più antico, qual dedicarono all'Arciveſcovo di Milano.

* In margine inſpiciuntur hæc verba:
da alcuni creduto il Gerſone (a)

Teſtimonium publicum de Miſſali propria manu Thomæ Kempenſis ſcripto.

O Bemmel.

Locus chartæ ſignatæ.

Infra ſcriptus Notarius publicus per curiam Brabantiæ admiſſus Lovanii reſidens fidem facio, & atteſtor, quod anno Domini milleſimo ſeptingenteſimo ſexageſimo primo menſis Aprilis die prima

(a) Ex hac nota novum rurſus emergit argumentum Vercellis ignotum fuiſſe *Gerſenis* nomen, notiſſimum vero *Gerſonis*. Priorem iguorarunt Corbellinus, & Bellinus, Vercellenſium rerum Scriptores ſtudioſiſſimi: undenam ergo fictitii hujus hominis notitiam hauſit *Franciſcus Auguſtinus ab Eccleſia*? Ex ſolo Cajetano, cujus aſſertio, nec tabulis, nec teſtibus, niſi corruptis nititur.

ampliſſimus Dominus Jacobus Thomas Boſmans Can. Reg. Prior Throno-Martinianus, & Capituli Windezemenſis pro tempore Secretarius mihi ad legendum & examinandum tradiderit Miſſale integrum manu Ven. P. Thomæ à Kempis deſcriptum, litterisque rubeis, cæruleis, & nigris diſtinctum, ac variis abbreviationibus repletum, integrum illæſum, & omni ſuſpicione mala carens, in cujus fine attramento rubicato, eadem manu exarata leguntur ſequentia:

(Anno Domini milleſimo quadringenteſimo decimo ſeptimo per manus Fratris Thome de Kempen)

Concordantiam cum præfato Miſſali atteſtor

J. Eyckermans mppr. Notarius.

Nos Conſules, Scabini, cœterique de Conſilio oppidi Lovanienſis Brabantiæ Metropolis teſtamur & fidem facimus Magiſtrum J. Eychermans, qui ſupra ſcriptam atteſtationem relaxavit, & ſubſignavit, eſſe Notarium publicum per Curiam Brabantiæ admiſſum in hoc oppido reſidentem, ejusque inſtrumentis publicis plenam, & indubiam fidem adhiberi, tam in, quam extra judicium, in ſignum fidei haſce Sigillo noſtro ad cauſas muniri, & per unum ex noſtris Secretariis juratis ſignari curavimus. Datum Lovanii hac prima Aprilis 1761.

(L. S.) J. D. Bouille Secretarius.

Teſtimonium publicum Notarii publici Antverpienſis de MS. Codice Librorum de Imitatione Thomæ Kempenſis autographo.

O

Locus Chartæ ſignatæ.

Extractum Codicis vel libelli manuſcripti Thomæ Kempis quoad Imitationem Chriſti, compacti in tegumento nigro, induti charta pergamenta, ac ligati, vel compacti in forma decimi ſexti folii, reper-

reperti in una capſula rubra, & partim ſcripti in charta pergamenta, & partim in papyro litteris rubris, cæruleis, & nigris, aſſervati in Bibliotheca Reverendorum Patrum Bollandiſtarum reſidentium in Domo profeſſa Societatis JESU in hac civitate Antwerpienſi, in quo Codice vel libello inter alia habentur ea, quæ ſequuntur. Qui Codex, vel libellus incipit hiſce verbis. *Qui ſequitur me.* In quo Codice, vel libello titulus *De Sacramento* incipit, *Venite ad me omnes,* & finit, *Non eſſent mirabilia, nec ineffabilia dicenda.* In fine ejuſdem Codicis, vel libelli habetur ſequens rubrica eadem manu ſcripta, ac ſine ulla immutatione, præterquam, quod eadem rubrica, uti & reſpectivè præcedentia ſunt ſcripta per abbreviationes tunc temporis in uſu, *Finitus; & completus anno Domini M.C.C.C.C.XLI. per manus Thomæ Kempis in monte S. Agnetis prope Zwollas.*

Prævia inſpectione, & collatione prædicti Codicis, vel libelli facta hoc Extractum cum eodem Codice vel libello concordare atteſtor Antwerpiæ hac decima Februarii 1761.

Guilielmus Eenens mppr. Notarius publ.
1761.

Nos Conſules, Scabini, ac Senatus Civitatis Antwerpienſis notum facimus Guilielmum Eenens, qui ſupra ſcriptum Extractum ſcripſit, ac ſubſignavit, eſſe Notarium publicum hac in Civitate reſidentem, cujus Actis, Extractis, & Copiis ita ab eo ſignatis ſemper adhibita fuit, & adhibetur plena fides tam in, quam extra judicium. In quorum fidem has per unum è quatuor noſtris juratis à Conſilio Secretariis ſubſignari, ac Sigillo ad Cauſas noſtræ Civitatis muniri juſſimus. Anno Domini milleſimo ſeptingenteſimo ſexageſimo primo, undecima die menſis Februarii.

(L.S.)

N. Dubois Secretarius.

Documentum

De Inventione Reliquiarum Ven. *Thomæ Kempenſis*,

§. 258.

P. HENSHENIUS S. J. in *Propyleo* hanc Inventionem in fine Operis his verbis enarrat.

Interim producatur hic ex jurata atteſtatione præſentis ocularisque teſtis, Joannis Wayer, Presbyteri ſæcularis, Swollenſes in Tranſiſalania Catholicos pro virili juvantis, *fidelis narratio* rei tunc geſtæ, aliàs non facilè locum habitura in opere noſtro, digna autem quæ poſterorum memoriæ commendetur, qualem ipſius manu deſcriptam belgica noſtra lingua accepi à R. P. Theodoro de Ridder, noſtræ Societatis ibidem Miſſionario, ſub hoc titulo: ATTESTATIO de inventione oſſium *beatæ memoriæ* THOMÆ A KEMPIS, in monte S. Agnetis vulgo Berg Klooſter, id eſt, Montanum Monaſterium nuncupato, die III. Aug. ſtylo veteri, an. Dom. MDCLXXII.

Ego infraſcriptus, hiſce litteris atteſtor, has eſſe Reliquias beatæ memoriæ THOMÆ A KEMPIS: quarum veritatem ſequentes rationes & indicia ſtabilire poſſunt. Primo. Invenio in Chronicis Can. Reg. montis S. Agnetis pag. 137. *Thomam à Kempis* in tranſitu Orientali, id eſt, porticu ad Orientem ſita, ſepultum eſſe. Secundò. Ego ſæpè audivi ex venerabili Sacerdote & viro inſigni doctrina S. T. Licentiato (Volcquerus Herckinge nomen erat) qui quadraginta quatuor annis in paſtorali cura hujus Swollenſis civitatis tranſactis, obiit XXII. Novembris anno MDCLXII. Audivi, inquam, B. M. Virum *Thomam à Kempis* in porticu ad Orientem, ſeptem pedum ſpatio, inter portam qua exitur Choro & Sepulchrum interjecto, requieſcere: jamque illud, defuncto Reverendo illo Presbytero, omnes me excepto latebat. Itaque poſtquam jam ibi, de mandato Sereniſſ. & Reverendiſſ. Domini Electoris Colon. Maximiliani Henrici, Reliquiarum inveniendarum cauſa, per trespenè hebdomadas foderant, jámque foſſores à ſepulchro non longè aberant; ego

ſupra illud ſtans, locúmque deſignans, dixi; Si hic non inveneritis, nolite ultrà quærere: & ad hoc dicendum movebar indiciis præmemoratis.

Igitur tertia Auguſti ſtylo veteri, cùm effoſſa terra locus pateret, inventa eſt compages oſſium, concinnè admodùm firmiterque inter ſe nexorum, quod pluribus admirationis pietatiſque affectum excitavit. Caput ſupra duos ceſpites jacebat, qui etiamnum integri conſpiciuntur, adeóque incorrupti ac ſi recenter effoſſi eſſent. Latere dextro terræ inclinabat: unde dextera pars capitis nonnihil corrupta erat. Dentes, adhuc albeſcentes, ſuperiorem oris ordinem implebant: ſed attactu, duo treſve exciderunt. Manus decuſſatim in formam Crucis compoſitæ, dextera ſcilicet ſupra ſiniſtram, digitis manuum, pedúmque integris, coſtæ tamen & ſcapulæ conſumptæ erant. Pars ſtolæ incorrupta collum cingebat, & uſque ad humeros protendebatur; reliquum computruerat. Ex his plura alia indicia apparuerunt.

Sceletum illud, ſecundum ſupra dictam traditionem, ſeptem pedes à Chori janua aberat, cujus fundamenta nunc quoque adeo firma ſolidaque conſiſtunt, ut nonniſi vectibus ferreis perfringi poſſent. Sane cùm mihi perſuaderem, errorem ſubeſſe vix poſſe, ſi diſtantia illa ſeptem pedum inveniretur; ad fundamentum pertingo, diſtantiam metior, & adeo præciſè ſeptem pedes comperio, ut nec latitudo unius ſtaminis deeſſet.

Jacebat Choro proximus, ut dignior reliquis, qui in eadem porticu ſepulti erant: quin & facile oſtendi poteſt, neminem unquam Choro propiùs ſepultum fuiſſe hoc Viro venerabili. Quippe ſatis colligi poterat, ubi tumulus cujuſquam fuiſſet, ex nigris lineis, quæ in arena videbantur, latitudinem & longitudinem Sarcophagi exprimentes: quæ quidem lineæ ex quernis aſſeribus Sarcophagorum, tamquam impreſſa quædam veſtigia, relictæ fuerant, nullæ autem inter prædictum cadaver & Chorum conſpiciebantur. Manet igitur, eum, ut digniſſimum, ita Choro proximum quieviſſe.

Solito etiam profundiùs erat defoſſus, ità ut pedes infra fundamentum porticus jacerent, nempè quo non facilè, inde effodi aut auferri poſſet.

In

In Vita ejus legitur, quòd ſtatura fuerit infra mediocritatem: facta autem dimenſione, inventus eſt mediocri hominis ſtatura minor, ſcilicet tribus digitis infrà ſex pedes.

Colligitur ex præmemorata parte ſtolæ, aliis elegantioris. Siquidem Gerardus Cortbeen, tertius ab illo ſitus, circum collum partem ſtolæ habebat, ſed ex rudiori panno; ille autem ex Sattino vel holoſerico albo, nigris floſculis intertexto, quam partem Sereniſſimus Elector Colonienſis ſibi reſervavit.

Hoc notatu dignum. Pulchri inventi ſunt flores, qui non ſparſim ſed in faſciculum collecti creverant, vernantes ridentésque, floribus Majalibus ſimiles. Flores illi radices habebant, in talo ſiniſtræ tibiæ, ad partem interiorem erecti in altitudinem pedis, colore albo, rubro & flavo, quos ego dextera manu decerpſi. Contecti fuerant terra decem pedes alta, aut potius arena, cum prædictum monaſterium in monte arenoſo ſitum ſit, dedicatum S. Agneti; ſed arena adeò denſa & ſibi cohærente, ut magno labore fuerit effodienda: ideoque flores illi à prudentioribus ut prodigium aliquod habentur, cùm ſol eos nunquam irradiare potuerit.

Nullibi, præterquam in ejus tumulo, limus cæmentarius inveniebatur, quo ſandapila oblita fuerat, ad corpus diutius incorruptum cuſtodiendum. Huc accedit, quòd ſupradictum Chronicon dicat pag. 137., *Thomam à Kempis* ad latus Fratris Petri Herbort Diaconi ſepultum fuiſſe, illíque proximum. Hic Petrus Herbort (ut idem Chronicon aſſerit pag. 135.) erat parvâ ſtaturâ; & natura adeò tenera, ut conſtitutas Regulas ſervare non poſſet. Inveniebantur quidem, in loco proximo ad *Thomam à Kempis*, lineæ nigræ, ſarcophagi (ut dictum eſt) indicia, ſed locus vacuus erat, ita ut hic Diaconus Petrus Herbort, pro teneritudine & debilitate corporis, totus in cineres abierit, nihilque de ipſo inveniretur. Item affirmat idem Chronicon pag. 136, hunc Petrum Herbort, ſepultum eſſe ad latus Fratris Gerardi Cortbeen, anno MCCCCLXX, ut ipſe Thomas à Kempis in ſuo Chronico refert. Hic erat ſacerdos, natus

ius in Harderwyck ; *Homo fortis & aptus ad communes & graves labores* pag. 134. Sceletum ipſius proximum reperiebatur loco vacuo, in quo fuerat ſepulcrum Petri Herbort; collum, ut dixi, circumdatum Stolæ parte ex rudiori panno : & facilè colligi poterat ex oſſibus, eum fuiſſe magnum & robuſtum, adeoque aptum qui tempore meſſis egregie laboraret, & hiemis tempore ligna cæderet, & alia laborioſa ſubiret.

Habeo veram effigiem *Thomæ à Kempis*, appenſam in Sacello meo, quacum cranium convenit.

Ex omnibus his præmiſſis rationibus & indiciis concludi poteſt, præfatas Reliquias eſſe B. M. *Thomæ à Kempis*: quæ oſſa, ordine naturali invicem juncta, firmiter adhærebant. Verùm hic XIII. Auguſti Stylo novo, in præſentia Reverendiſſ. D. Canonici Metropolitanæ Eccleſiæ Colonienſis, Henrici Meringh, utriusque Juris Doctoris, Commiſſarii ſuæ Celſitudinis; D. Emanuelis van Twenhuyſen, Prætoris Swollenſis; P. Franciſci Corlui, P. Gaſparis Everhardi Schriek, Canonicorum Regularium; me quoque infra ſcripto, pluribusque aliis præſentibus; primùm à Patre Corlui, deinde cum hic deficeret, à P. Schriek juncturis exempta eadem oſſa ſunt; ac denique, ex loco ſepulcri, in quo ducentis & uno anno quieverant, reverenter ſublata, & rhedæ impoſita, Swollam avecta. Poſtmodùm Sereniſſimus & Reverendiſſimus Elector Colonienſis, per dictum Commiſſarium Canonicum Colonienſem Henricum Meringh, transferri ipſa oſſa juſſit in Sacellum meum, S. Joſepho dicatum, ut hic requieſcant, diligenterque cuſtodiantur, & nihil ex ipſis alienari poſſit; ſicut mihi mandavit ſerenitas ſua, cum in procinctu eſſet ut diſcederet. In hunc finem reliquit in Mandatis Domino Meringh Commiſſario ſuo, ut curaret fieri capſam pretioſam recondendis cuſtodiendisque Reliquiis hujus Deo amabilis viri, prout factum eſt. Ego enim ipſe XXIX. Junii, Feſto Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli ſtylo veteri MDCLXXIV, majora oſſa capſæ impoſui; & minora in ſcrinio, intra eandem capſam collocato; item in altero

ro ſcrinio ſupra alterum poſito, recondidi aliquot ipſius dentes & particulam cappæ; aliquot etiam flores aridos, qui circa talum ſiniſtri pedis ad interiorem partem creverant, ut ſupra memoratum eſt; nec non ceſpites duos, qui capiti ſuppoſiti fuerant; limum cœmentarium, quo ſarcophagus circumlitus; & clavos, quibus connexus fuerat: hæc enim omnia juxta cadaver inventa ſunt.

Ut ſepulcrum ejus omni tempore inveniri poſſit, ſtatim poſt ſublatas Reliquias, in teſtimonium poſiti ſunt duo griſei lapides, de templo aut monaſterio; unus ad caput, ad pedes alter, terraque contecti. Hæc omnia, prout ego mea manu deſcripſi, vera eſſe coram Deo, Hominibusque declaro, & propria manu ſubſcribo. *Subſcriptum erat*, Arnoldus, Waeyer, Paſtor filiusque Swollenſis, verus ocularis teſtis.

Hactenus ille, Belgica noſtra ſeu Teutonica lingua: Latina deindè ſic proſequitur: Poſtquam Reliquiæ pii *Thomæ à Kempis* mihi in cuſtodiam traditæ, & in Sacello meo collocatæ ſunt; ſequentes gratias ejus patrocinio ad dictas Reliquias acceptas atteſtor. Anno MDCLXXIV. tempore æſtivo, Virgo devota, cujus manus dextera aliquo tempore arida, omnique motu ac ſenſu deſtituta, atque à Chirurgis derelicta erat, vovit, ubi pius Thomas à Kempis à Sancta Eccleſia in Sanctorum numerum relatus eſſet, velle ſe annuatim in ejus profeſto jejunare; & feſtum ipſum, Confeſſione, Communione, ac piis exercitiis ſine ſervili opere celebrare. Aſt illo nondum Sanctorum numero adſcripto - id peragere non potuit. Hæc Virgo tamen, ſub meo regimine exiſtens, in eadem intentione permanſit, & votum ſuum implere voluit. Interim factâ Confeſſione, ac ſumptâ Euchariſtiâ, ſedens coram ejus tumba, votum, quo anteà ſe obſtrinxerat, renovavit VI. die Novembris, & cæpit convaleſcere: & brevi tempore ſanitati reſtituta eſt, adeò ut dextera manus ſuis omnibus officiis fungeretur, ſicut altera quæ nunquam manca fuerat. Præterea varias perſonas, dolore dentium laborantes, ejusdem patrocinio liberatas comperi. Inſuper in Sacello meo Suaviſſimus

odor

odor aliquoties, à variis & fide dignis utriusque ſexus, immò & in congregatione populi more noſtro habita, perceptus eſt.

PARS VIII.

ERRATA PERSONALIA
NOVI GERSENISTÆ IN PUNCTO ERUDITIONIS EXPONUNTUR.

§. 259.

Diſſertationem ſuam CRITICAM vocat. fol. 1. ERRAT. Ars Critica vocatur, qua Scripta veterum genuina diſcernuntur à ſpuriis. Gerſeniſta novellus tribuit Homilias Joannis Vincellenſis Decretorum Doctoris Joanni Vercellenſi ſe ipſo teſte duobus ſæculis antiquiori. Errorem palpare potuiſſet, ſi Homilias illas legere, & frequentes allegationes recentiorum textuum Juris inſpicere maluiſſet. Hoc non eſt Critici. Præſumit poſtliminiò reſtituere *Polycraten Gerſenſem* à me in Scutô Kempenſi, ad quod me ſæpiùs refero expreſsè; dudum exauthoratum. Hoc Scutum Kempiſianum nec legiſſe nec vidiſſe ſe monſtrat. Hoc non eſt Critici (a) Vix ullum inter principia à Criticis præſtabilita à novo Gerſeniſta obſervari, hucusque vidimus. Refigenda proin ſuperba inſcriptio Tituli, eique juſtiùs adſcribendum illud *Horatii:*

Fœcundi calices quem non fecere diſertum?

li. 1. Epiſt. 5.

§. 260. *Polycratis Gerſenſis exauthorati* libellum *veterem næniam* vocat. fol. 11. ERRAT Gerſeniſta. Vetus nænia Præficarum carmen funebre eſt. Cui funeri ego planctum lugubrem, lachrymásque coactas ſolverem? Gerſeni forſan Vercellenſi, Decretorum Doctori? Quomodo plangerem mortuum, quem nunquam natum agnovi?

§. 261. Vidi nimiam Canonicorum confidentiam, quæ eò deveniſſe ſcribitur, ùt è *Cathedra templi Pollingani* rumor ſpargeretur,

(a) Vide P. HONORATUM. *De uſu Critices.* Differt. 1. Art. 1. & 2.

neminem in Bavariâ reperiri, qui Informationem plenam reformare audeat. fol 12. Superis gratias immortales! Me etiamnum vivô poſt triginta quinque annos tandem aliquando inventum eſſe Gerſeniſtam Juvenem, qui tantis excidere non vereatur auſis! Alii ſagaciores fortè ſupremum meum diem expectant, ſecuriùs rati, dimicare cum umbris. Vereor tamen, ne fallantur & iſti. Exorietur, ùt ſpero, ſuſcitante Deo, *noſtris ex oſſibus ultor*. Quod rem ipſam ſpectat, Gerſeniſta longè aberrat. Thraſoniſmus ex Cathedra noſtrâ non perſonat ex ore noſtrorum. (a) Quidquid in Exedris Sacris ad explanationem verbi divini ſanam, Informationem fidei ab Eccleſia approbatam, aut directionem morum à quæſtu puram non ſervit, tanquam purgamenta abjicimus, execramur, devovemus orco. Verumtamen, *ſcribitur*, Gerſeniſta teſtatur. *A quo? quando?* hoc ſcribitur? Nil credibile ſine teſte idoneo (§. 1.). Ipſemet Gerſeniſta fol. 116. ex *Quatremario* teſtimonium ſine authore, authoritatem ſine teſte rejicit. Si hoc in hiſtoricis circa quæſtiones facti antiqui obſervandum, quantò magis à Gerſeniſta obſervandum erat circâ turpe gloriationis ex Cathedra publicæ, & *nimiæ complacentiæ* & *inſpuitionis* protervæ vitium, ne non modò uni, ſed omnibus exprobraret ſine Actis publicis? ſine teſte idoneo? An fortè authorem Polycratis Gerſenſis, (b) qui ante triginta fermè annos, iisdem fermè verbis

(a) Benè tamen ex ore Benedictinorum. Teſtis ſit P. R. P. Placidus Böckn, O. S. B. &c. &c. qui ex Cathedra Templi Lunæ-Lacenſis anno 1748. peroravit, dari Manuſcriptum tribus annis manuſcripto V. Thomæ Kempenſis antiquius. En verba ipſius: In dem achten *Seculo* (von der Stifftung an) hat *Henricus* daſelbſten viel dergleichen Bücher mit ſeiner Hand verfertiget, und von Ihme iſt auch vorhanden das goldene Büchlein von der Nachfolg Chriſti umb drey Jahr älter als des gottſeeligen *Thomæ Kempenſis* Handſchrifft. En! ex ore & ex Cathedra Benedictinorum perſonat Thraſoniſmus!

(b) Addo ejusdem formulis, ut omnibus pateat, qui omnibus ſiniſtram de me & meis opinionem inſpirare modô certè non angelicô intendit, quam fidum exſcriptorem ſe probaverit novus Gerſeniſta. En effrontem calumniatoris Schyrenſis petulantiam, planè,

Polycrat. Gerſens. anno 1729. fol. 211. hæc ſcripſit: *Electa eſt altera pars* (ſilens patientia	*Diſſertator Schyrenſis* anno 1760 pag. 12. hæc ſcribit: *Vidi nimiam Canonicorum complacen-*

verbis hanc querelam, ne dicam calumniam, ſtruxit? A tanto tempore quæ nova Gerſeniſtæ Schyrenſi irarum cauſa? quæ nova ex Cathedra diſſidiorum ſcintilla, ut tanquam *præſenti* injuria provocatus proſiliendum ſibi inſtar generoſorum catulorum ad arma pro ſalute omnium totius ſui Illuſtris Corporis membrorum ducat? *Scribitur*, inquit, in Conjugatione præſentis temporis. Qui in cauſa Kempiſiana quod illum textum: *ait humilis S. Franciſcus*, urgendam conjugationem præſentis temporis modis omnibus perorat, conſimiliter in præſenti conjugationis tempore, *ſcribitur*, inquit. O hominem inteſtatum, aut oblitum ſui!

§. 262. Adverſarii libellus Sarcaſmis ſcatere legitur fol. 13. ERRAT Gerſeniſta. Sarcaſmus eſt jocus cum amaritudine loquentis conjunctus. Teſtor experientiam mentis. Cùm nullum unquam ſentirem cauſæ Kempiſianæ gravius vulnus, ad tela Gerſeniana cum amicis meis ſemper hilariter riſi.

§. 263. *Buſchius* ſcripſerat, quæ vidit, audivit, inſpiratus eſt. fol. 15. ERRAT Gerſeniſta. *Buſchius* dicit, ſe inſpiratum fuiſſe à Deo ad ſcribendum ea, quæ vidit & audivit; non verò dicit, ſe ea ſcribere, quæ inſpiratione didicit. En! ejus verba in Præfatione ſui Chronici. *Aggrediar ſcribere ea, quæ coram poſitis oculis ipſe conſpexi aut à meis majoribus frequentius audivi, aut à generali noſtro Capitulo determinata cognovi, & ea ſic ſcribere divinitus inſpiratus ſum.* Quæ fides adhibenda Gerſeniſtæ, qui in primis ſuæ Opellæ lineis Te-

niſi ætas fortè veniæ quid impetrare poſſet, intolerandam! dùm ex ejusmodi rumore quaſi recenter ſparſo adeò irritatum ſe ſcribit, ut calamum continere nequiverit. Siquis, hic certè meliùs manſiſſet domi ſuæque famæ pepercisset; quam tot mendaciis injuriis, calumniis Diſſertationi inſertis publicè ipſemet proſtituit, *Informationem* enim nequaquam *reformavit*; immò nec obtulit *Unguem*.

Polycrat. Gerſens.	*Diſſertator Schyrenſis.*
tientia) *& ad hodiernam diem cuſtodita, licèt ſæpiùs irritata, etiam in Cathedra templi. ſparſo rumore neminem reperiri in Bavaria qui Informationem illam reformare audeat.* Hæc Polycr. Gerſens. an. 1729.	*placentiam; qua eo deveniſſe ſcribitur, ut è Cathedra Templi Pollingani rumor ſpargeretur, neminem in Bavaria reperiri, qui informationem plenam reformare audeat.* Hæc Diſſertator Schyrenſis an. 1760.

ſti omni exceptione majori (§. 14.) tam enormem Enthuſiaſmi impingit calumniam, & contentus alieni excerptoris imperfectô textu non inſpicit fontes? (a)

§. 264. Eam vitam Thomæ, quam in Vernacula ad manus habeo in compendium traho. fol. 15. Non eſt Critici, fidere Biographo Vernaculo, ſcribenti ſolùm idonea pro inſtructione plebis, ubi fontes latini facilè poſſunt inſpici, & ex circumſtantiis peractæ vitæ argumenta contra perſonam trahenda ſunt. Si Gerſeniſta legiſſet Vitam Kempiſii ex *Aſcenſio Jodoco Badio*, non tam petulanter *Venerabilem* contrectâſſet.

§ 265. A quodam ſacerdote (Florentium Thomas vocat) ſuſceptus. Siccine loquimur de luminaribus, aliiſque viris inſignibus primariis ſui ſæculi? ſi ſcribat quis: *De quodam monacho, quem nonnemo Mabillonium, Tritbemium, Bernardum, Brunonem, Benedictum &c. vocat*; an non proderet ſuam ignorantiam, qua de his perſonis tanquam viris obſcuris, ſibi & mundo incognitis loqueretur? Sic & Gerſeniſta oſtendit, ſe vitam Florentii, viri ſuo ævo, & in Hiſtoria Eccleſiaſtica celebris, quam à Kempiſio conſcriptam inter hujus Opera, & in Chronico Windesh. inveniſſet, ne vidiſſe quidem. Hac Eruditionis armatura cinctus Gerſeniſta aſſumit nomen Critici!

§. 266. *Thomas K.* Oeconomi labores (poſt ſubprioratus officium) ſubire coactus eſt. Quod officium non niſi poſt effuſas lachrymas deponere licuit. Hinc illud l. 1. c. 20. ſcripto reliquit: *Quoties inter homines fui, minor homo redii.* Heus amice lector! ſi ſapis, colliges: Thomam librum de Imitatione tunc primum, ſi compoſuit, compoſuiſſe, quando ſecunda vice officio Subprioris fungeretur. fol. 17. 18. Si huic illationi nullus, qui ſapit, reſiſtere poteſt, colligo, *Gerſeniſtam Schyrenſem nunquam adhuc inter homines fuiſſe*, quia nunquam adhuc œconomus fuit. Si autem inter homines necdùm fuit, haud dubie inter Logicos aut Tyrones criticæ necdùm

(a) Puerorum eſt cuilibet obvio impingere mendacia.

dùm fuit, cùm & iſti homines ſint; quod poſterius conſectarium plura ejus ratiocinia confirmant. Cùm ergò iſte Gerſeniſta necdum inter homines ac proin necdùm inter Tyrones Criticæ fuerit, patiatur ſe inſtrui ex mea *Hermenevtica*, quam inſerui *Arti Criticæ*. Parte 3. §. 2. has tres tradidi Regulas. 1. Pro illo verborum ſenſu ſtat præſumptio, quem verba communiter habent ex uſu loquentium. 2. Quando verba ex uſu loquentium ſunt indifferentia ad duplicem ſenſum, tunc reſpiciendum eſt ad intentionem loquentis. 3. Quando nec uſus loquendi certum ſenſum determinat, nec intentio loquentis nota eſt, recurrendum eſt ad circumſtantias verborum, ad contextum, ad connexionem doctrinæ, ad totum diſcurſum, id eſt, ad ſubjectam materiam. Hæ ſunt meæ tres Regulæ Hermenevticæ. Jam quæro 1. an fuiſſe vel non fuiſſe inter homines ex uſu loquentium ſignificet: *fui*, vel *non fui œconomus?* 2. An intentio Authoris fuerit potiùs, religioſos præſervare ab ambitu œconomici officii, cui ipſemet in ſpeciali Opuſculo *de Officio Procuratoris* præſcripſit directiones ſanctas, quàm ab inutili Religioſorum cum ſæcularibus hominibus converſatione? 3. An contextus tractet de œconomis, vel de religioſis privatis? *Circa* 1. nemo de œconomo præter Schyrenſem Gerſeniſtam ſomniat. *Circa* 2. & 3. Ipſemet author in contextu reſpondet: *Quære*, inquit, *aptum tempus vacandi tibi. Relinque curioſa. Si te ſubtraxeris à ſuperfluis locutionibus & otioſis circuitionibus, nec non à novitatibus & rumoribus audiendis, invenies tempus ſufficiens pro bonis meditationibus. Dixit quidam: Quoties inter homines fui, minor homo redii. Hoc ſæpiùs experimur, quando diu confabulamur &c.* Ex his patet, intentionem loquentis & contextum non tractare de œconomis, ſed quovis Religioſo. Denique Gerſeniſta enormiter errat, dum ſe fundat in ſententia tanquam prolata ab authore libri de Imitatione, cum tamen author eam præcisè referat, ut prolatam ab *aliquo*. *Dixit quidam*, inquit. Quis iſte *quidam?* Facta & ſua dona à Deo accepta Kempiſius aliquoties Kempiſio hoc modo recenſet, dicta ſua vix unquam. Itaque incerto ſuppoſito ſuperſtruit

ſtruit Gerſeniſta ſuam Epocham Kempiſianam, ſicque oſtendit, ſe nec Logicum nec Criticum eſſe; Logica eum docuiſſet, terminum *aliquis*, *quidam* ſupponentem *disjunctivè*, *determinatè* pro uno disjunctorum membro ſumi non poſſe. Mea *Ars Critica* Part. 1. §. 2. n. 7. ipſi monſtraſſet; quando in cauſa ad plures contingentes effectus (aut viciſſim in effectu ad plures contingentes cauſas) reperitur æqualis diſpoſitio (aut referibilitas) præſumptio de uno determinato effectu (vel una determinata cauſa) ſe habet ùt unitas ad numerum reliquorum poſſibilium effectuum (vel reliquarum poſſibilium cauſarum) Conſequenter cùm in præſenti caſu ſub termino *quidam* potuerint disjunctivè intelligi plùs quàm mille viri in Aſceticis experti v. g. Monachorum Patres, *S. Bernardus*, *S. Bonav.*, *Rusbrochius*, Primi Patres Windesh. &c, &c, Præſumptio ſeu probabilitas determinatè pro Kempiſio ſe habebit ùt $\frac{1}{1000}$, ac proin erit fermè nulla.

§. 267. Sciendum *Thomam integro ſexennio hoſpitem S. Agnetianum* ad Tyrocinii rudimenta admiſſum non eſſe. R. Quis eſt hoſpes? an ille qui animum habet *ſtabiliter* manendi? an ille, qui ſolum *tranſeunter divertendi?* Gerſeniſta, ùt video, etiam in Grammatica puri idiomatis latini adhuc hoſpes eſt. Vide §. 53.

§. 268. *Sex annis Tertiarium*, ſit verbo venia, agere debuit. R. Si fuiſſet animo pudor, non opus foret de impudenti verbo deprecatione veniæ. Vide §. 53. 54. 55. 56.

§. 269. *Jodocus Badius & Franciſcus Tolenſis* vocant Thomam *adoleſcentem Tyronem imperitum religioſæ vitæ.* R. Gerſeniſta aut impudenter mentitur, aut impudenter mentientem ſtupida ovis ſequitur. In Badio & Tolenſi non ſolùm nihil horum continetur, ſed è diametro contraria. En! verba Badii c. 11. & 12. *Quodam die feſto peractis jam divinis, cùm Florentius alumnum ſuum Malleolum ſolito alacriorem vidiſſet, vocatum eum in ſuum cubiculum ſic affari inſtituit: Thoma, fili in Domino chariſſime, tempus appetit, quo tibi conſtituendum eſt vitæ genus. Vides, quot in mundo ſint ærumnæ, quot laquei, quot pericula!*

cula! - Eſt autem via duplex ad ſalutem; activa altera; altera contemplativorum. Utramvis autem delegeris, tutiùs & rectiùs eam in clauſtro, quam in mundo geſſeris. - Teipſum habes, corpus habes, voluntatem habes: hæc offer Domino. - Neque dubito, quin grato ſis in optimè de nobis meritum animo: ſæpe enim perſpexi in te pietatis indicia. Sed forſitan ſciſcitaberis; quam potiſſimum commendem Religioſorum formulam? Sunt enim plurimæ & omnes bonæ. Sed (adoleſcentibus) *iis, qui à nobis ſunt inſtituti, ea videtur optima, quam Gerardus Magn. nobis moriens reliquit commendatiſſimam, Canonicorum videlicet ſub canone D. Aug. viventium, quorum, ut noſti, nuper duo ereximus collegia. Ad hæc optimus adoleſcens Thomas. Quod multis votis pluſculos jam dies optavi, Pater, etiam ſperandi anſam præbes. Quandoquidem enim in Windesheim germanum habeo; utinam faxit charitas tua, ut in monte D. Agnetis locum inter condiſcipulos chariſſimos inveniam. Tentabo, inquit, Florentius, & poſtridiè dedit illi ad Cœnobii Primarium litteras. Acceptis litteris optimus adoleſcens ad dictum cœnobium advolavit. Primarius lectis litteris ingenti gaudio eſt intus quidem affectus, quia & puerum novit, & ſcivit, neminem à Florentio commendari temerè, vultu tamen ſeveriore ad bonum pueri ad pedes proſtrati, periculum, inquit, faciam, in litteris, in moribus, in valetudine tua, an onera noſtra nobiſcum perferre valeas, datâque manu ad reliquos Novitios produxit. At quamvis in omnibus morigerum & ad religionem aptiſſimum comperit, illius tamen profeſſionem ſexennium totum diſtulit, ſive quod tunc cavebant, quemquam adhuc rerum imperitum ad ignotarum rerum vota adſtringere, ſive quod è re adoleſcentis exiſtimabat, ipſum priùs per omnia probare. Admiſſus ad Ordinem, agnovit Dei in ſe illud beneficium, de quo in ſoliloquiis meminit. Ne retrorſum iterum abirem, voto me ſponte adſtrinxi. In Sodalitium igitur admiſſus omnes replevit religionis numeros, ſic comes, ſic affabilis omnibus, ut omnium ſuffragio ſubpræfecturæ ſeu ſubprioratui, licet invitus præficeretur.* Ita Badius. Eodem modo ſcribit *Franciſcus Tolenſis* ex priſcorum monumentis. *Natus eſt,* inquit, *Thomas noſter anno* 1380. *Puer, ut primum per ætatem licuit, Daventriam miſſus eſt, colendi elimandique ingenii ergo. Daventriæ agens dum in hoc totus in-*

cumbit, ut parentum non eludat exſpectationem bonæ indolis magnæque ſpei adoleſcens paulatim irrepſit in illuſtrium virorum familiaritatem. - Horum cura & opibus ſublevatus in artium bonarum ſtudiis perſiſtit. - Jam tum illi vileſcere hæc rerum caducarum univerſitas, delitiæ ſæculi cœpere. - Hæc ille commoda ex virorum illorum quotidiano congreſſu & familiaritate metebat. - Hac ratione dum probe inſtitutus probius etiam & integrius decurrit vitam, factum eſt, ut D. Florentii, qui Thomam noſtrum filii loco habebat, juvenisque animum & deſiderium ad cœleſtia flagrantiſſimum perſpectum habebat, opera & atteſtatione commendaretur accuratiſſimè ejus germano fratri, qui tum præerat monaſterio recentius condito, cui nomen D. Agnetis. Domus ea tempeſtate obſcura, pauciſſimis nota raro colebatur cive, ferè ut ſunt rerum omnium exordia humilia. Non refugit tanti viri vel authoritatem vel conſilium ſequi juvenis Thomas, qui, ubi in montem D. Agneti ſacrum venit, ſuſceptus eſt vel in gratiam Florentii obviis quod dicitur ulnis. Ut vidit beneque perſpexit, extemplo probavit locum, velut à Deo paratum vitæ portum. Ingreſſus tum erat annum vigeſimum. Non tamen, quod plerique ſolent, è veſtigio præcipitavit ſe in hoc vitæ genus, ignarus quid ferre velint, nolintque lacerti. Quinque igitur annos Tyro & religionis candidatus exegit, ſexto ſacrum habitum induit, ſequenti profeſſionem fecit. - Ad poſteritatem tranſmittere omnem vitæ curſum, qua in Deum pietate, in fratres flagraverit charitate, qua animi ſubmiſſione ſuis ſervierit, quibus operis vitæ curſum decurrerit, non eſſet noſtrarum virium. Hoc certi & explorati habemus, ſemel illum œconomiam adminiſtraſſe ætate adhuc florente; bis Suppriorem egiſſe. Temporis illum ſummam habuiſſe rationem, tot ſua manu conſcripta volumina probant. Superſunt adhuc univerſa Biblia in quatuor Tomos diſpertita. Liber, quo in ſacris utimur. Tum aliqua D. Bernardi Opuſcula, præcellenti arte & magna induſtria à Thoma conſcripta. Rogatus, ex tempore in quorundam commodum declamitare (concionari) *nunquam abnuit. Complures ſæpe numero ex urbibus, locisque remotioribus, quos fama exciverat ejus audiendi cupidi, huc confluxere. In corona gravium virorum, ſi ipſo præſente forenſia, aut mundana agitarentur,*

rentur, velut mutus ac elinguis ſedebat, nec reſpondebat, ne rogatus quidem. Si de Deo rebusque cœleſtibus haberetur ſermo, mox poſtulatus ſententiam velut limpidiſſimus fons diffluebat. Ita Tolenſis. Hæc omnia longè diverſa ſunt ab iis, quæ Gerſeniſta Schyrenſis Jodoco Badio & Franciſco Tolenſi affingit. Si quis diceret: *Quidam Reverendiſſimus Abbas Placidus compluribus ſuorum Sacerdotium conformiter ad veterem Eccleſiæ diſciplinam, & laudabiliſſimam conſuetudinem Societatis JEſu per plures annos diſtulit; ne quis in virtutibus ſolidis & diſciplinis Eccleſiaſticis imperitus, aut in humilitate & modeſtia religioſa necdum ſatis exercitatus in Sancta Sanctorum, & Tribunal ſacrum adrepat*, an per hoc diceret, ſingulos ſic dilatos fuiſſe imperitos, inexercitatos? Prudens legiſlator non ſemper præſupponit commiſſa, ſed etiam præcavet committenda. Errat prom; nec ſolùm errat, ſed etiam fallit Gerſeniſta Schyrenſis, dum Badio verba *minore charactere expreſſa*, ut ei propria, affingit fol 20.

§. 270. Quaternio authorum eſt, ſi Roſweydo fidem damus, quibus lubitum erat vitam Thomæ compilare. Audiamus illos. Vitam *Thomæ*, ajunt: nulli eorum, qui cum ipſo ætatem agitaverunt, curæ fuiſſe. Egregiè vapulant à Roſw. prædicti vitæ compilatores. f. 20.

Reſpondeo. Habemus denuò tres falſationes publicas & Errata Gerſeniſtæ. 1. Falſum eſt illud *ajunt*. Solùm unus horum quatuor authorum de vitæ Kempiſianæ anterioribus Scriptoribus loquitur, nempe Franciſcus Tolenſis. Reliqui tres ſilent. 2. Falſum eſt, à Franciſco Tolenſi ſcribi, vitam Kempiſii confratribus ejus non fuiſſe curæ; ſolùm aſſerit, *conſcriptionem vitæ illius* ejus fratribus non fuiſſe curæ. *Buſchius*, *Hermanus de Hallis*, & author vitæ anonymus ſatis oſtendunt, confratres Kempiſii fuiſſe attentos ad bona illius exempla. 3. Falſum eſt, quatuor illos vitæ Kempiſianæ Scriptores *egregiè vapulare à Roſweydo*. Ipſemet enim *Roſweydus* ex quatuor illis Vitis conflat unicam, nec aliquid reprehendit in Badio & Tolenſi niſi ſtylum panegyricum, non hiſtoricè, ſed Rhetorice amplificatorium. In Tolenſi corrigit, quod ea, quæ Buſchius ſcribit de

Joannis Kempiſii familiaritate, cum Gerardo communia exiſtimarit, Thomæ Kempiſio. Nemo dicit; *egregie vapulare* Hiſtoricos veteres aut recentiores v. g. Baronium ab *Antonio* & *Franciſco Pagio*, etſi in centum aut mille locis corrigatur. Vapulare dicuntur illi Scriptores, quibus deeſſe oſtenditur *ſinceritas* ac *bona fides*: falli autem nonnunquam in rebus chronologicis, geographicis, & pertinentibus ad circumſtantias, etiam Magnorum Hiſtoricorum eſt.

§. 271. Contrà hiſcebat *Roſweydus*. Roſweydum confutabat *Conſtantinus* giganteis conatibus fol. 22. ERRAT Gerſeniſta. *Roſweydus* etiamnum *auditur* per univerſum orbem; labor *Conſtantini*, Enceladi, Tiphoei, & aliorum Titanum inſtar, intra conatus ſtetit.

272. Tandem *Mabillonius* ex Italia redux Codices quosdam attulit, eósque Criticorum ad hanc cauſam diſceptandam Pariſiis, congregatorum judicio ſubmiſit, quorum aſſenſione res in favorem Benedictinorum 1687. octava Julii comprobata fuit, ſicque noſtri litem eyiecerunt fol. 25. Errat & fallit Gerſeniſta. *Dupinus*, qui illi judicio Eruditorum interfuit, & ejus Acta per extenſum in ſua Bibliotheca Scriptorum Eccleſiaſticorum deſcripſit, ſic ſcribit: „ *Mabillonius*, & *Michael Germain* Benedictini, Italia reverſi, hinc detulerunt Manuſcriptos Codices tres (Aronenſem, Bobienſem, Parmenſem) Tum verò *Faurum*, *Ducangium*, alióſque complures harum rerum peritos, inter quos adſcribere me dignati ſunt, acceſſiverunt 28. Julii anni 1687. qui examinatis his Manuſcriptis Codicibus declararunt, primi Manuſcripti characterem non videri inferiorem annis trecentis; ſecundum ejusdem eſſe ætatis, Tertium complecti præter L. de Imit. Regulam S. Ben. cujus deſcriptio ad umbilicum pervenerat 1466. Hic ſtetit controverſia, quæ hucuſque ſub judice manet. Videbimus poſteà, an judicium aliquod ferri poſſit? & in quorum gratiam. Ita *Dupinus* §. 1. „ Dein §. 12. ſic ſcribit: Fatendum eſt, nullo argumento aut teſte probari poſſe, Joannem Gerſenium Abbatem fuiſſe S. Stephani Vercellenſis „ Nihil etiam eſt, quod oſtendat, eum ortum eſſe dè *Canabaco*,

aut

,, aut Canabacum idem eſſe cum *Cavaglia*. Neſcitur etiam, quis
,, fuerit ille Joannes Gerſen. In nullo Codice Abbatis dignitate de-
,, coratur, præterquam in Aronenſi, at cujus ordinis aut loci, ta-
,, cetur. Atque ita Benedictini non magis illum vendicare ſibi poſſ
,, ſunt, quam Ciſtercienſes, aut alii monachi, qui Abbatias, &
,, Abbates habent. Joannis de Canabaco nomen occurrit in uno
,, Manuſcripto Allatiano poſt annum 1448. deſcripto, & quidem
,, agnomen illud *ſupra lineam* poſitum eſt, quamvis ejuſdem manus.
,, Joannis Abbatis Vercellenſis falſus eſt titulus. Fatendum itaque
,, eſt, veriſimile admodum eſſe, fictitium hunc hominem eſſe,
,, qui nunquam in rerum natura extiterit. Et §. 11. Poſtquam ea
,, omnia, quæ à viris eruditis hinc inde ſcripta retulimus, non poſ-
,, ſum, quin illis Terentianum illud oggeram: *Feciſtis probe.*
,, Incertior ſum multò, quàm dudùm. Nec ſolum ex his
,, certus author libri de Imitatione non eſt detectus; verum & igno-
,, tior atque incertior factus videtur. Conemur tamen, ex his conſe-
,, ctaria quædam elicere. 1. Certum eſt, Opus hoc non eſſe D. Bern.
,, 2. Nec quicquam veriſimile eſt, Ludolphum ejus authorem eſſe.
,, 3. Nullum eſt (puta, hactenus inter producta) argumentum invi-
,, ctum, quo probetur Th. à K. 4. Lib. de Imit. Thomæ à K. ve-
,, tuſtiorem eſſe aliquatenus veriſimile videtur. Argumento eſſe
,, poſſunt Manuſcripti Codices Aronenſis, Sirmondianus, Bobien-
,, ſis. 5. Certum eſt, librum de Imitatione vivente ipſo Thoma à
,, Kempis attributum fuiſſe D. Bernardo, Carthuſiano, Gerſonio,
,, & Gerſenio. 6. Joannes Gerſonius, Univerſitatis Pariſienſis
,, Cancellarius, is videtur eſſe ex tribus contendentibus, cujus cau-
,, ſa melior, ſi conſulantur externa teſtimonia; at duo obviant,
,, monachi profeſſio & ſtyli diverſitas. In ſumma Operis de Imita-
,, tione author æquè incertus remanet, ac fuit ab initio, & unicui-
,, que è tribus contendentibus (Gerſone Thoma K. Gerſene) cauſa
,, ſemper ſupereſt probabilis: at nullus jure ſuo perſpicuè demon-
,, ſtrato in judicio vincit. ,, Hucuſque *Dupinus*, unus Aſſeſſorum in

Synedrio pauculorum Eruditorum Pariſienſi. Ex hoc autem evidens eſt, aſſenſione Eruditorum Pariſienſium rem in favorem Benedictinorum comprobatam non fuiſſe, nec Gerſeniſtas litem eviciſſe, prout Gerſeniſta Schyrenſis Sciolis nonnullis, noſtro tempore ad omnem novitatis auram in Auſtrum, Eurum, Corum, cæteróſque Æoli flabros ſine rerum profunda indagine ſemper alatis, ſuadere conatur.

§. 273. Obſervo præterea, ſi Dupini & Eruditorum Pariſienſium judicio Gerſon Cancellarius in Corrivalem admitti debeat, hos terminos: *trecentis annis* eſſe intelligendos *incluſivè*. Alioquin Gerſon, qui natus eſt 1363. non poſſet exiſtimari author libri de Imitatione. Deductis enim trecentis annis ab anno 1687. remanent 1387. Hoc autem anno Gerſon, juvenis viginti quatuor annorum, adhuc occupatus in ſtudiis ſcholaſticis, à nemine aſſeretur author ejusmodi libri. Manifeſtum itaque eſt, verba illa, *trecentis annis*, quæ deſumpta ſunt ex ipſo Dupino, non habere ſenſum excluſivum, ita ut ſenſus ſit, antè trecentos annos Codicem Aronenſem ſcriptum eſſe; ſed eadem habere ſenſum incluſivum, ut ſenſus ſit, jam tertium centenarium ſeu ſæculum agi, ex quo ille Codex ſcriptus eſt. Sic dicimus: *Tertio abhinc anno, octava abhinc die*, includendo illum annum vel diem, undè numerandi ſumimus initium, idem ſenſus eſt, dum dicimus aliquid factum eſſe ante triduum, octiduum, triennium &c. Sic etiam Chryſ. tom. 6. hom. 26. dicit, ex eo, quòd vixit D. Paulus, jam elapſos eſſe quingentos annos; & alibi dicit; Jeroſolymam jam ante quingentos annos ſubverſam eſſe; cùm tamen Chryſoſt. mortuus fuerit A. 410. & S. *Hier. Ep.* 29. ſcribens anno 406. citat *Iren.* his verbis: *Hoc ille ſcripſit antè annos circiter trecentos.* Certum eſt, *Irenæum* illud ſcripſiſſe anno 176. Itaque primum elapſi erant anni 230. Hi tamen Hieronymo ſunt *circiter trecenti* anni. Si itaque Dupinus & Concilium Eruditorum Pariſienſe dicunt, Codicem Aronenſem *trecentis annis* ſcriptum eſſe, eodem modo intellige; ſubtrahe ab an. 1687. annos 230. & reperies, eum ex mente illorum virorum circa annum 1457. ſcriptum eſſe, quod ipſemet ſine ullo ſcrupulo conceſſerem.

§. 274.

§. 274. Verùm pro Lectore utilioribus occupato jam tandem Erratorum perſonalium, qualia centum adhuc adduci poſſent, intereà ſatis. Claudendi rivuli. In gratiam novorum Confeſſioniſtarum Gerſenii claudam hactenus deducta adjecto Apophtegmate.

AURA QUID MOBILIUS?
FOEMINA,
QUID FOEMINA?
SCIOLUS.
QUID REI SCIOLUS?
REI NIHIL.
SI TAMEN RECULARUM QUID;
LOCUSTA EST LITTERARIA
SALTITANS, VOLITANS
UBIQUE, ET NULLIBI
DOMI.

PARS IX.
ANIMADVERSIONES
AD
CRISIN APOLOGETICAM GERSENISTÆ SCHYRENSIS.

I. GERSENISTA. fol. 6. *Novi, quàm ſcateat erroribus, quàm plena ſit infirmis omnino argumentis* (Amortii) INFORMATIO PLENA.

ANIMADVERSIO. Exſpectare decuerat Juvenem, ſanâ Criticâ inermem, uno alterôve menſe, ut ex præſenti *Deductione meâ Critica &c.* diſceret, quid in rebus hiſtoricis firmum? quid erroneum ſit?

II. GERSENISTA. fol. 8. *Dubia tantum mea propoſui; qui ſolveret, Magiſtrum quæſivi.*

ANIMADVERSIO. Juvenis, dum perpetuò altum Supremi Dictatoris Romani ſupercilium tono deciſivo induit, an non hac ipſâ ſuâ conteſtatione fictâ ſe humilem mentitur?

III. GERSENISTA. fol. 12. *Quomodo mihi mea juventus officitur, cùm ea, quæ Juvenum ſunt, jocos nimirum & mendacia non habeam, nec unquam habere deſiderem?*

ANIMADVERSIO. An iſta fortè puer aut Juvenis quiſpiam Pſeudolus immediatè poſt Confeſſionem ſuorum peccatorum ſic argutatur? Poſt Confeſſionem enim, ſi tamen verax dolor & propoſitum acceſſerit, nec mendaciſſimus puerorum *habet* ampliùs *mendacia, nec deſiderat habere mendacia.* Gerſeniſta certè Schyrenſis *mentiri* rem admodùm facilem putat. RR^mo^ PENNOTO Congregationis Lateranenſis Abbati, Viro non ſolùm Operibus Theologicis, & Hiſtoricis, ſed etiam virtutum ſplendore eximiè claro, mendacium omnium impudentiſſimum, confictionem videlicet Bullæ Pontificiæ, petulanter impingit. Hanc petulantiam ſuperiùs ex ipſo Originali caſtigavi. De P. HESERO S. J. Viro ſcriptis & virtutibus inſigni, deque NAUDÆO, Viro Eruditione, & morum honoratiſſimorum famâ per omnem Europam illuſtriſſimo, impudens Gerſeniſta Schyrenſis fol. 64. hæc formalia ſcribit: *HESERUS Jeſuita ſimilis NAUDÆO mendax.* Legantur Elogia NAUDÆI in NICERONE Tom. IX. *des Hommes Illuſtres,* & M. FOURNIER in ſuis *Obſervations ſur un Ouvrage intitulé: Vindiciæ Typographicæ.* HESERI maculam Scriptorum Societatis Jeſu Spongiæ relinquo. Interim id ſolum erno, ſi Gerſeniſtæ juveni tam facilè videtur, mentiri Viros graviſſimos, nullámne mendaciorum umbram in juvene reperiemus? En! non umbram tantùm, ſed corpus ipſum putidiſſimum mendacii effrontis, ſi nomenclaturam novam Grammatici Schyrenſis ſequimur. Recito ejus verba: fol. 59. ſic habet: *Amort in Polycrate exauthorato ſcribit fol.* 30. *CORRUPTOS CODICES REPERIVI (noſtri Grammatici dicunt: REPERI)* Ita de me Juvenis Schyrenſis. Quis prudenter dubitare poſſet de veritate citationis? Nam etiam folium allegat, & correctionem Errati prætenſi ſubjungit. Et tamen hoc totum allegatum eſt falſiſſimum. Textus meus fol. 30. ſic

sic ſonat: *Crimen falſi Ordini Benedictino non imputavi: corruptos Codices reperiri, & etiam à Benedictinis productos eſſe, non præcipitavi ſententiam.* Hæc mea ſunt verba. An Grammaticello Schyrenſi τὸ *reperiri*, & *reperivi* idem ſunt? Quæ illi fides? Quæ illi Criſis? Si in rebus tam apertè ad oculum falſis calumnioſè mentitur? An dicet, ſe non eſſe mentitum, ſed deceptum? Ergo *reperitur Gerſeniſta*, cujus nec oculis propriis fidendum? Cui nec teſti oculato credendum? Ergo reperitur Gerſeniſta calumniator, qui in ſe errorem propriorum oculorum circa rem immediatè viſui ſubjectam à mendacio diſtinguit, in *Naudæo* verò & P. *Heſero*, ſi quos fortè commiſiſſent errores alieno teſtimonio vel conjecturis veroſimilibus nixos, de quorum tamen nec unico affert argumentum, contra omnem honeſtatem, non modò Religioſam ac Chriſtianam, ſed etiam Ethnicam, *Errata intellectus*, *aut memoriæ* cum turpibus mendaciis impudenter confundit. In hanc claſſem calumniarum etiam pertinet, dum Prælatum, Sueviæ Religioſæ, doctæque decus inſigne, ter meum *mercenarium* contumelioſè vocat. Neminem ego pro denario diurno conduxi unquam. An Gerſeniſta Schyrenſis nullum amorem *amicitiæ*, aut *benevolentiæ* ſed tantummodò *amorem mercenarium* agnoſcit? Nullúmne in orbe *gratuitum amoris obſequium* erga amicos, propinquos, parentes, ſponſos &c. Sed duntaxat *mera obſequia mercenaria* reperiri exiſtimat? An etiam eximium illius obſequium integro Gerſeniſtarum Choro, per inſtaurationem pugnæ à triginta annis deſertæ, exhibitum, *mercenarium* erat? An gratuitum? *Si mercenarium?* Enthuſiaſmo poëtico ex fol. 20. ab eo edoctus illi acclamare cogor: (Vide) *in quantas creatus es ſpes! Sydera gemunt pro te!* (a)

IV. GER-

(a) P. Neumayr in Theatro Aſcetico fol. 203. Unde hunc Textum deſumpſit Gerſeniſta Schyrenſis, non ait *Sydera gemunt pro te*; ſed in ſenſu prorſus alio ait: *Sydera Gemmant pro te.* An non P. Neumayr hujuſcemodi Diſcipulos, Corruptores Textûs, Berniâ dignos cenſeret? . . . Certè Artis Criticæ peritos haud diceret.

IV. GERSENISTA. Fol. 13. *An ad lachrimas uſque reſtiterint Kempiſtæ? & quinam illi? an* Heſerus? *an proſcriptus ab Archiepiſcopo Salisburgenſi Werlinus Dieſſenſis?*

ANIMADVERSIO. Archiepiſcopus Salisburgenſis nec unquam proſcripſit, nec proſcribere ſomniavit unquam WERLINUM Virum Ordinario Auguſtano ob Summæ Eruditionis & Zeli fulgorem præ gemmis pretioſum, ac Præpoſitum Canoniæ Dieſſenſis, ſitæ in Bavaria, in Epiſcopatu Auguſtano, Subjecto Archiepiſcopis Moguntinis. Rem geſtam longè aliter refert nuperus Anonymus Religioſus Ottoburanus in ſuâ ad Cl. SCHELHORNIUM Epiſtolâ, inſerta *Selectis Commercii Epiſtolaris Uffenbachiani*, Part. V. fol. 111. ubi non Werlinus, ſed Petrus Garſenſis, qui Vindiciis cauſæ Kempiſianæ Werlinianis novam Præfationem & Dedicationem, parum Cajetano, Valgravio &c. &c. honorificam præmiſerat, ob terminos more Gerſeniſtæ Schyrenſis concordiæ inter Benedictinum & Canonicum Ordinem adverſos, ad Palinodiam ab Archiepiſcopo Salisburgenſi compulſus aſſeritur. Verùm ea ipſa recantationis formula, quam nuperus Ottoburanus Anonymus Cl. SCHELHORNIO communicavit, ſi attentè expendatur, ſemetipſam ſuppoſititiam, aut certè poſt conceptionem ante partum ſuffocatam oſtendit. Ipſa Authoritas Authoris Epiſtolæ vacillat. Nam ea ipſa Epiſtola Ottoburani caret nomine Authoris, anno, & die; quæ omnia Cl. SCHELHORNIUS, alioquin in annotandis ejuſmodi notis characteriſticis perſonarum & temporum per omnes Epiſtolas antecedentes æquè, ac conſequentes ſolertiſſimus, non fruſtra reticuit. Similiter ea revocationis formula, quam Author Epiſtolæ tribuit *Petro* Garſenſi, caret anno, menſe, die, loco, & teſte, & nomine perſonarum revocationem excipientium. Totum ergo revocationis Petrinæ argumentum nititur formulâ prorſus illegali, quæ nullam ad probandum, circa articulum, etſi de eo conſtaret, cauſæ principali nec hilô præjudicialem, meretur fidem. Certè novæ Vindiciæ Kempiſianæ Wer-

Wer-

Werlini inoffenſo pede, nemine remorante, ſemper cucurrerunt per orbem, atque de novo in lucem prodierunt anno 1649. Coloniæ cum Auctario ſub titulo: *Roſweidus Redivivus, id eſt, Vindiciæ Vindiciarum Kempenſium.* Abſtineat proin imbellis in *Critica* & *Hiſtoria litteraria* Juvenis à Succollatione ruentis Poli Gerſeniani, *non his auxiliis, nec defenſoribus iſtis tempus eget.* Si ipſos Benedictinos Congregationis S. Mauri conſulamus, Werlinus apud eos in nova editione Operum S. Auguſtini in Appendice Tomi V. utramque paginam facit. Ubi de genuinis ac ſuppoſititiis Sermonibus S. Auguſtini agunt, perpetuò in ſuam ſententiam allegant, ducémque ſequuntur *Werlinum*, & *Vindingum*. Certiſſimum autem eſt, *Bernardum Vindingum*, & *Simonem Werlinum* eandem eſſe perſonam, quod ex documentis ſui monaſterii indubiis liquet. Poſtquam enim octies S. Auguſtinum perlegerat, *ſuarum Annotationum* in Opera S. Auguſtini iniquos Cenſores expertus fuerat, in earundem Vindicatione ſub titulo *Bernardi Vindingi* Theologi Auguſtiniani, *Vallameriæ*, NB. *Ammerthal* impreſſa, latere voluit.

5. GERSENISTA fol. 14. 15. Gerſeniſtis argumentum negativum, & anteriorem poſſeſſionem circa Joannem Gerſen de Canabaco aſſerit ex fide MSS. Codicum.

ANIMADVERSIO. In *Deductione mea* oſtendi, Gerſeniſtarum paſſus, magnos licet, eſſe extra viam. Gerſen à Gerſone diſtinctus probandus erat. Identitas tot *Joannum* cum Vercellenſi probanda erat. Poſſeſſio per 300. annos continua probanda erat, Fama ſynchrona, & poſt funera perſtans probanda erat. Inſcriptionem Joannis de Canabaco non poſſe deſignare poſſeſſorem libri, probandum erat. Horum omnium in Gerſeniſta Schyrenſi probatio deeſt.

6. GERSENISTA fol. 16. Codices octo Kempiſio antiquiores allegat, ſtatímque ſubjungit: *ad aliam uſque occaſionem* (hos) *allegaſſe ſufficiat, ubi dein Thomas K. demonſtrativè dejiciendus erit.*

ANIMADVERSIO. Parcat juvenis ineruditis labori. Codex *Thevenotianus*, quem ad annum 1281. aſſignat, ex ipſo MABILLONIO *de Re Diplomatica* fol. 373. & 53. ad oculum oſtenditur, convenire cum *Gerardimontenſi*, quem Gerſeniſta Schyrenſis ad annum 1390. cum *Leodienſi* collocat. Gerardimontenſem autem convenire cum noſtro Manuſcripto Codice *Joannis Kin-* ſeu *Juticellenſis* ſcripto anno 1436. oculi monſtrant, & ſi opus fuerit, etiam forma æri incidenda monſtrabit. *Codex Claromontanus ſeu Sirmondianus*, cui Gerſeniſta Schyrenſis annum 1340. adſcribit, teſte *Molineto*, judicio omnium peritorum in Manuſcriptis, qui eum Codicem inſpexerunt, ſæculi decimi ſexti limites non excedit, ſcriptuſque eſt, omiſſo quarto libro, in uſum Calviniſtarum, quibus etiam nonnulli ex familia Ducum Claromontanorum acceſſerant. De Aronenſi Codice, cujus formam æri inciſam ſuperius exhibui, ad judicium omnium Eruditorum, in MSS. verſatorum, provoco, ab iis affirmari non poſſe, Codicem hunc ante ſæculi XV. medium ſcriptum eſſe. Vercellenſem MS. Cod. ſub nomine *Gerſenis Abbatis Vercellenſis* unquam extitiſſe, ut de ætate Codicis abſtraham, putida fabula eſt. De ætate Codicis Leodienſis, idem, quod de Gerardimontenſi, juxta proximè dicta, eſto judicium. Codex S. Antonii, cum ſcriptus ſit anno 1470. biennio ante mortem Kempiſii, ineptè allegatur. Maneat proin Domi Gerſeniſtæ Schyrenſis Demonſtratio, ſi nolit confundi. Reliqua aliis libranda relinquo. Mihi enim, qui olim anno ætatis meæ trigeſimo quinto, haud amplius *juvenis* cum *Polycrate* Gerſenſi luſeram, nunc prope ſeptuagenario non vacat, pluribus verbis reciprocare nec Eccleſiæ nec Publico profuturas Tricas.

FINIS.

INDEX.

PRÆFATIO.

Pars I.

Vita, Acta & Scripta I. Joannis Gerſon, Cancellarii Pariſienſis. II. Joannis de Kempis. III. Thomæ de Kempis Fratrum Germanorum. Quatenus Cauſam Kempiſianam reſpiciunt, in tabula Chronologica proponuntur. Pag. 1.

Pars II.

Principia Artis Criticæ Præſtabilita §. 1. pag. 10. &c.

Pars III.

Argumenta Thomæ Kempiſio oppoſita diſſolvuntur.

Argumentum I.

Ex Collationibus Divi Bonaventuræ. §. 42. pag. 18. & ſeqq.

Argumentum II.

Ex ingenio & moribus Kempiſii. §. 51. pag. 26. & ſeqq.

Argumentum III.

Ex Conditione Monachali Authoris. §. 57. pag. 33. &c.

Argumentum IV.

Ex Citatione S. Franciſci in præſenti. §. 62. pag. 37.

Argumentum V.

Ex ætate Kempiſii minus habili. §. 66. pag. 39. &c.

Argumentum VI.

Ex Spiritu Librorum Kempiſiorum §. 72. pag. 43. &c.

Argumentum VII.

Ex Circumſtantia Temporum. §. 76. pag. 45.

Argumentum VIII.

Ex Notorietate Libri de Imitatione ſæculi XV. §. 81. p. 50. &c.

Argumentum IX.

Ex Circumſtantia Sæculi docti. §. 91 pag. 56. &c.

Argumentum X.

Ex Hymno Angelici de SS. Sacramento §. 94. pag. 59.

Argumentum XI.

Ex Idiotiſmis Italicis. §. 96. pag. 61. &c.

Catalogus Terminorum familiarium non ſolis Italis, ſed etiam Kempiſio, & Windesheimenſibus. pag. 62.

Schema Idiotiſmorum. pag. 66.

Argumentum XII.

Ex Manuſcriptis Codicibus anterioribus Kempiſio. §. 101. pag. 72.

Argumentum XIII.

Ex Teſtimonio Trithemii. §. 117. pag. 84. &c.

Argumentum XIV.

Ex Authographis Kempiſianis, & ex jure Gerſonis oppoſito. §. 120. pag. 86.

Pars IV.

Argumenta pro Thoma Kempenſi.

I.

Ex 77. Teſtibus partim ſynchronis, partim coævis.

Teſtis I.

Buſchius 1464. pro Kempiſio † 1471. §. 125. pag. 94.

Teſtis II.

Hermannus 1454. pro Kempiſio 1471. § 130. pag. 98.

Teſtis III.

Caſparus de Pfortzheim 1448. pro Kempiſio † 1471. §. 132. p. 101.

Teſtis IV.

Ginthęrus Zeiner 1468. pro Kempiſio ∫ 1471. ∫. 135. pag. 102.

Teſtis V.

Interpres Germanicus Operum Kempiſii 1450. §. 136. pag. 106.

Teſtis VI.

Mathias Farinator 1475. pro Kempiſio † 1471. §. 137. pag. 107.

Teſtis VII.

Martinus Argentinenſis 1494. pro Kempiſio † 1471. ∫. 138. p. 108.

Teſtis VIII.

Petrus Schottus 1488. pro Kempiſio 1471. §. 140. pag. 108.

Teſtis

Teſtis IX.

Præmiator Memmingenſis 1489. pro Kempiſio † 1471. §. 141. p. 109.

Teſtis X.

Præmiator Gallicus 1493. pro Kempiſio † 1471. §. 142. pag. 109.

Teſtis XI.

Jodocus Badius 1500. pro Kempiſio † 1471. §. 143. pag. 110.

Teſtis XII.

Jo. Trithemius Ab. Spanheimenſ. O. S. B. pro Kempiſio §. 146. p. 113.

Teſtis XIII.

Joannes Mauburnus pro Kempiſio. §. 149. pag. 115.

Teſtis XIV.

Socius Mauburni pro Kempiſio. §. 150. pag. 116.

Teſtis XV.

Georgius Birkamerus 1494. pro Kempiſio † 1471. §. 151. pag. 117.

Teſtis XVI.

Petrus Donhauſerus 1494. pro Kempiſio † 1471. §. 152. pag. 117

Teſtis XVII.

Joannes Gailer Kailerſpergius pro Kempiſio † 1471. §. 153. pag. 118.

Teſtis XVIII.

Jac. Philip. Foreſtus Bergomenſis Ord. Erem. S. Aug. §. 154. p. 118.

Teſtis XIX.

De Fama Synchrona à 1425. - ad 1500. §. 155. pag. 119.
Codex MS. I. Kircheimenſis 1425. §. 156. pag. 119.
Codex MS. II. Auguſtanus ad S. Crucem. §. 157. pag. 120
Codex MS. III. Rottenbuechenſis §. 158. pag. 121.
Codex MS. IV. Pollinganus §. 160. pag. 129.
Codex MS. V. Colonienſis §. 161. pag. 130.
Codex MS. VI. Auguſtanus Germanicus. §. 162. pag. 131.
Codex MS. VII. Bruxellenſis Carthuſienſium. §. 163. pag. 132.
Codex MS. VIII. Bibliothecæ Cæſareæ. §. 164. pag. 133.
Codex MS. IX. Dalheimenſis. §. 165. pag. 133.
Codex MS. X. Dunenſis. §. 166. pag. 134.

Codex XI. impreſſus Auguſtæ anno 1472. §. 167. pag. 135.
Codex XII. Reipublicæ Auguſtanæ. §. 168. pag. 136.
Codex XIII. Mayſeckenſis. §. 169. pag. 137.
Codex XIV. Lovanienſis Authographus. §. 170. pag. 137.
Codex XV. & XVI. Confluentiæ, & in tractu Rheni. §. 171.
Codex XVII. & XVIII. §. 172. pag. 138.
Codex XIX. §. 173. pag. 139.
Codex XX. § 174. pag. 240.
Codex XXI. XXII. XXIII. §. 175. pag. 141.
Codex XXIV. XXV. §. 176. pag. 142.
Codex XXVI. §. 177. pag. cit.
Codex XXVII. XXVIII. XXIX. XXX. §. 178. pag. 142.
Codex XXXI. impreſſus 1480. §. 179. pag. 143.
Codex XXXII. §. 180. pag. 144.
Codex XXXIII. impreſſus 1486. §. 181. pag. 145.
Cod. Lovanienſis. XXXIV. XXXV. XXXVI. XXXVII. XXXVIII. XXXIX. §. 182. pag. 145.
Codex XL. Argentoratenſis impreſſus 1487. §. 183. pag. 147.
Codex XLI. impreſſus Norimbergæ, 1487. §. 184. pag. 147.
Codex Rebdorf. XLII. XLIII. XLIV. §. 185. pag. 148.
Codex XLV. XLVI. XLVII. XLVIII. XLIX. L. §. 186. pag. 150.
Codex LI. Argentinenſis 1489. impreſſus §. 187. pag. 151.
Codex LII. Memmingenſis impreſſus 1489. §. 188. pag. 152.
Codex LIII. Lugdunenſis impreſſus 1489. §. 189. pag. 152.
Codex LIV. Pariſienſis impreſſus 1493. §. 190. pag. 153.
Codex LV. Pariſinus impreſſus 1493. §. 191. pag. 153.
Codex LVI. Norimbergenſis impreſſus 1494. §. 192. pag. 154.
Codex LVII. §. 193. pag. 154.
Codex LVIII. §. 194. pag. cit.
Codex LIX. & LX. §. 195. pag. 155.

Argumentum II. pro Kempiſio.

Ex 400. Idiotiſmis Styli Kempiſiani §. 196. pag. 155. & ſeq.

Pa-

Parallelum inter Scripta Authoris de Imitatione & Kempiſiana. Columna prima exhibet Idiotiſmos reperibiles in libris de Imitatione: Secunda oſtendit textus vel terminos parallelos reperibiles in aliis Operibus Kempiſii. pag. 162. & ſeq,

§. 213. De Inventione, Conſilio, & Affectibus Authoris. pag. 177.

§. 219. De verbis latinis, phraſibus, ac modis loquendi peculiaribus, pag. 187. & ſeq.

§. 220. Librum de Imitatione cum operibus Thomæ de Kempis in numero, ſententiis, & variis aliis notis characteriſticis convenire. pag. 238. & ſeq,

§. 223. Concluſio. pag. 251.

Pars V.

Figmenta Gerſeniana. Præfatio.

Figmentum I. Joannem Gerſenem Abbatem Vercellenſem fuiſſe *Doctorem Decretorum.* §. 224. pag. 252.

Figmentum II. Nomine Gerſenis & Gerſonis in Manuſcriptis Codicibus deſignari ſemper duas diverſas perſonas. §. 229. pag. 158.

Figmentum III. Joannem Gerſenem fuiſſe Abbatem ad S. Andream. §. 234. pag. 259.

Figmentum IV. S. Antonium Paduanum à S. Franciſco miſſum fuiſſe Vercellas ad *Joannem Gerſen* Abbatem S. Stephani. §. 137. pag. 267.

Figmentum V. Thomam Vercellenſem jam obiiſſe 1226. antequàm S. Antonius fuerit Vercellas miſſus ad ſtudia. §. 240. pag. 268.

Figmentum VI. Joannem Gerſen de *Canabaco* fingunt, nixi inſcriptione Codicis, in quo titulus *Joannem de Canabaco* Authorem præfert, §. 242. pag. 270.

Pars VI.

D. Joſeph. Valart novus Gerſeniſta à Can. Pariſ. convellitur. §. 244.

Quæſtio I.

An ſolide probatum ſit, Librum de Imitatione eſſe Thoma Kempenſi antiquiorem. pag. 272.

Quæ-

Quæſtio II.

In quo ſæculo compoſitus fuerit liber de Imitatione? pag. 279.

Quæſtio III.

Quis ſit Author libri de Imitatione? pag. 281. & ſeq.

Pars VII.

Catalogi MS. Codicum de Imitatione Chriſti. §. 245. pag. 292.

Extractus ex Epiſtola ſcripta anno 1724. à quodam Carthuſiano profeſſo Cartuſiæ in Aſtheim in Franconia. pag. 294.

Catalogus Calmetianus MS. Cod. ex Bibliotheca Lotharingica. p. 296.

Catalogus MS. Codicum de Imitatione ex Diario Helvetico Reverendiſſimi Abbatis D. Auguſtini Calmet O. S. B. Typis Enſidlenſibus anno 1756. impreſſo. pag. 298.

I. In Bibliotheca Monaſterii Enſidlenſis.

II. In Bibliotheca Monaſterii S. Gallenſis.

III. In Bibliotheca Monaſterii Augiæ Divitis. pag. 299.

Catalogus MS. Codicum, quos poſſidet Biblioth. Lunælacenſis. p. 300.

Varia Documenta probatorialia hucuſque allegata integre exhibentur §. §. 246. pag. 301.

Epiſtola RR. Abbatis Frova Illuſtriſſimo ac Reverendiſſimo Domino D. Franciſco Töpsl, Præpoſito Pollingæ & Abbati Lateranenſi. §. 257. p. 310.

Donatio facta à Cardinali Bicherio Canoniæ S. Andreæ. pag. 313.

Diploma Amadei III. Sabaudiæ Comitis. pag. 315.

Index Abbatum S. Stephani Civit. Vercellarum O. S. B. pag. 317.

Index Præpoſitorum Lateranenſium S. Stephani de Cittadella hactenus repertorum. pag. 318.

Teſtimon. publ. de Miſſali propria manu Thomæ Kempenſis ſcripto. p. 219.

Teſtimonium publicum Notarii publici Antwerpienſis de MS. Codice librorum de Imitatione Thomæ Kempenſis Autographo. pag. 320.

Documentum de Inventione Reliquiar. V. Thomæ Kemp. §. 258. pag. 322.

Pars VIII.

Errata Perſonalia novi Gerſeniſtæ in puncto Eruditionis exponuntur. §. 259. pag. 327. &c.

Pars IX.

Animadverſiones ad Criſin Apologeticam Gerſeniſtæ Schyrenſis. pag. 339.

FINIS.

ERRATA.

Fol.	Lin.	Erratum.	Correctum.
6.	19.	Scriptualia	Spiritualia
12.	20.	Bapiſſæ	Papiſſæ
12.	29.	cum extat	cum eâ ſtat.
14.	5.	Idiotiſmum	Idiotiſmorum
15.	5.	Congregationit	Congregationis
19.	25.	intendi	impendi
20.	7.	complebit	complevit
25.	ult.	mente,	mente;
27.	8.	1398. Ex Monaſterio	1398. ex Monaſterio.
31.	11.	unâ hora	*addatur* circiter
33.	ult.	probaret, non erat &c.	probaret, obtrudere non erat &c.
37.	2.	fic	ſic
39.	13.	Id	Ea complicatio
eod.	ult.	seſte	teſte
40.	30.	ciſcitari	ſciſcitari
43.	13.	In Fabula	1726. in Tabula
44.	26.	utiltas	utilitas
47.	16.	*corporum*	*corpora*
48.	17.	conſervatione	converſatione
49.	20.	Jovanienſi	Lovanienſi
eod.	21.	Daventiæ	Daventriæ
52.	13.	Catalogum his	Catalogum. His
73.	22.	antiquitatem anteriorem Epochæ Kempiſianæ	antiquitas anterior Epochæ Kempiſianæ
75.	9.	ſubjecti	ſubjeci
86.	10.	(. 11.)	*ſubjungatur* Vide Mappam Geographicam.
89.	ult.	In linguam Germanicam translatus.	*omittatur.*
90.	1.	egregius.	Egregius
eod.	26.	Hunc enim verſionis	*addatur* in Idioma Gallicum & Italicum
93.	27.	& ſeqq. „ „ „ „ „ „ „ „ „ „ „	*deleantur*
94.	22.	unâ horâ	*inſeratur* circiter
97.	28.	An hanc artem	An Gerſeniſta Schyrenſis hanc artem
107.	29.	Auguſtani?	Auguſtani,
109.	11. & 20.	PRÆMIATOR	PROOEMIATOR

fol.	lin.	Erratum.	Correctum.
110.	5.	Præmiator.	Protemiator
119.	9.	ſuſſulta	ſuffulta
122.	10.	Indice.	Iudice
125.	11.	D'	De
129.	24.	vix una Diæta.	bina circiter Diæta
130.	ult.	Caſſia	Haſſia
132.	18.	illorum;	illorum temporum;
135.	18.	1475 Certum eſt	1475. certum eſt
261.	7.	adverſaries	adverſarie
eod.	9.	prætexere	pertexere
279.	8.	Mabillon.	*adde.* Se & alios fallit cum adducit in ſua.

Reliqua Benevolus Lector corrigat.

Ad Bibliopegum.

Tabula I. ſive Mappa Geographica Kempiſiana collocetur ante Folium primum, ſive poſt Præfationem.

Tabulæ reliquæ inſerantur omnes f. 75. ſecundum ordinem libror. de Imit.

Verzeichniß einiger Bücher, welche zu dieſer Controverſie gehören, und in dem Wohleriſchen Buchladen in Ulm zu haben ſind.

Diſſertatio Critica qua Libri de Imit. Chriſti Joanni Gerſen Abb. Vercell. O.S.B. poſtliminio vindicantur, Authore P. Angelo Mærz Benedictino Schyrenſi. Friſingæ 1750. in 8.

Joannes de Canabaco ex comitibus de Canabaco oriundus, qui vulgo venditur pro Authore quatuor Librorum de Imitat. Chriſti, recenter detectus a quodam Can. Reg. S. Aug. Canabaci 1760. in 8.

Angelus contra Michaelem ſeu Criſis Apologetica Angeli Mærz Schyrenſis contra Reverendiſſimum Michaelem Wengenſem. Friſingæ 1761. in 8.

Anticriſes in Criſin Apologeticam inſcriptam: Angelus contra Michaelem. Auth. Adolpho de Kempis. C. R. Canabaci 1761.

Appendix ad Anticriſes. De Palinodia Eminentiſſimi S. R. I. Cardinalis Roberti Bellarmini in favorem Thomæ de Kempis adverſus Gerſeniſtam Schyrenſem Canabaci 1761. in 8.

Notitia Hiſtorico-Critica de Codice Veneto ſive Januenſi. Auth. Adolpho de Kempis C. R. Coloniæ 1761.

Publ. Vigilii Werkeroſe Can. Mechlin. In Ibin Schyrenſem Carmen Laureatum. Zwollis 1761. in 8.

Lapſus Angeli Schyrenſis à Gregorio Trautwein Can. Reg. & Decano Wengenſi, Coloniæ 1761. in 8 ſub prelo.

Lapſus deteriores Didymi Vercellenſis. 8. ſub prelo.

EUSEBII AMORT
Canonici Regularis & Decani Pollingani
Rev.^mi ac Ser.^mi D.D. JOSEPHI *Epiſcopi Auguſtani*,
S. R. I. Principis Darmſtadini, Landgravii Haſſiæ &c, &c,
Theologi

MORALIS CERTITUDO
PRO
VEN. THOMA KEMPENSI

Contra *Exceptiones* Novi Gerſeniſtæ Ratisbonenſis
Ex LXX. Teſtibus coævis omni exceptione majoribus,
& ex XX. Formulariis Manuſcriptorum coævorum Æri inciſis,
Prætenſam Manuſcriptorum Gerſeniſticorum antiquitatem de errore ad oculum convincentibus, conformiter ad ſanæ Criticæ Regulas Supplementi loco vindicata.

ACCEDIT

Reſponſio ad novam ſpecioſam Opinionem RR.mi D.D. PETRI FAITA, ABBATIS CASSINENSIS BRIXIÆ; quod *Joannes Gerſon* Abbas Cœleſtinorum Lugduni, frater Gerſonis Cancellarii, ſit author Librorum de Imitatione Chriſti: necnon ad novos Scrupulos V. C. D. BOUDET C. R. S. ANTONII in Gallia.



Jac. Eraſm: Belling, Cath. Sc. Aug. Vind.

CUM FACULTATE SUPERIORIS.

AUGUSTÆ VINDELICORUM.
Sumptibus FRATRUM VEITH, Bibliopolarum. 1764.

BIBLIOTHECARUM
IN EUROPA ILLUSTRIUM
PRÆFECTIS
VIRIS
ERUDITIONE, CANDORE, AC SANIORE CRISI
EXIMIIS
EUSEBIUS AMORT C.R.P.
PRÆSENTEM
DE ÆTATE MANUSCRIPTORUM CODICUM
ET
DE CONTESSERATIONE
COÆVORUM IDONEORUM TESTIUM
LIBELLUM
IN
VENERANDUM
ET
COMPETENS TRIBUNAL
DEPONIT.

ANNO MDCCLXIV. KAL. JAN.

INDEX MATERIARUM.

PRÆFATIO. Pag. 1.

§. I. *Regula Critica D. Auguſtini fundamentalis pro dignoſcendis genuinis Librorum controverſorum Authoribus.* - - - 2.

§. II. *Notitia chronologica de ortu, vita, & obitu Gerſonis & V. Thomæ.* - - - 3.

§. III. *Quomodo Authographa Kempiſiana venerint Lovanium & Antverpiam?* - - 4.

§. IV. *De Manuſcriptis Gerſeniſtarum, & Kempiſianorum, & de aliis variis documentis hic æri inciſis.* - - - - - 6.

§. V. *De Statu Controverſiæ.* - - 7.

§. VI. *Regulæ Criticæ de Ætate MSS. Codicum Sæculi XIV. & XV.* - - - 8.

§. VII. *De rectè æſtimanda probabilitate plurium Propoſitionum probabilium, ſi collectim, vel comparativè ad Summam Propoſitonum oppoſitarum probabilium ſpectetur.* - - - 10.

EXCEPTIONES.

Except. §. Pag.

I. 1. An reperiantur antiquiores MSS. Codices *de Imitatione* Authographo Thomæ Kemp. - - 15

II. 4. An in duobus Authographis Thomæ Kemp. reperiantur omiſſiones, quas non eſt veroſimile venire ab ipſo Authore? - - - 17

III. 7. An conſtet MS. Codicem *de Imitatione* Lovanienſem vere eſſe Authographum Thomæ Kemp. - 19

IV. 9. An judicium Dupini, quod Authoritas Vlimmerii exigua ſit, magni ponderis ſit? - - 20

V. 13. Judicium Em.mi Card. Quirini, & aliorum Eruditorum de authoritate Dupini. - - 23

VI. 17. Eruditi Pariſienſes anno 1671. poſt unius ac alterius horæ inſpectionem tredecim MSS. Codicum à Benedictinis productorum non judicarunt de merito cauſæ, aut de fide Monachi Leodienſis, ſed tantùm de incorruptione illorum Codicum quoad unam alteramve lineam in titulo, & in fine. - 27

VII. 32. Examinatur judicium Eruditorum Pariſienſium de anno 1687; &, ſi verum eſt, quod *Dupinus* ſcribit, ab iis Codicem *Aronenſem*, cui *Bobienſem* conſimilem fatetur, fuiſſe judicatum *trecentorum annorum*, convincuntur ad oculum erroris ex Manuſcripto Pollingano. - - - 34

VIII.

Except.	§.		Pag.
VIII.	27.	Subſcriptio Thomæ K. *per manus Fr. Thomæ*, in Codice Antverpienſi ſolùm Exſcriptorem probaret, niſi conſtaret de alio ejus Authographo anteriore ſine ejusmodi ſubſcriptione.	35
IX.	29.	Imperitæ ineptiæ ſunt, quod liber *de Imitatione* jam fuerit notus S. Bonaventuræ.	36
X.	31.	Et quod Trithemius hunc librum agnoſcat Thomâ antiquiorem.	ibid.
XI.	33.	Et quod Mathias Farinator præceſſerit Thomam.	*ibid.*
XII.	35.	Et quod eo tempore, quo Thomas erat adhuc adoleſcens, jam extiterint exemplaria & verſiones de Imitatione.	37
XIII.	37.	Et quod Exemplar Comitis Engoliſmenſis ſit antiquius Thomâ.	38
XIV.	39.	Falſum eſt, Librum *de Imitatione* in *plerisque* vetuſtioribus Editionibus adſcribi D. Bernardo aut Gerſoni.	39
XV.	41.	Falſum eſt, id aſſeri in Edit. Norimbergenſi.	40
XVI.	43.	Falſum eſt, Zainerum fuiſſe primum, qui hunc librum edidit ſub nomine Thomæ.	*ibid.*
XVII.	45.	Cajetanus valdè imperitè tribuit Rosweido ea verba, quæ Rosweidus poſuit per modum objectionis.	*ibid.*
XVIII.	47.	Thomas nec potuit, nec prudenter voluiſſet, reclamare, dum ejus Liber in remotis regionibus tribuebatur Gerſoni.	41
XIX.	49.	Non Pirkamerus hunc Librum prima vice Thomæ adſcripſit.	42
XX.	51.	Imperitè à Gerſeniſtis allegatur editio Gallicana de anno 1439. quæ ſolùm anno 1493. facta eſt.	*ibid.*
XXI.	53.	Demonſtratur, Mauburnum fuiſſe Synchronum,	

&

Except.	§.		Pag.
		& in eodem Monaſterio profeſſum cum Thoma, & teſtem indubitatò omni exceptione majorem.	43
XXII.	58.	Demonſtratur, præter Buſchium familiarem Thomæ, dari inſuper alios duos teſtes, familiares Thomæ, omni exceptione majores, quorum unus Hermanus Ryd de Rene.	49
XXIII.	61.	Ad ineptias pertinet, ex ipſo Libro colligi, authorem fuiſſe Italum, non Canonicum.	54
XXIV.	63.	Ad præſumptionem ſolùm fallibilem pertinet, relucere ex opere canam ſenectam Authoris diu exercitati. Præſumptiones autem cedunt veritati demonſtratæ.	ibid.
XXV.	65.	Demonſtratur, ante medium Sæculi XV. Ciſtertienſes necdum fuiſſe relaxatos.	56
XXVI.	67.	Præſumptiones pro Joanne Gerſen Benedictino ſunt valde tenues; econtra pro Thoma moraliter certæ.	58
XXVII.	69.	Non reperiuntur Codices antiquiores Protographo Kemp.	59
XXVIII.	71.	Nomen *Gerſenis* in nullo Codice ſignificat perſonam diſtinctam à Joanne Gerſone Cancellario, & Abbate commendatitio in Grævia.	60
XXIX.	73.	Falſum eſt, Librum *de Imitatione* S. Bernardo, aut Ludolpho Saxoni Sæc. XV. tribui, niſi in uno vel altero Codice; dum econtra ſtant 70.	62
XXX.	75.	Falſum eſt evidenter, à nullo coævo, Biographo vitæ Kemp. hunc librum illi tribui.	ibid.
XXXI.	77.	Monſtratur ineptia de titulatura Monachi.	ibid.
XXXII.	79.	Refellitur inepta ratio, cur S. Bernardo, aut Ludolpho liber adſcriptus ſit.	63

Except.	§.		Pag.
XXXIII.	81.	Non reperitur Codex MS. deciſivus pro Gerſene; reperitur autem moralis certitudo pro Thoma. - - -	64
XXXIV.	83.	Non fuit ſuppoſitum nomen Gerſenis hominis ignoti, ſed Gerſenis notiſſimi videlicet Gerſonis. - - -	65
XXXV.	85.	Auguſtinus *ab Eccleſia* deceptus à Cajetano correxit errorem. - -	67
XXXVI.	88.	Teſtes pro Thoma Synchroni, docti, ac familiares non partialitatis, ſed potius ſtultitiæ accuſandi forent, quod libro veteri celebri Authorem adhuc viventem ingenuum aſſignent. - - -	70
XXXVII.	90.	Falſum eſt, cœnobium Vercellenſe S. Stephani unquam pertinuiſſe ad Canonicos Regulares. - - -	*ibid.*
XXXVIII.	92.	Mala eſt argumentatio: Scriptor potuit habere Documenta: ergo habuit. - -	*ibid.*
XXXIX.	94.	Non mentiuntur Hiſtorici, ſi leviter fabulis in laudem ſuæ nationis credunt. - -	71
XL.	96.	Vercellis in Monaſterio S. Stephani reperitur nomen alicujus religioſi, ſed non Abbatis, nec circa initium Sæculi XIII. - -	72
XLI.	98.	Judicium de controverſo Authore libri non pertinet ad judicium extrajudiciale Procancellarii, ſed ad Tribunal Criticorum. -	*ibid.*
XLII.	100.	Roſignolius erroneè ſuppoſuit, Codicem Aronenſem remanſiſſe ex aliquo anteriore Monaſterio Benedictino. Certum eſt tale nunquam extitiſſe. - - -	73

Except.	§.		Pag.
XLIII.	102.	Ineptiæ ſunt, quod Codices Gerſoni inſcripti militent pro Gerſene Benedictino. - -	*ibid.*
XLIV.	104.	- - - Quod Colonienſes corruperint Teſtimonium Bellarmini. - - -	74
XLV.	106.	- - - Et quod Author Libri vixerit ante S. Bonaventuram &c. - -	75
XLVI.	108.	Variæ ineptiæ Delfavii refelluntur. -	*ibid.*
XLVII.	110.	Mabillonii Animàdverſiones in Vindicias Kempenſes refelluntur; ejusque compromiſſum, ut ſi tandem aliquando proferatur Authographum Thomæ K. antiquius Antverpienſi, victoria ex parte Kempenſium ſtet, non ſolùm acceptatur, ſed etiam conditio adimpleta demonſtratur. - - -	84
XLVIII.	112.	Animadverſiones novi Gerſeniſtæ Ratisbonenſis examinantur, nec quidquam præter probabilitates ac præſumptiunculas, ſeorſim ſecundum ſe ſpectatas, quæ comparativè ad moralem certitudinem oppoſitam cedere jubentur, continere monſtrantur. - -	91
XLIX.	114.	Aliæ ejusdem Exceptiones ponderantur, & conſimilis ponderis inveniuntur. - -	106

DOCU-

DOCUMENTA.

Docum. Pag.

I. Fontes, ex quibus Thomas Kemp. hauſit, ex R. P. Teſtelleto reteguntur. - - - 122

II. Ex eodem monſtratur, ſub termino *Devotorum* Sæculi XV. *Antonomaſticè* intellectos fuiſſe Windesheimenſes. - - - - 126

III. Oſtenditur; certum quidem eſſe, quod Henricus Kalkar Carthuſianus jam obierit anno 1408; pariter tamen certum eſt, eum ſua manu non ſcripſiſſe Librum *de Imitatione*, qui ſimul cum aliis recentioribus Tractatibus reperitur compactus in eodem Codice, prout patet ex Inſtrumento Lovanienſi, & ex Schemate Scripturarum æri inciſarum. num. .... - - - 131

IV. Teſtimonium *Numani* Synchroni ex ore confratris Thomæ K. per triginta annos. - - 142

V. In Catalogo Manuſcripto omnium Manuſcriptorum aſſervatorum in Bibliotheca Carthuſiæ B. V. M. *de Capella* ſitæ in Flandria quinque Exemplaria in favorem Thomæ Kemp. reperiuntur. - 149

VI. De MS. Codice Buſchii de anno 1477. aſſervato in Rebdorff. - - - *ibid.*

Index Documentorum in Appendice.

Docum. Pag.

VII. De novo Teſte Synchrono pro Ven. Thoma K. ex Carthuſia Buxhaimenſi in Suevia. - - 152

VIII. Confutatur Opinio R. D. Boudet C. R. S. Antonii in Gallia. - - - 155

IX. Confutatur nova Opinio RR.mi Petri Faita Abbatis Caſſinenſis Breſciæ. - - - 157

Prohibitio Em.mi Conſtantienſis, & Sereniſſimi Auguſtani Libri illius, cui Titulus: DISQUISITIO JURIDICA. - - - 183

Cui prohibitioni annectuntur Leges Imperatorum & Rom. Pontificum *de Libellis famoſis.*

PRÆ-

PRÆFATIO.

Placuit Gerſeniſtæ cuidam Anonymo; *Deductioni* meæ *Criticæ in Cauſa Kempiſiana* opponere *Obſervationes* ſeu *Animadverſiones* DELFAVII & MABILLONII, jam ferme ante centum annos antiquatas; nec novis, niſi pauculis obſervationibus auctas. Locus impreſſionis extat, *Ratisbona*; proſtat etiam nomen typographi, *J. M. Englerth*, cum anno impreſſionis 1762. Sed Reverendum nomen Authoris non reperitur, niſi forte per Oedipum. *Facultas Superiorum* pro editione Opuſculi alia non comparet, niſi ſub hac nova formula: *Authoritate Superioris.* Cæterùm, quisquis hujus opellæ author fuerit, (a) Probabiliſtam ille ſe *in re hiſtorica* monſtrat: *probabilem* opinionem Kempiſianis largitur; *probabiliorem* Gerſeniſtis exorat. Capio, quò tendat. DIVIDATUR INFANS. Si cum Gerſeniſtis etiam *Gerſoniſtæ* & *Carthuſiani* in tribunal acceſſerint, in quatuor partes ſecabitur partus. Verùm præſens *Libellus* ad Tribunal omnium Eruditorum totius Europæ monſtrabit liquidò, partum integrum matri ſuæ, *Congregationi* videlicet *Windesheimenſi Ord. Can. Reg.* non ad ampliandum faſtum inanem Ordinis, ſed ad complanandam pro VEN. THOMA Beatificationis viam, reddendum eſſe. Ad hoc evincendum, præmittuntur in hac Præfatione ſequentia PRÆNOSCENDA.

(a) Jam enim præmaturo fato ad plures abiiſſe nuntiatur.

§. I.

Regula Critica D. Auguſtini fundamentalis pro dignoſcendis genuinis librorum controverſorum Authoribus.

S. Augustinus in L. 33. *contra Fauſtum* C. 6. ſic ſcribit: „ Quid vo- „ bis (Manichæis) faciam, quos ita obſurdefecit iniquitas, ut quid- „ quid adverſum vos (ex ſcripturis) probatum fuerit, non eſſe dictum „ ab Apoſtolo, ſed à neſcio quo falſario ſub ejus nomine ſcriptum eſſe „ dicere audeatis? - - - Infelices animæ! de quo libro certum erit, „ cujus ſit, ſi litteræ, quas Apoſtolorum dicit Eccleſia, ab ipſis Apo- „ ſtolis propagata, per omnes gentes declarata, utrum Apoſtolorum „ ſint, incertum eſt? In litteris Sæcularium ſub authorum nominibus „ multa prolata ſunt, & ideo repudiata, quia vel his ſcriptis, quæ „ ipſorum eſſe conſtabat, minimè congruerunt; vel eo tempore, quo „ illi ſcripſerant, nequaquam innoteſcere & per ipſos familiariſſimos eo- „ rum in poſteros prodi meruerunt. Ut alios omittam, ſub Hippocra- „ tis nomine quidam libri prolati ſunt, & in authoritatem à medicis re- „ cepti non ſunt, quando comparati eis, quos verè Hippocratis eſſe „ conſtabat, impares judicati ſunt, & quòd ab eo tempore, quo & cæ- „ tera ejus ſcripta, non innotuerunt, quòd verè ejus eſſent. Hos „ autem libros, quibus illi comparati reſpuuntur, ſi quis neget Hippo- „ cratis, non refellitur, ſed ridetur. Cur? *Quia ſic eos ab ipſo Hippo-* „ *cratis tempore usque ad hoc tempus, & deinceps ſucceſſionis ſeries com-* „ *mendavit, ut hinc dubitare dementis ſit.* Platonis, Ariſtotelis, „ Ciceronis, Varronis, aliorumque ejusmodi authorum libros unde no- „ verunt homines, quod ipſorum ſint, niſi eadem temporum ſibimet „ ſuccedentium conteſtatione continua? „

Textum integrum vide in mea *Deductione Critica.* §. 41. fol. 16.

§. II.

§. II.

Notitia Chronologica de ortu, vita, & obitu Gerſonis & V. Thomæ.

	Anno
I. JOANNES GERSON Cancellarius Pariſienſis naſcitur in Burgundia in viculo *Gerſon*, *Jarſon*, *Gerſen.* (a) - -	1363.
Fit Pariſiis Baccalaureus. - - -	1387.
Fit Cancellarius. - - - -	1392.
Fit Pariſiis Parochus, & Abbas Commendatitius in Grævia, ubi prius erat Monaſterium Benedictinum (b). - -	1405.
Mittitur in Italiam ad Concilium Piſanum. - -	1408.
Mittitur ad Concilium Conſtantienſe. - -	1415.
In eo Concilio defendit cauſam Windesheimenſium contra Matthæum Grabon. - - -	1416.
Ob perſecutionem Ducis Burgundiæ exulat in Bavaria & Auſtria. - - - -	1418.
	1419.
	1420.
Dein per quatuor annos ſejunctus à conſortio exterorum hominum in arcta ſolitudine ſe detinet Lugduni in Monaſterio apud ſuum germanum fratrem Nicolaum, Cœleſtinum. (c) - - - -	1424.
Moritur Lugduni. - - -	1429.
In ejus Epitaphio legebatur *Gerſen.* Vide Deduct. Crit. §. 231.	
II. THOMAS KEMPENSIS naſcitur in oppido Kempen. -	1379.

(a) De nomine Gerſonis ſeu Gerſenis vide in *Reſponſ.* ad *Except.* XXVIII. §. 72. & in *Reſponſ.* ad *Except.* XXIV. §. 84. & in Append. *Docum. III.* in fine Epiſt. RR.mi Brunonis & *Docum V.*

(b) *Lebeuf* in deſcriptione Urbis Pariſienſis.

(c) Vide Tomo I. Operum Gerſonis in ejus vita L. 2. § 1. Epiſtolam teſtimonialem Nicolai, in quo ſic ſcribit: *Refugium captavit in hac Lugdunenſi civitate, in qua jam fere per quadriennium demoratus eſt, vitam quietiſſimam ducens, & tam ſolitariam, ut unum ex Eremicolis crederes; mirantibus multis & inquirentibus; quid hic agit tam ſolitarius? Cur ad publicum non procedit? ad quid perditio hac?*

	Anno
Studet Daventriæ. - - -	1395.
Recipitur in monaſterio Montis S. Agnetis, recenter conſtrui cœpto à ſuo germano fratre Joanne. - -	1400.
Emittit profeſſionem in manus Joannis ſui germani fratris.	1406.
Recipit Sacerdotium. - - - -	1413.
Fit Supprior - - - circiter	1425.
Exulat per triennium ob ſervatum Interdictum Papale -	1429.
Fit denuo Supprior - - - -	1448.
Moritur anno ætatis 92. - - -	1471.

III. Adderem hoc loco etiam de *ortu*, *vita* & *obitu* JOANNIS GERSEN *Abbatis Benedictini Vercellenſis in monaſterio S. Stephani* notitiam; verùm cum ne quidem de exiſtentia ejusmodi Abbatis Vercellenſis reperiantur idonea documenta, prout in reſponſione ad Exceptionem XXXV. monſtrabitur, nolim Biographiam texere ex meris conjecturis incertis, ex meris poſſibilitatibus ſomnio ſimillimis, quod res per plura ſæcula loco, tempore, qualitate &c. disjunctas in unum phantaſma conjungit.

§. III.

Quomodo Authographa Kempiſiana venerint Lovanium & Antverpiam?

CUm anno 1561 reaſſumpto Concilio Tridentino deliberaretur, quomodo invaleſcentibus in Belgio hæreſibus validius reſiſti poſſet, Pius IV. Summus Pontifex paucitatem & nimiam amplitudinem Epiſcopatuum, nec non varias exemptiones à jurisdictione Epiſcoporum conſiderans, ad inſtantiam Philippi II. Regis Hiſpaniarum quatuor novos Epiſcopatus, inter hos etiam Daventrienſem, erexit. (d) Cum autem deeſſent ſufficientia bona fundationis pro novis Epiſcopis, eorumque Officialibus, & pro dignitatibus novorum Capitulorum Cathedralium, Pontifex aliquot Monaſteria & Præpoſituras ſuppreſſit, illorum fructus, redditus, ac proventus Daventrienſi Epiſcopali menſæ pro dote aſſignavit. Hæc ſors etiam ceſſit Monaſterio S. Agnetis, in quo V. THOMAS ante

(d) Vide Bullam Pii IV. *Regimini*. Datam Romæ 7. Idus Auguſti 1561. apud HUGONEM VAN HEUSSEN in *Hiſtoria fæderati Belgii* Tom. II.

ante centum annos ſuam vitam transegerat. Poſſeſſionem bonorum Conventûs *in Monte S. Agnetis* Joannes Mahusius, primus Epiſcopus Daventrienſis, qui erat Franciſcanus, non adiit, ſed propter ſenium & adverſam valetudinem anno 1570. oneri Epiſcopali & Mitræ renuntiavit. Ejus autem Succeſſor, Ægidius de Monte, pariter Franciſcanus, anno 1570. *Mahuſio* à Rege Catholico ſurrogatus, poſtquam ab Albano, regio gubernatore Belgii in mandatis acceperat, ut ſe de bonis Monaſterii S. Agnetis informet, & ne ea dos novi Epiſcopatûs alienetur, impediat, mox poſt aditam poſſeſſionem Epiſcopatûs etiam poſſeſſionem Conventûs *in Monte S. Agnetis* cum onere vitalitiæ ſuſtentationis quinque Regularium Sacerdotum adiit. Ab hoc Manuſcripta V. Thomæ Kempenſis *Joannes* Vlimerius, Canonicus Regularis Congregationis Windesheimenſis, (e) vir jam tempore Concilii Tridentini anno 1561. eruditione ac Scriptis celebris precibus extorſit, eaque in ſuo Monaſterio Lovanienſi ad S. Martinum, in quo in Priorem ſeu Prælatum aſſumptus eſt, ſtabili ſede locavit (f). De authographo V. Thomæ Antverpienſi conſtat; eum pariter ex Monaſterio S. Agnetis Antverpiam anno 1577. delatum eſſe. Id enim monſtrat ejus inſcriptio, & adjuncta inſcriptionis declaratio. Inſcriptio eſt hæc: *Liber Monaſterii Canonicorum Regularium in Monte S. Agnetis.* Declaratio autem, facta à Bellero typographo Antverpienſi, poſſeſſore hujus Codicis anno 1577. & præfatæ inſcriptioni immediatè ſubjuncta, eſt ſequentis tenoris: *quem* (librum) *F. Joannes Latomus, profeſſus Ordinis Regularium in Throno B. Mariæ prope Herentales, ejus Monaſterii B. Agnetis ejusdem Ordinis Generalis Miniſter facta viſitatione Monaſterii B. Agnetis prope Swollam ejusdem Monaſterii ruinis ereptum, ne penitus interiret, Antverpiam allatum Joanni Bellero, amico veteri & fideli Dono dedit. Anno ſalutis* 1577. *Porro Joannes Bellerus Patribus Societatis JEſu in gratiam ſuorum filiorum, quos eadem Societas Religioſos fovet, lubens donavit, Kalendis Junii* 1590. (g)

(e) De Scriptis *Vlimerii* vide inferiùs in mea Reſponſione ad Except. IV. § 10.

(f) De ejus Dignitate, anno obitus 1597. & ſucceſſore *Petro à S. Trudone* qui anno 1628. in eodem monaſterio profeſſionem emiſit, vide eodem §. 10.

(g) Joannes Latomus Canonicus Regularis Windeſemenſis, Præpoſitus Monaſterii Throniani in Brabantia, & Curator negotiorum ſuæ Congregationis, obiit 1578. Vide Foppenium in Bibl. Belg.

§. IV.

De Manuſcriptis Gerſeniſtarum, & Kempiſianorum, & de aliis variis Documentis, hìc æri inciſis.

IN accluſo ſchematiſmo variorum Manuſcriptorum Kempiſianorum hoc loco æri inciſa comparent etiam Manuſcripta Gerſeniſtarum 1. *Thevenotianum*, 2. *Gerardimontenſe*, 3. *Cavenſe*, 4. *Bellovacenſe*, 5. *Aronenſe*, 6. *Sant - Germanenſe*, quibus potiſſimum innituntur Gerſeniſtæ. Horum pleraque ſumpſi ex ipſo Mabillonio, qui ea in Opere *de Re Diplomatica* edito Pariſiis 1709. tanquam formularia Manuſcriptorum ſua opinione ad Sæculum XIV. & Sæculum XV. pertinentium fol. 373. inſeruit. Manuſcripti *Aronenſis* Ectypon obtinuimus Mediolano per RR. Abbatem Lateranenſem SUARDI ex ipſo Collegio Aronenſi Patrum Societatis JEſu, prout monſtrat ſolenne Inſtrumentum inſertum meæ *Deductioni Criticæ* §. 108. fol. 78. 79. 80. MABILLONIUS, qui obiit anno 1708. uno anno ante editionem ſui præfati Operis, de Codice Thevenotiano l. cc. fol. 272. num. 4. ſic ſcribit: *Hic Codex peritorum judicio ad annos quadringentos accedit.* Eorundem judicio etiam Codex Aronenſis, Cavenſis & Bobienſis trecentorum annorum æſtimabatur. De GERARDIMONTENSI fol 372. num. 5. ſcribit: *Unus* (Anonymus) *è Cœnobitis Gerardimontenſis Cœnobii in Hannonia ſanctè jurat* (anno 1687.) *in ultimo folio vacuo* (quod exciſum eſt) *ſcriptum fuiſſe ſcribæ nomen*, *nempe* LUDOVICI DE MONTE, *quem ante annum MCCCC. obiiſſe teſtatur.* Verùm quàm turpiter illi periti Pariſienſes circa ætatem Codicis Thevenotiani, Cavenſis, & Aronenſis (quibus Bobienſem ſimillimum fatentur) erraverint, ipſa horum Manuſcriptorum cum Authographis Kempiſianis confrontatio oſtendit. Quæ autem fides Cœnobitæ Gerardimontenſi tribuenda ſit; meæ obſervationes in Deduct. Crit. §. 112. fol. 82. & infra §. 20. & §. 83. in reſponſione ad *Exceptionem XXXIV.* & in reſponſione ad *Exceptionem VI.* §. 19. ſubjunctæ monſtrant. *Mariale* noſtrum Pollinganum, hìc etiam æri inciſum Aronenſi MS. Codici quoad modum ſcripturæ ſimillimum, continens Panegyres B. Virginis, ex variis Sæculi XV. Scriptoribus collectas, & Homiliarium Joannis *Juncellenſis*, ſeu potius *Vincellenſis* ex noſtra Bibliotheca pariter depromptum, Pariſienſium de Codice Aronenſi judicia manifeſtè confundit. *Authographa Kempiſiana*, excepto *Antverpienſi*, quod ipſemet Mabillonius in ſuo Opere *de Re Diploma-*

plomatica æri inciſum exhibet, nobis gratioſè communicavit RR.mus Præſul Lovanienſis ad D. Martinum, *Jacobus Thomas Boſmans* Secretarius Congregationis Windesheimenſis, prout Inſtrumentum ſolenne infra §. 8. inſerendum teſtatur. Idem nobis communicavit Manuſcriptorum apud Carthuſianos *de Capella* in Flandria aſſervatorum formulas, prout in Appendice Docum. III. per Inſtrumentum ſolenne edocemur. Iconiſmus exhibens varios geſtatores Crucis non Benedictinos, ſed partim Sæculares, partim alios Clericos, reperitur in præclaro opere intitulato *Memorie Iſtoriche &c.* edito à RR.mo Trombellio Generali Præpoſito Canonicorum Regularium Congregationis Salvatorenſis (h). Idem nobis communicavit Manuſcriptum codicem *verſionis Italicæ* librorum *de Imitatione*, achronæ quidem, ſcriptæ tamen poſt medium ſæculi decimi quinti, quod exigua punctula ſupra fere omnia Jota; quibus perpetuò ſcatet, & elegantior forma papyri certò demonſtrat. Ego potius referendum cenſeo ad tempus Sæculi XV. exeuntis. Notari meretur, in ejus littera initiali pictos exhiberi duos Clericos Salvatorenſes cum eorum albo ſcapulari flexos ante Chriſtum portantem crucem in manibus, à membro Congregationis Bononienſis tunc noviter erectæ.

§. V.

De Statu Controverſiæ.

I. Controverſia in eo conſiſtit; an quatuor libri de Imitatione pro authore habeant Ven. *Thomam Kempenſem*, natum 1379. mortuum 1471. vel *Joannem de Gerſon* Cancellarium Pariſienſem; natum in pago Gerſon ſito in Gallia in Diœceſi Rhemenſi (i), anno 1365, mortuum in decennali exilio 1428.; vel *Joannem Gerſen* Benedictinum Abba-

(h) SIGONIUS de Epiſcopis Bononienſibus ſcribens, l. 4. ad annum 1426. num. 8. 9. obſervat; B. Nicolaum Albergatum, ex Monacho Carthuſienſi creatum anno 1417. Bononienſem Epiſcopum, poſtea anno 1426. creatum fuiſſe Cardinalem ſub titulo *S. Crucis in Hieruſalem.* Dein anno 1427. approbavit Bononiæ *Sodalitatem devotorum S. Hieronymi à viginti quatuor piis juvenibus inſtitutam*, qui Eccleſiam S. Hieronymi, anno ſequente 1428. ædificari curarunt.

(i) In Mappis Geographicis Gallicis, & in documentis Gerſoni Synchronis loco Gerſon ſcribitur *Jarſon* & aliquando *Gerſen*, prout oſtendo in Exceptione

Abbatem, de cujus tamen nec ortu, nec obitu, nec loco regiminis hactenus conſtat.

II. Primaria Controverſiæ capita ex his dependent. 1. An producta hactenus fuerint Manuſcripta libri *de Imitatione* antiquiora Manuſcriptis Authographis Kempiſianis? 2. An reperiantur documenta vel argumenta de anteriori exiſtentia librorum de Imitatione ante ætatem V. Thomæ habilem ad ſcribendum? 3. An reverà inveniantur teſtes partim ſynchroni, partim coævi, omni exceptione majores pro V. Thoma? 4. An tales teſtes omni exceptione majores etiam reperiantur pro Gerſone Cancellario, vel pro Gerſene Benedictino? 5. An trecenti Idiotiſmi librorum de Imitatione reperiantur in ullo alio Scriptore, quàm in aliis indubiis Operibus Ven. Thomæ? 6. An præſumptiones, quas tam *Gerſoniſtæ*, quam *Gerſeniſtæ* pro ſe afferunt, eoipſo, quòd eorum ſingulæ *ſeorſim* & *ſimul* ſumptæ ſint fallibiles, ac tantùm probabiles, cedere debeant morali Kempiſianæ certitudini demonſtratæ?

Ad 1. 2. 4. 5. reſpondeo convincenter *Negativè*. *Ad* 3. reſpondeo convincenter *Affirmativè*. *Ad* 6. ex Arte Critica reſpondeo; præſumptiones etiam multas, quantumvis probabiles, niſi ſimul aliquot præſumptiones violentæ, hoc eſt, tales, quæ vix unquam fallunt, concurrant, cedere debere oppoſitæ morali certitudini aliunde demonſtratæ. Cæterum pro Gerſeniſtis nullas militare præſumptiones violentas, ex decurſu patebit.

§. VI.

Regulæ Criticæ de ætate MSS. Codicum Sæculi XIV. & XV.

IN mea Arte Critica, meæ *Philoſophiæ Pollinganæ* inſerta, trado *Part. IV. §. 6.* has Regulas. I. Integri Codices Manuſcripti papyracei nulli omnino reperiuntur ante annum 1350. (k) Addo, papyrum ab anno 1350. usque ad annum 1400. ex ipſa forma prodere ſuam anti-

ceptione XXXIV. §. 83, & in Exceptione VI §. 21. in Appendice, Num. III. in Epiſtola RR DD. Brunonis Pede Prioris Carthuſiani in Flandria n. 12. & in Deduct Crit § 229 fol 258.

(k) Chartæ tamen papyraceæ per modum novæ raritatis & magnitudinis vix tripalmaris licet rariſſimæ viginti circiter annis reperiuntur ante 1350.

antiquitatem, ut à peritis facilè diſcerni poſſit. Eſt enim denſa, craſſa, & perpetuis ſurculis inſtar linearum diſtincta; hi ſurculi communiter non ampliùs reperiuntur poſt annum 1400. ex hoc enim tempore facta eſt planior, quamvis æque denſa craſſa ac priùs. II. Manuſcripta, in quibus ſupra *jota* reperiuntur puncta, præſumuntur eſſe ſcripta ſæculo decimo quinto, quia ante annum 1400. nulla talia reperiuntur puncta, ſed tantùm virgulæ longiores, hoc modo: *ínímícus.* Imò vero initio Sæculi XV. ſolebant poni tantùm contractiores virgulæ, ac dein circa annum 1420 usque 1450. immiſceri lineolis puncta; donec tandem circa annum 1460. plerumque mera puncta vel lineolæ breviſſimæ, vix à punctis diſcernibiles, fieri conſueverint. III. Manuſcripta, in quibus ſupra jota reperiuntur virgulæ ſeu lineolæ, non præſumuntur eſſe ſcripta ante annum 1250. ſeu medium Sæculi XIII. quia nullum reperi Codicem antea ſcriptum ſimilibus virgulis inſignitum. Ante annum enim 1250. ſupra jota nec puncta ponebantur, nec virgulæ, ſed nihil prorſus. Poſt annum 1250. usque ad annum 1450. nonnunquam reperiuntur tales virgulæ, ſed raræ tamen, ſic ut librarii tria aut quatuor jota ſine virgula tranſierint, donec iterùm unum inſignierint. Quod frequenter ſolùm Proſodiæ aut Toni causâ contigit. In Germaniæ tamen Manuſcriptis admodum paucis reperiuntur lineolæ adhuc Sæculo XVI. ineunte. IV. Codices Manuſcripti, in quibus ſunt frequentes abbreviationes, non præſumuntur eſſe ſcripti ante Sæculum XV. quia hic modus ſcribendi primùm invaluit, poſtquam papyrus cœpit fieri communior.

Hanc Regulam jam dudum agnovit Mabillonius in ſuo Opere de Re Diplomatica, ubi L. I. C. 11. §. 19. ſic ſcribit: „ Porro minutæ litteræ *i* accentus acutus ſuperponi cœpit Sæculo XIII, ut patet ex variis ejus ævi MSS. quorum unum eſt Henrici Justelli, continens verſionem Gallicam bibliorum duobus tomis, anno 1294. exaratam. Perſeveravit iſte uſus, non tamen ubique ſemper, ad finem Sæculi XV. quo tempore idem ferè accentus etiam litteræ *ú*, more Belgis etiam nunc uſitato, adhibitus eſt. Cæterum ab eodem ſæculo ineunte littera *i* punctô (quod nos modò retinemus) inſigniri cœpit. Ita obſervare licet in MSS. libris *de Imitatione Chriſti*, *Mellicenſi* anni 1421, *Germanenſi* noſtro anni 1460, *Salzburgenſi* annni 1463, cùm in Authographo Kempenſi anni 1441. accentus ſuperponantur. „ Ita Mabillonius.

Cæterùm qui conferre voluerint MS.tum dubiæ ætatis cum MS.to certæ ætatis, conferant 1.mo ſingulas litteras initiales majuſculas verborum. 2.do Singulas vocales a. e. i. o. u. 3.tio Singulas conſonantes b. c. d. &c. 4.to Singulos numeros, præſertim 4. 5. 7. 5.to Singulas abbreviationes. 6.to Cohæſionem conſonantium. 7.mo Formam lineolarum vel punctorum ſupra jota. 8.vo Frequentiam vel raritatem abbreviationum, punctorum, linearum. 9.no Ornamenta. 10.mo Craſſitiem vel ſubtilitatem characteris. 11.mo Formam, craſſitiem, tenuitatem, ſulcos, planationem, aſperitatem, fuſcitatem, albedinem &c. papyri, chartæ. 12.mo Si reperiantur tres alphabeti litteræ intra ſpatium trium ſæculorum certò variantes, ſcriptura ad illius temporis medium referatur.

§. VII.

De rectè æſtimanda probabilitate plurium Propoſitionum probabilium, ſi collectim, vel comparativè ad Summam propoſitionum oppoſitarum probabilium ſpectetur.

Leibnitius (1) exiſtimat; in omni controverſia litigantium jura ſpectari poſſe tanquam partes unius totius, ſeu tanquam fractiones unius ſummæ. Si enim duo inter ſe litigent, & jus unius ſit duplo probabilius jure oppoſito alterius; prioris jus ſe habebit ad jus alterius, ut $\frac{2}{3}$ ad $\frac{1}{3}$ ſeu ut duos angulos acutos, quorum unus 60, alter 30. graduum eſt, ad angulum rectum. Verùm ego hoc loco oſtendam; ſæpe contingere in rebus non ſolum hiſtoricis, ſed etiam Juridicis, propoſitiones probabiles ad invicem additas non augere ſed minuere probabilitatem; immo verò etiam tunc, quando ex additione ad invicem augent probabilitatem, eas potius ſe habere, ut *Angulos acutos* ex centro ad *tangentem circuli* qui *infinities* ad invicem aucti & additi NUNQUAM PERTINGUNT AD conſtituendum angulum RECTUM. Id monſtro ſequentibus obſervationibus.

REGULA

(1) Vide *Schulzii* Syllogen novam Epiſtolarum. Libro VII. num. 27.

Regula I. Omnes poſſibiles gradus probabilitatum per ſequens *Schema* Probabilium exhiberi poſſunt. $\frac{1}{2}$. $\frac{1}{3}$. $\frac{1}{4}$. $\frac{1}{5}$. $\frac{1}{6}$. $\frac{1}{7}$. $\frac{1}{8}$. $\frac{1}{9}$. $\frac{1}{10}$. $\frac{1}{20}$. $\frac{1}{30}$. $\frac{1}{100}$. $\frac{1}{1000}$. $\frac{1}{100000}$. &c. Vide de his gradibus meam *Artem Criticam* inſertam meæ Philoſophiæ; & Leibnitium proxime citatum.

Regula II. In Concluſione deducta ex præmiſſis duabus probabilibus per additionem illarum duarum propoſitionum probabilium non augetur, ſed minuitur probabilitas Illati. Sic in hoc Syllogiſmo. *Si Patronus reconvaleſcat, probabiliter mihi conferet vacans officium. Sed probabiliter convaleſcet. Ergo probabiliter mihi conferet officium;* nemo non videt, minorem eſſe probabilitatem concluſionis, quàm probabilitatem cujuslibet Præmiſſæ, utpote in concluſione concurrente duplici fallibilitate, videlicet *Majoris* & *Minoris.* Hinc conſequitur

Regula III. Si in Syllogiſmo concluſio per *Soriten* deducatur ex tribus, quatuor, aut pluribus propoſitionibus præciſe tenuiter probabilibus, ea concluſio ne quidem tenuiter erit amplius probabilis. Ratio eſt, quia cum Concluſio deducta ex duabus propoſitionibus probabilibus ſit minoris probabilitatis, quàm præmiſſæ ſingulæ, prout ex præcedente *Regula II.* conſtat; impoſſibile eſt, concluſionem deductam ex præmiſſis in infimo gradu probabilitatis conſtitutis habere minorem probabilitatem, niſi inferiorem omni vera probabilitate etiam minima, hoc eſt, nullam. Exemplum vulgare habetur in eo, qui ſpem ſuam ingentium divitiarum collocat in continuo felici jactu aleæ probabiliter in ſingulis jactibus longâ continuatâ ſerie eventuro. Contingenter enim in centum jactibus fallit aliquando ſpes ſuperſtructa ſeriei continuatim felici jactuum; & ſic contingenter aliquando fallit ſpes veritatis ſuperſtructa integræ ſeriei propoſitionum probabilium deductarum ab invicem.

Regula IV. In rebus hiſtoricis, aut facti plura argumenta ſeorſim tantùm probabilia, quorum neutrum infertur ex alio, conglobata adinvicem, tunc ſolùm augent probabilitatem, aut efficiunt moralem certitudinem, quando conſiantur in complexum circumſtantiarum, ra-

rò aut vix unquam fallax. Tale complexum circumſtantiarum in præſenti controverſia in favorem V. Thomæ K. contrahitur ad tres ſolùm circumſtantias, de quarum ſingularum exiſtentia moraliter conſtat; videlicet 1.mo Ad conteſſerationem ſeptuaginta idoneorum partim ſynchronorum, partim coævorum teſtium. 2.do Ad identitatem ſtyli quoad trecentas loquendi vel ſcribendi formulas alioquin in diverſis authoribus nunquam reperibiles, quales in V. Thoma & in Lib. *de Imitatione* reperiri oſtendi in Deduct. Crit. 3.tio Ad defectum argumentorum ſolidorum ex parte Gerſeniſtarum.

FINIS PRÆFATIONIS.

EXCEPTIONES
GERSENISTARUM
CONTRA
ARGUMENTA KEMPISIANA
CUM
RESPONSIONE AD EXCEPTIONES
SINGULAS.

EXCEPTIO I.

§.I. ANte authographum V. Thomæ Kemp. ſcriptum anno 1441. reperiuntur complura Manuſcripta libri de Imitatione antiquiora, præſertim ab anno 1420. usque ad annum 1441. nec authenticè conſtat, extare aliud antiquius authographum V. Thomæ, ex quo ſumi potuerint Copiæ. (m)

RESPONSIO.

§.II. SEcundum hujus argumenti membrum conſtat eſſe falſum ex ſolenni Inſtrumento, cujus ſubjicio copiam:

Anno Domini milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo ſecundo, menſis Martii die decimâ quintâ, in mea Notarii Publici, & Apoſtolici, Teſtiumque infrà ſcriptorum præſentia, perſonaliter conſtitutus, atque comparens Admodùm Rev. & Eruditiſſimus Vir, ac Dominus Petrus à S. Trudone Presbyter, ſacræ Theologiæ Licentiatus & Monaſterii in Valle S. Martini Ord. Can. Reg. S. Auguſtini oppidi Lovanienſis Prior, qui me Notarium infrà ſcriptum coram infrà ſcriptis Notariis Teſtibus fide dignis, deduxit in eodem Monaſterio ad & in Bibliothecam librorum manuſcriptorum, à majori & communi Bibliotheca ſeparatam, & cancellis ſecluſam, in qua aperiens armariolum quoddam clauſtro ferreo obſeratum, ex eodem extraxit & reproduxit, mihique Notario & Teſtibus aperuit libros manuſcriptos ſequentes.

Imprimis libellum quemdam in octavo & rubro corio cum clauſtris æneis, quorum unum fractum, in quo ſic legitur, *in hoc libello continentur iſta &c.*

Soliloquium animæ Thomæ à Kempis, cujus prologus incipit; *Conſolationis gratiâ aliquas ſententias deuotas in unum coaceruaui librum.*

Item ejusdem de imitatione Chriſti; qui incipit: *Qui ſequitur me, non ambulat in tenebris* &c.

Item ejusdem de interna Chriſti locutione ad animam fidelem, quæ incipit: *Audiam, quid in me loquatur Dominus Deus.*

Item ejusdem admonitiones ad interna trahentes, qui incipit; *Regnum Dei intra uos eſt.*

Item

(m) Baſis firma. fol. 206. & 262. 190. 191. 144.

Item ejusdem Tractatus quidam de elevatione mentis ad inquirendum ſummum bonum, qui incipit: *uacate & uidete.*

Item initium libelli quarti de Imitatione Chriſti, qui incipit: *Venite ad me omnes, qui laboratis* &c.

In primo autem folio hujus libelli ſic legitur: *hic liber eſt ſcriptus manu & caracteribus Rev & Religioſi Patris, P. Thomæ à Kempis propè Subollam, qui eſt & auctor horum deuotorum libellarum.* Et infrà

JOANNES VLIMMERIUS *ſignavit*
Anno 1586.

Et poſt multa alia his tandem verbis tabulæ clauduntur.

Ita fideliter coram me Notario & teſtibus Notariis reproductum & oſtenſum Lovanii in dicto Monaſterio Vallis S. Martini Ord Canonicorum Regularium S Auguſtini, anno, menſe & die, quibus ſuprà, præſentibus ibidem Domino Eraſmo Vualtero Vander Vuaterfört etiam Notario, teſtibus ad præmiſſa vocatis atque rogatis

Quare hunc veritatis actum præfatus D Prior una cum dictis teſtibus, & mecum Notario ſubſignavit, Notariique ſigillo munitus eſt.

(L.S.)

Frater PETRUS à S. TRUDONE *Can. Regularium in Valle S. Martini Lovanii Prior.*

ERASMUS VANQUESCHOVEN *Not. Publ. per conſ. Brabant. admiſſus Lovanii reſidens uti teſtis.*

WALDERUS von der Watterdort *Not. Publ. per conſilium Brabantiæ admiſſus Lovanii reſidens uti teſtis.*

MARTINUS BERCHMANS *Apoſtolicus & per conſilium Brabantiæ admiſſus Notarius Lovanii reſidens.*

§. III. Hucusque Inſtrumentum ſolemne de authographo V. Thomæ Lovanienſi. Quod autem hoc ſit antiquius authographo Antverpienſi, exinde colligitur, quia Lovanienſe nondum habet eum ordinem quatuor librorum, quem poſt annum 1441. obtinuit, & ab eo tempore in hunc diem retinuit. In iſto enim authographo Lovanii aſſervato, inter librum tertium & quartum intermediat alius Tractatus Thomæ Kempenſis *de Elevatione mentis* in Deum, qui nunc inter labores Kempiſianos conſtituit ſpeciale Opuſculum. Similiter liber in modernis editionibus tertius occupat locum ſecundum, & ſecundus tertium. Hæc mutatio à V. THOMA facta non eſſet, ſi alterius authoris Manuſcriptum quodpiam quatuor librorum de Imitatione eo in ſtatu, quo nunc

exiſtit,

exiſtit, præexſtitiſſet. Solùm ea, quæ adhuc imperfecta ſunt, ab eodém authore mutari ſolent in perfectius; non viciſſim perfecta in imperfecta. Itaque authographum Kempiſianum, quod nunc aſſervatur Lovanii, eſſe antiquius authographo Kempiſiano, quod nunc aſſervatur Antverpiæ, dicendum eſt. Idem confirmaretur, ſi Dupino fides adhibenda foret, quod liber quartus adhuc ſit imperfectus, utpote continens ſolam Præfationem quarti libri: (dont il n'y a, que la Preface) inquit. (n)

EXCEPTIO II.

§. IV. Etiamſi concedatur; Manuſcriptum *Lovanienſe* eſſe genuinum authographum *V. Thomæ*, idque inſuper antiquius authographo Antverpienſi; ex eo tamen non ſequitur, *V. Thomam* eſſe authorem libri; quia, teſte Inſtrumento Eruditorum Pariſienſium de anno 1671. in utroque Manuſcripto, tam Lovanienſi, quàm Antverpienſi reperiuntur *eadem omiſſiones*, quas verus author non retinuiſſet, ſi ſuum Originale incorrectum denuo deſcripſiſſet. (o)

RESPONSIO.

§. V. *Dupinus* more ſuo INCURIUS non exprimit, quales ſint illæ omiſſiones: exprimuntur tamen inſigniores in *Inſtrumento Pariſienſi*, edito per P. Delfau 1671. & 1674. nunc autem recuſo in *Baſi firma ædificii Gerſeniani*, fol. 27. Videamus, an omiſſiones ejus generis ſint, ut in eundem authorem nec ſoleant nec poſſint cadere. Inſtrumentum fol. cc. ſic habet.

In libris quatuor de Imitatione Chriſti, qui in iſto codice exſtant primo loco deprehenduntur errata non pauca, ex quibus hæc ſint in exempla.

1. Tranſpoſitio libri de Sacramento Altaris, qui cum in omnibus aliis quartus ſit, in hoc codice eſt tertius, tum in indiculo, tum in ipſa librorum ſerie, incipiens à folio verſo poſt librum ſecundum.

2. Omiſſiones quædam inſignes, ut in lib 1. cap. 13 fol. 11. poſt illum verſum, *principiis obſta ſero medicina paratur*, omittitur ſequens ad ſenſum neceſſarius: *Cùm mala per longas invaluere moras.* Et

(n) Nouv. Bibl. Tom. XII. f. 164.
(o) Baſis firma. f. 27. & Dupinus in diſſ. de Cauſa Kempiſ. §. 12.

Et in lib. 2. cap. 11. fol. 35. verſo; *Raro invenitur tam ſpiritualis &c.* omittitur verbum *invenitur*, quod in margine ſuppletum eſt manu recentiori.

3. Solæciſmi nonnulli: ut in lib quarto (qui in aliis tertius) cap. 36 fol. 94. verſo, *quod ſi ad præſens tu videris ſuccumbi*, pro *ſuccumbere.* Et cap 55. fol. 113. verſo, *ſtips inutilis*, pro *ſtirps inutilis.*

4. Lituræ quorundam verborum, quæ fallente oculorum jactu extra ordinem ſcripta fuerant, ut in lib. 1. cap. 19. fol. 15. verſo, *Exercitia & ſanctorum ſuffragia*, tria poſtremò verba minio deleta, quintâ poſt lineâ leguntur poſt idem vocabulum *Exercitia*, quod repetitum fefellit ſcribentis oculos: Et lib. 2. cap 8. folio 31. *potes citò perdere* etiam hæc vox *perdere*, quæ poſt tria vocabula ſubſequitur, minio deleta eſt. Hucusque Inſtrumentum.

Nemo non videt, tales variationes poſſe & ſolere cadere in eundem authorem.

§. VI. Verum nec iſto indigemus reſponſo. Conſtat; non inter duo authographa Kempiſiana reperiri hanc variationem, ſed Copias Amanuenſium variare ab authographis. Habeo teſtem *oculatum* fide digniſſimum, qui illos duos Codices centies attentiſſimè inſpexit, & de verbo ad verbum, ſtudioſiſſimè comparavit. Is eſt P. HENRICUS SOMMALIUS S. J. ſuis lucubrationibus clarus, qui in ſua Dedicatione ad novam editionem quatuor librorum de Imitatione, factam anno 1598. hoc eſt, duodecim ſolùm annis poſt *Inſtrumeutum Lovanienſe*, ſuperius §. 2. relatum, ſic ſcribit: *Quod D. Hieronymus & ſuis & probatiſſimorum operibus accidiſſe conqueritur, pariter huic libro* (de Imitatione) *eveniſſe, mihi quàm certiſſimum eſt; ut nimia Librariorum cura dixerim, an incuria labyrinthum errorum invexerit, dum corrigere audent, quæ non capiunt, vel quæ ſimpliciore ſtylo author conſcripſit, emendare ſtudent. Qui etiam eo ſunt progreſſi, ut non verba tantùm authoris, ſed ſubinde etiam ſenſum inverterint, ſententias integras transpoſuerint, nonnulla prætermiſerint, quædam denique inſeruerint de ſuo. Quæ omnia reſtitui ex authographo Scriptoris, quod nuper Dei beneficio in manus venit. Quartus verò liber de Eucharistiæ Sacramento tribus illis rectiſſimè adnectitur* &c. *Lovanii.* 1598. *Kal. Jan.* Idem in Præfat. ad Lectorem ſcribit: *Dedi operam, ut Thom à Kempis opera fere omnia ad authographa caſtigata exirent. Singula denuò ad authographa revocavi, atque etiam expendi; nonnulla ad integritatem deeſſe comperi. Gaudeo, quod Deus mihi tantillum otii conceſſerit, ut ea opportunè ſupplerem, quæ in prima editione defuerunt. -- Tam ſæpe authographa vidi, legi, revolvi, & cum priore editioni tam ſedulò contuli, ut meritò acquieſcere debeam.*

Gau-

Gandavi 1600. En! Sommalius teſtatur, quod Librarii quædam libro de Imitatione ex proprio ingenio interſeruerint. Habemus ergo omiſſiones Kempiſianas præcipuas, non fundatas in errore calami, aut poſſibili ſubin incuria Scriptoris properantis, ſed in temeritate Librariorum & Amanuenſium. Q. E. D.

EXCEPTIO III.

§.VII. NOn conſtat; Manuſcriptum Lovanienſe revera eſſe authographum V. Thomæ. Neque enim illi ſuum nomen adſcripſit, prout adſcripſit ſuo authographo Antverpienſi anno 1441. & teſte Dupino (p) illi, qui viderunt utrumque Manuſcriptum, non affirmarunt ſimilitudinem Scripturæ.

RESPONSIO.

§.VIII. FAlſitas hujus Exceptionis patet partim ex collatione ſingulorum characterum in quinque authographis Kempiſianis, qui licet magnitudine differant, diverſos tamen notabiliter manuum ductus, qui eidem authori repugnent, planè non produnt; partim ex Inſtrumento Lovanienſi, ſuperiùs §. II. adducto, ubi expreſsè dicitur, quod manu & caracteribus V. Thomæ codex exaratus ſit. En! verba Inſtrumenti: *Hic liber eſt ſcriptus manu & caracteribus P. Thomæ à Kempis* &c. Quod autem tam Vlimerius, quàm Petrus à S. Trudone & tres Notarii manum & genuinos caracteres V. Thomæ optime agnoverint, & præ oculis habuerint, demonſtratur ex ſolenni Inſtrumento Lovanienſi, qùod attuli in reſponſione ad *Exceptionem I.* & ex Inſtrumento, quo Notarius teſtatur, in hoc ipſiſſimo Monaſterio ad D. Martinum aſſervari Miſſale propria manu V. Thomæ ſcriptum anno 1417. En! Inſtrumentum.

(p) Il y a un autre Manuſcrit auſſi ecrit de la main de Thomas de Kempis, à ce que porte une Declaration ecrite par Jean Vlimmerius. -- Ceux, qui ont vû ces deux Manuſcrit, & les ont pu comparer, ne nous ont point dit, s' ils etoient d' une ecriture ſemblable.

Teſtimonium publicum de Miſſali, propria manu Thomæ Kemp. ſcripto.

O Bemmel.

Locus chartæ ſignatæ.

INfra ſcriptus Notarius publicus per curiam Brabantiæ admiſſus Lovanii reſidens fidem facio, & atteſtor, quod anno Domini milleſimo ſeptingenteſimo ſexageſimo primo, menſis Aprilis die prima ampliſſimus Dominus Jacobus Thomas Boſmans Can. Reg. Prior Throno-Martinianus, & Capituli Windezemenſis pro tempore Secretarius mihi ad legendum & examinandum tradiderit Miſſale integrum manu Ven. P. Thomæ à Kempis deſcriptum, litterisque rubeis, cæruleis, & nigris diſtinctum, ac variis abbreviationibus repletum, illæſum, & omni ſuſpicione mala carens, in cujus fine atramento rubicato, eadem manu exarata leguntur ſequentia:

(Anno Domini milleſimo quadringenteſimo decimo ſeptimo per manus Fratris Thomæ de Kempen) Concordantiam cum præfato Miſſali atteſtor

J. Eyckermans mppr. Notarius.

Nos Conſules, Scabini, cæterique de Conſilio oppidi Lovanienſis Brabantiæ Metropolis teſtamur & fidem facimus Magiſtrum J. Eyckermans, qui ſupra ſcriptam atteſtationem relaxavit, & ſubſignavit, eſſe Notarium publicum per Curiam Brabantiæ admiſſum in hoc oppido reſidentem, ejusque inſtrumentis publicis plenam, & indubiam fidem adhiberi, tam in, quam extra judicium, in ſignum fidei hasce ſigillo noſtro ad cauſas muniri, & per unum ex noſtris Secretariis juratis ſignari curavimus. Datum Lovanii hac prima Aprilis 1761.

(L.S.) J. D. Bouille Secretarius.

EXCEPTIO IV.

§. IX. TEſtimonium Vlimmerii de caracteribus & manu V. Thomæ, cum centum añis poſt hujus mortem vixerit, eſt exiguæ authoritatis. Ita *Dupinus*. (q) Idem argumentum multò magis urgeri poſſet de Petro à S. Trudone, qui ducentis ferme annis poſt Thomam Kemp. ſcripſit.

RESPONSIO.

§. X. INPRIMIS falſum eſt; *Vlimerium* vixiſſe centum annis poſt *V. Thomam*. SECUNDÒ falſum eſt, *Vlimmerium* & *Petrum à S. Trudone* in

(q) In Bibliotheca Eccleſiaſtica Gallicè ſcripta. Tom. XII. fol. 264.

in hac re eſſe exiguæ authoritatis. Tertiò potiùs è contrario certum eſt, *Dupinum* apud Catholicos, atque ipſosmet Benedictinos, immo etiam apud Acatholicos, exiguæ authoritatis eſſe. Singula reſponſionis membra convincenter probo.

Inprimis *Vlimmerius* jam anno 1561. *Lanfrancum*, *Guimundum*, *Algerum*, *Ivonem* & *Paſchaſium* à mendis repurgavit, typisque ediderat (r). Qui labor non juvenem, ſed virum in Scriptoribus Eccleſiaſticis & in Manuſcriptis exercitatum poſcit. Fâlſum proin eſt, eum vixiſſe centum annis poſt V. Thomam; qui obiit 1471.

§. XI. Circa Secundum adſcribo teſtimonium RR.mi Joannis Franciſci Foppens Canonici Cathedralis & Pœnitentiarii Mechlinenſis, qui l. cc, ſic ſcribit:

„ Joannes Vlimmerius Lovanienſis, Prior Canonicorum Regularium „ ad S. Martinum in patria, & Rector veterum Sanctimonialium Amſte- „ lodami, vir doctus, prudens & religioſus: mortuus eſt Lovanii anno „ 1597. Eruit è tenebris.

„ *S. Auguſtini Sermones de diverſis. Lanfrancum, Guimundum, Al-* „ *gerum, Ivonem, Paſchaſium de Veritate Corporis & Sanguinis Domini* „ *in Evchariſtia*, à mendis repurgavit, & uno volumine edidit Lova- „ nii, 1561. 8. apud Hieron. Wellæum.

„ Ad hæc auctiora & emendatiora dedit, typis Plantini, *S. Ful-* „ *gentii Opera.* in 8.

„ Denique ſcripſit, *Quo modo Eccleſia quieta in hac vita pergere* „ *poſſit.*

„ Sepultus eſt apud ſuos, hoc Epitaphio.

Ingenium ſortitus eras pernobile, quale
Attribuit caris largior aula poli.
A puero pietas, cælo gratiſſima virtus
Inſedit, ſtimulans ſubdere colla Deo.
Hoc melior factus, commercia noxia vulgi
Effugis, & patrii commoda lauta laris.
Numine correptus divina lycea frequentas,
Quæ de Martini *nomine nomen habent.*
Adfuit ingenti præclarus in arte Palæmon,
Qui ſtudio tenues accumulavit opes.

(r) Foppens in Bibliotheca Belgica, Tom. II. fol. 747.

Viribus ingenii immenſis monumenta vetuſta
Exeris, unde tuis parta corolla comis.
Inde gradu facto, ſublimes ſcandis honores,
Exercens propriæ ſceptra decora Domûs.
Jam tantis opibus tam lautâ dote beatus,
Tangebas facili ſidera celſa manu:
Sed nihil in rebus mortalibus undique felix,
Perpetimur varias ſorte premente vices.
Tu tamen interea fidei ſanctique laboris,
Accipis emeritæ præmia militiæ.

„ Obiit anno M. D. XCVII. Febr. III. Die.

Encomium Petri à S. Trudone habetur in Bibliotheca Belgica Foppenii Tom. II. fol. 1008. his verbis.

„ PETRUS à SANCTO-TRUDONE, aliàs VAN SINT-TRUYEN, Mech-
„ linienſis, Canonicus Regularis ad S. Martinum Lovanii, anno 1628.
„ unà cum fratre *Martino* (qui & ſcriptis claruit) Inſtitutum D. Augu-
„ ſtini profeſſus eſt. Obtentâ in Scholis Academicis S. Theol. laureâ,
„ apud ſuos Profeſſor & Supprior, anno 1652. in Priorem eligitur.
„ Nec diu poſt, in Priorem Generalem Congregationis Windeſemen-
„ ſis aſſumitur, anno nempe 1656. quod munus annos omnino XVII.
„ geſſit, viſitatis iteratò per utramque Germaniam ſubjectis ſibi Mona-
„ ſteriis, Principibus Imperii, Epiſcopis, cunctisque Academicis Lo-
„ vanienſibus pergratus.

„ Obiit Mechliniæ, in Bethania, quò ex Throno B. M. rediens di-
„ verterat, hydropiſi & aſthmate extinctus die 17. Septembris 1674. inde-
„ que ad ſuos Lovanium in tumulum ante majorem aram illatus; hoc
„ Epitaphio

H. S. E. Reverendiſſ. Pater
PETRUS A SANCTO-TRUDONE
Hujus Domûs Prior,
Et Capituli Windeſemenſis
Per utramque Germaniam Generalis;
Qui raro doctrinæ & humilitatis
Exemplo præfuit ſuis,
profuit omnibus.
Obiit Anno M. D. C. LXXIV.
Septembris XVII. Ætat. LXV.
Prioratûs XXIII. General. XVII.

„ Scri-

„ Scripſit eruditè contra *Chriſtianum Lupum*, S. T. D. Ord. S. Aug.
„ *Examen Teſtamenti S. Auguſtini*, ad ſtabiliendam filiorum primogeni-
„ turam: nempe Canonicorum Regularium ante Auguſtinianos. Lovanii
„ apud Nempæum. 1654. in 8.
„ Item *Catalogum Virorum editis ſcriptisve libris illuſtrium*, *Ordi-*
„ *nis Can. Reg. S. Auguſtini.* MS.
„ Et *Chronicon Cœnobii ſui Martiniani.* MS. *Ibidem.*

§. XII. Accedit, non à ſolo Vlimerio id affirmari, ſed etiam à RR. Petro à S. Trudone, anno 1656. electo in Generalem & Viſitatorem Congregationis Windesheimenſis per utramque Germaniam, & à tribus Notariis, qui ad ferendum teſtimonium *de manu* & *caracteribus* V. Thomæ non indigebant authographo Antverpienſi, cum in ipſo Monaſterio Lovanienſi præter alia authographa etiam haberent integrum Miſſale propria manu V. Thomæ, anno 1417. hoc eſt, poſt adeptum Sacerdotium, & poſt completum de Imitatione librum quartum biennio vel triennio, ſcriptum, prout ex ſolenni Inſtrumento §. VIII. allato ſatis liquet.

§. XIII. Quis jam, niſi impudentiſſimus, audeat aſſerere, teſtimonium Vlimmerii, Petri à S. Trudone, & trium Notariorum, teſtantium de manu & caracteribus Kempiſianis iisdem in Miſſali & aliis authographis, & in libro de Imitatione authographo eſſe exiguæ authoritatis.

§. XIV. Tertium reſponſionis membrum de authoritate *Dupini* reſervo ad Exceptionem proximam.

EXCEPTIO V.

§. XV. Authoritas Dupini, ejusque fides in rebus hiſtoricis non poteſt eſſe contemnenda, cum ab Archiepiſcopo Pariſienſi anno 1687. fuerit aſſumptus in Conjudicem in Cauſa Kempenſi. Quod ſi etiam non foret omni exceptione major, deprædicanda tamen, & ab Amortio meritò imitanda fuiſſet ejus moderatio, dum tam fautoribus Thomæ Kempenſis, quàm defenſoribus Joannis Gerſen Abbatis Benedictini probabilitatem adſcribit. (s)

RESPON-

(s) Baſis firma. fol. 225 226.

RESPONSIO.

§. XVI. Audiamus ergo Eruditorum etiam ipſorum Benedictinorum de Dupino judicium.

Primò. Eminentiſſimus *Cardinalis Quirinus* b. m. in Commentario Hiſtorico, *de rebus ſuis*, edito Brixiæ 1750. L. 2. C. 4. fol. 119. ſic ſcribit. „ Ludovicus Ellies du Pin, etſi quorundam judicio, in Italia præſertim, cenſeretur nemini fuiſſe ſecundus in omnigenæ eruditionis laude, „ viſus tamen mihi eſt levis prorſus armaturæ, ac pro hujusmodi homine habebatur à San-Germanenſibus meis. Hiſce excitantibus, „ periculum non una tantum vice facere mihi libuit, num ſolida, an „ fucata tantum ille eruditione polleret. Unum dumtaxat referam; „ quo palam comprobabitur, quam inconſiderate, quam tumultuarie „ ex Authorum ſcriptis ſua concinnaret excerpta. Expendenda ſuſceperam quæcumque ſpectarent ad Edmundum Richerium, quumque „ putarem, uberrimam de eo argumento meſſem à me inventum iri in „ Dupiniana Bibliotheca Scriptorum Eccleſiaſticorum Sæculi XVII. miratus præter modum ſum, in eadem diligenter à me verſata nec ipſum „ Richerii nomen comparere. Dum ſemel igitur domi Dupinum conveniſſem, narravi ipſi quod mihi recens acciderat. Ille indignanti ſimilis manum ſtatim admovit libro, quo continetur Tabula generalis „ ejusdem Bibliothecæ, facileque in ea detecto Richerii nomine meam „ indiligentiam verbis haud ita lenibus redarguit. At ego, cui compertum jam erat, nomen illud in ea Tabula extare, provocavi è veſtigio „ ad Bibliothecam ipſam. Tunc ille mihi apertius ſubiraſcens Bibliothecæ Tomum in ea Tabula allegatum avidis manibus arripuit, certo confidens, Richerii res geſtas, quas interea affirmabat ſe lato calamo tractaſſe, in eodem non defuturas. Cum itaque totum a capite ad calcem ſemel, iterumque pervolutavit, nec deſtitit id agere, donec certo certius dignoviſſet, Richerii nomen, quod extabat in Tabula, in „ Bibliotheca omnino deſiderari. Pudore ergo ſuffuſus, ut verba narrationis jam jam laudatæ huc transferam, *il prit le parti de ſe jetter ſur les complimens*. Ego autem comiter cum eodem egi, ut decebat, „ ac proinde multo etiam abfui, ut reliqua verba ejusdem narrationis „ potuerim uſurpare, *Je l'entrepris, & je le menai ſi rudement &c.* „ Probarunt magnopere San-Germanenſes, poſtquam domum reverſus „ rem ipſis expoſui, abſtinuiſſe me ab omni aſperitate, ac nec ipſi, nec

„ ego

„ ego abſtinuimus à cachinnis, quos utique eventus ille merebatur. Haud „ valde diſſimiles mihi cum homine illo confabulanti, aliis etiam vicibus, contigerunt. Inde verò ſatis plane intelligere potui, cujus generis foret acervus, quem in ſua Bibliotheca Dupinus collegit.

SECUNDÒ. *P. Schüz S. J.* in ſuo Commentario Critico V. *Dupinus* eum iſto largo encomio mactat. „ DUPINUS LUDOVICUS ELIAS, Doctor „ Pariſinus, à ſcriptionum numero, quàm à modeſtia, Criterio, aut „ ſinceritate notior, præter Hiſtoriam Concilii Tridentini: Diſſertationes Hiſtoricas de Antiqua Eccleſiæ Diſciplina: Tractatum Theologico-Philoſophicum de Veritate: Tractatum de Doctrina Chriſtiana: Methodum Studii Theologici rectè inſtituendi, edidit etiam, Bibliothecam Scriptorum Eccleſiaſticorum. XIX. Tomis in forma quarta conſtantem, cœptam A. 1690, abſolutam A. 1715, ùt Menkenius ait. „ Intemperantioris Criticæ Scriptorem fuiſſe Dupinum, ſanior Eruditorum conſenſio tenet. Cuperus noſter *T. IV. Aug.* in Actis S. Symphoriani M. p. 495. n. 25. illum *hypercriticum* vocat: *Tomo* vero *I. Aug.* in Hiſt. Chronol. p. 69. n. 382. idem Cuperus advertit, quòd circa Joannis IV. ſive Jejunatoris CPolitani chronotaxin eundem cum Caveo & Oudino Apoſtata parachroniſmum *etiam deglutiverit famoſus Dupinus in Gallica Scriptorum Bibliotheca, ubi non rarò ſua ex heterodoxis temerè tranſcripſit.* Uberiùs Dupinum Graveſonius in Hiſt. Eccl. P. III. T. VIII. Colloq. V. p. m. 161. hiſce verbîs deſcripſit: *Joannis Launoii cùm eſſet diſcipulus* (Dupinus) *ejus veſtigia ubique preſſit, & in his, quæ edidit, Operibus, præſertim in ſua Bibliotheca Scriptorum Eccleſiaſticorum, quæ XIX. Tomos complectitur, de Romanis Pontificibus parùm reverenter loquitur; in Sanctorum Patrum Opera, ſtylum & doctrinam, quaſi pro tribunali ſedens, virgam cenſoriam exercet: Sanctorum Eccleſiæ Doctorum, Auguſtini & Hieronymi Opera, deprimit: Scriptorum Eccleſiaſticorum lucubrationes pro ſuo guſtu & arbitrio aut contemnit aut extollit: Viris Regularibus, quos vulgò mendicantes appellamus, præcipuè Fratribus Prædicatoribus, ſeſe paſſim infenſum prodit, eorumque Opera parvi facit: receptas traditiones & opiniones, quæ fidelium pietatem alere poſſunt, tanquam fabulas, ſuperſtitionem, & putida commenta irridet, explodit, exſibilat, atque infelicibus conjecturis abolere conatur; unde hic Dupinus Dictaturam, neſcio quam, ſine eruditorum ſuffragiis, in liberrimâ Republica literaria ſibi arrogat, & ſi quos à ſe vel mini-*

Salisburgenſis ſcriptus 1463. Octavò. *Germanenſis à Pratis*, ſcriptus 1460. Nonò. *Gerardimontenſis*, cui ultimum folium deeſt; non tamen teſtimonium Bibliothecarii, qui ſe in illo ultimo folio quondam hæc verba legiſſe coram Notario jurabat: *Hic liber conſcriptus fuit à F. Ludovico de Monte, qui obiit ante annum milleſimum quadringenteſimum* (x). Eruditi Pariſienſes teſtantur ſolùm, quod viderint teſtimonium Notarii ſine anno, die & conſule teſtantis de juramento monachi, de quo pariter non exprimitur, quandò & qualis vixerit. Decimò. *Padolironenſis*, ſine anno: de quo tamen Eruditi Pariſienſes teſtantur: Codex videtur ſcriptus ante annos minimùm ducentos (id eſt, ante 1471.) Undecimò. *Allatiánus*, ſine anno. Duodecimò. *Cavenſis*, ſine anno. Decimo tertiò. *Aronenſis Codicis* deſcriptio per Notarium. Primi octo Codices nec hilùm probant contra V. Thomam, cùm omnes ſcripti ſint poſt ejus Protographum, quod exaratum fuiſſe anno 1414. vel 1415, rectè colligitur ex duobus ſolennibus Inſtrumentis Lovanienſibus ſuperiùs adductis §. II. & §. VIII. Ex priori enim Inſtrumento patet; Lovanii aſſervari Manuſcriptum de Imitatione manu & caracteribus V. Thomæ ſcriptum, idque adhuc imperfectum, nec ſubſcripta ordinaria Copiatorum formulâ: *Per manus* &c. Ex altero autem Inſtrumento patet; Lovanii in eodem Monaſterio aſſervari *Miſſale* V. Thomæ, propria ejus manu ſcriptum anno 1417, ac ſubſcriptum ordinaria Copiatorum formula: *Per manus Fratris Thomæ &c.* En! *caracteres* in utroque Manuſcripto *iidem* ſunt. Unum authographum eſt *completum*, alterum *incompletum*. Uni *eſt adſcripta Copiatoris formula*, alteri *non eſt adſcripta*. *Completus* ſignatur *anno* 1417. *incompletus nullò*. Nil proin obſtat, prius Manuſcriptum haberi poſſe pro ipſo *Protographo V. Thomæ*, & rectè haberi, adminiculante ſimul circumſtantia concurrentis Sacerdotii neo-ſuſcepti à V. Thoma anno 1413. cum expreſſione in L. 4. C. 5. v. 2 ubi author, poſtquam per priora quatuor capita ſolùm de communicante egerat, nunc capite quinto ſe ipſum excitans, & tanquam de facto recenti loquens ait: *Ecce Sacerdos factus es: Non alleviaſti onus tuum* &c.

§. XX. Codex nonus repræſentat teſtem de Benedictino jurato teſte circa viſum ante aliquot annos Manuſcriptum, de quo non conſtat; quan-

(x) Forte Scriptor addere volebat annum *Nonageſimum*, *Octuageſimum*, *Sexageſimum* &c. eo tempore, quo hæc ſcripſit, ſibi nondum compertum. Vide Schematiſmum N. 2. & 10.

quandonam? & à quo? an poſt vel ante exortam controverſiam? an à perito vel imperito? idoneo vel inidoneo teſte? an caractere recenti vel antiquo ſcriptum ſit? & cujus teſtimonio ipſamet Opuſcula indubia V. Thomæ Kempenſis recentiora, in eodem Manuſcripto Codice contenta, contradicunt? Denique cujus teſtimonium ipſemet Dupinus, quem Author *Baſis firmæ* ſuæ cauſæ faventem deprædicat, in ſua *Diſſert.* de *cauſa Kemp.* §. VII. his verbis intrepidè rejicit: *Cum neſciatur, à quo id fuerit annotatum, nec quo tempore, & aliunde Codex ille librum Thomæ à Kempis* de Disciplina Claustralium *contineat, fruſtra adduceretur ad oſtendendum, librum de Imitatione Thomâ antiquiorem eſſe.* Plura vide in mea *Deduct. Crit.* fol. 83. 84. & *Notam* excuſatoriam ſub Litt. (x) ſuperiùs §. XIX. adjectam. Si autem necdum hæc cuiquam ſatisfaciant, ſed mordicus contendat, nec in Notario nec in Monacho præſumendam eſſe fraudem, vel errorem, id lubens conceſſero, quamdiu per argumenta directa nulla ſtat moralis certitudo in oppoſitum, qualem tamen pro V. Thoma ſtare monſtravi in mea *Deductione Critica.* Hac certitudine comparente præſumptio cedit veritati. Si quis autem cervicis ferreæ exiſtimet, juratum teſtem de viſu nec falli nec fallere moraliter poſſe, non deerunt mihi mille exempla de ſuppoſitione falſorum Diplomatum, de ſuppoſititiis Epiſtolis, de ſuppoſitione librorum & Tractatuum, de Corruptione Patrum, & Vitarum de Sanctis, &c. Duo interim falſationum inſignium exempla, reſpectivè domeſtica, à me omitti non decet. Circa corpus S. Dyoniſii Epiſcopi Pariſienſis, & circa corpus S. Benedicti; quinam habendi ſunt pro falſariis? An Ratisbonenſes monahi, vel Pariſienſes? An Caſſinenſes in Italia, vel Floriacenſes in Gallia? Simile exemplum habetur de corpore S. Marci Evangeliſtæ Venetiis & Augiæ divitis aſſervato. Frequentiùs partim ex malitia, partim ex ſtupiditate iſta fallunt, quàm *certitudo moralis* circa quæſtionem facti de genuino authore alicujus libri in teſtimonio ſeptuaginta coævorum teſtium, & in conformitate quoad trecentos Idiotiſmos Styli fundata.

§. XXI. De Codice decimo, nempe Padolironensi, præferente nomen *Joannis Gerſen*, Eruditi Pariſienſes anno 1671. id ſolùm teſtantur, quod Codex *videatur ſcriptus ante annos minimum ducentos*, id eſt ante annum 1471, quo Thomas Kempenſis jam nonagenarius obiit. Sub nomine autem *Joannis Gerſen* intellectum fuiſſe Joannem Gerſonem Cancellarium Pariſienſem, ex ipſo illo Codice Padolironenſi manifeſtè

 patet,

patet, quia in eodem continetur Epitaphium Gerſonis Cancellarii ſub his terminis:

Magnum parva tenet virtutibus urna Joannem
Præcelſum meritis Gerſen cognomine dictum
Pariſiis Sacræ Profeſſor Theologiæ,
Claruit Eccleſiæ qui Conſiliarius anno
1429. &c.

Aliud hujus identitatis argumentum vide in mea *Deduct. Crit.* fol. 89. ex *Bibliotheca Quelferbytana*, ubi in Rubrica primi Capituli legitur: *Compilatum per* JOANNEM GERSEN CANCELLARIUM *Pariſienſem.* Ipſemet VALSECHUS Benedictinus in ſuo Gerſene vindicato fol. 31. & 57. fatetur, in ſuo Monaſterio florentino aſſervari Manuſcriptum in 4.to membranaceum, ſcriptum anno 1466. cum hac Inſcriptione: *Incipit libellus devotus & utilis compoſitus à D. Joanne Gerſen Cancellario Pariſienſi. De Imitatione Chriſti.* Idipſum confirmatur ex Manuſcripta verſione Italica librorum de Imitatione, achrona quidem, ſed quantum ex ſcriptura hujus verſionis, cujus ipſum Originale nobis communicavit Generalis Canonicorum Regularium Congregationis Salvatorenſis in Italia RR.mus TROMBELLIUS. In verſionis iſtius Italicæ prima littera depictus eſt Chriſtus, in manibus crucem geſtans. Infra Chriſtum flectunt duo juniores Clerici Regulares coronam Clericalem in capite, albam togam, & alba Scapularia ex humeris defluentia ferentes, qualia geſtant Canonici Regulares Salvatorenſes. Ipſa verſio Italica ſic incipit:

Incominçia lo libro compoſto da vno ſeruo di Dio chiamato Giouañi de Gerſenis: (y) *della uita di Chriſto & diſpregio de tutte le Uanita del mondo. C.º primo.*

Dice el Signore chi ſeguita me non ua in tenebre: ma hauera el lume della uita. Queſte ſono parolle de Chriſto &c. Vide in Schematiſmo formulam hujus ſcripturæ æri inciſam Num. 18.

Ex hoc ergo colligitur, in Italia circa finem Sæculi XV. fuiſſe creditum; librum hunc eſſe compoſitum ab aliquo Servo Dei, cui nomen *Joannes*, & qui oriundus eſt ex vico *Gerſen*, non procul diſſito ab urbe Rhe-

(y) Nota, quod ipſemet Gerſon in ultimis actis vitæ ſe ſubſcribere ſolitus ſit *Joannes de Gerſon*. V Tom. III. Operum Gerſonis, edit. Paris. 1728. F. 760. 761. Vide infra §. 72. 84.

Rhemenſi, quæ circumſtantiæ non concurrunt, niſi in alterutro ex tribus fratribus, nempe in Joanne Gerſon Cancellario, qui ab anno 1420. per quatuor años Lugduni in monaſterio Cœleſtinorum vitam ſolitariam duxit. Vide in *Præfatione* §. II. acta ejus vitæ & in Joanne Gerſon Lugduni Priore Cœleſtinorum militantium ſub Regula S. Benedicti, viro præclaro, & in tertio fratre Gerſonis Cancellarii, natu minimo, monacho Benedictino in Monaſterio Rhemenſi. Horum proin Joannum uni adſcribi deberet. Poſteriori tamen vehementer obſtat, quòd Rhemis primùm factus fuerit Novitius circa annum 1417. (z) quo tempore juxta ipſos Gerſeniſtas, juxta me verò jam anno 1415, vel 1414. jam extitit Liber de Imitatione; Joanni autem Cœleſtino nil obſtaret niſi defectus probationum ex conteſſeratione teſtium coævorum, & identitate Styli ex trecentis Idiotiſmis. De hac verſione Italica, quæ ſapere videtur Italo-Hiſpanum, vide plura, quæ ſcripſi in Præfatione §. IV. in fine.

§. XXII. Circa Codicem undecimum Allatianum, qui ad finem Sæculi decimi quinti ſcriptus & ex Germania, nempe Viennâ, Romam transmiſſus eſt; reſpondeo, hunc Codicem eſſe recentem, cum contineat etiam quædam Opuſcula *Nicolai Dinklſpil* & *Bullam* anno 1448. *Canabacum* hactenus nemo in orbe reperit, niſi coincidat cum *Cavaglia*, prout *Quatremarius*, *Valgravius*, & *Delfavius* hariolantur; vel prout ego conjicio, cum *Rorbach*, loco ſtematis Rorbachiorum, ex quo etiam famoſus ille Bertolfus de Rorbach anno 1359. concrematus prodiit. Si verò cuiquam prior conjectura placeat, ſciat; nec *Cavagliaci*, nec *Alliaci* monaſterium propriè dictum unquam extitiſſe, prout olim ex notitiis à P. Ghiotti S. J. acceptis, ſcripſeram. Canonici enim Regulares Vercellenſes *ad S. Andream* antiquitùs quidem obtinuerunt à Comitibus Cavaliacenſibus prædia & Parochiam Allicenſem, quæ in hunc diem poſſident teſte eruditiſſimo Abbate Lateranenſi *de Frova* per Epiſtolam ad meum RR. Præpoſitum *Vercellis* datam Kal. Maij 1762; authorem tamen libri de Imitatione eo titulo ſibi non prætendunt. Dupinus ipſemet fate-

(z) Gerſon in Epiſtola ad Nicolaum fratrem teſtatur 1.mo ſe habere ætatem *propinquam ſenectuti.* 2.do ſuum germanum fratrem (Joannem) eſſe *Novitium.* 3 tio eum eſſe *verecundum juvenem* V.T. III fol. 742. Senectus autem juxta Medicos non incipit, niſi poſt annum 50. 55. 60. V. PALEOTUM. *De bono ſenectutis*, f. 9.

fatetur; hoc Gerſeniſtarum argumentum ex Codice Allatiano Gerſeniſtis ad exſculpendum Abbatem Benedictinum nullum præbere fundamentum. In ſua Diſſert. de cauſa Kemp. §. XII. n. le *ſixieme* ſcribit: *Nullo ex capite probari poteſt, quod Joannes de Canabaco ſit eadem perſona cum Joanne Gerſen, qui in aliis Manuſcriptis exprimitur.* Ita Dupinus.

§. XXIII. Veniamus nunc ad Codicem duodecimum, nempe Cavenſem, anonymum & achronum, nec vetuſtiorem Kempenſi. Cajetanus quidem mediante Sæculo decimo ſeptimo ſcribens eum trecentorum annorum judicat: ſed quàm imperitè in hoc ipſo puncto erret, non ſolùm peritiores, etiam Benedictini agnoſcunt, ſed res ipſa loquitur. Dupinus aſſeſſor Synedrii Pariſienſis ſenioris de anno 1687. in ſua Diſſert. cc. §. 12. n. *le ſeptieme* ſcribit: *In prima littera* (hujus Codicis) *conſpicitur imago monachi Benedictini, ſed quo fundamento exinde concludi poterit, librum de Imitatione eſſe authoris Benedictini? Ad ſummum exinde* conjectura *ſumi poſſet, authorem eſſe Benedictinum.* Ita prudenter & Criticè Dupinus. P. Virginius Valsechi, Monachus Caſſinenſis, zeloſus Gerſeniſta, in præfatione ſui libri, cui Titulus: *Giovanni Gerſen ſoſtenuto auctore de libri dell' Imitazione* ſic ſcribit: *Quamvis Cajetanus* (anno 1644.) *ſcribat, hunc codicem ante trecentos annos ſcriptum fuiſſe, nolim tamen eum adducere, ne allegem res non certas.* Rectè ſic ſcripſit Valsechus. Res ipſa enim monſtrat, codicem illum non poſſe affirmari antiquiorem ſæculo decimo quinto. Mabillonius in ſuo Opere *de Re Diplomatica* fol. 373. n. 9. attulit hujus Codicis formulam, quæ ſimilis eſt aliis ſcripturis exaratis mediante Sæculo decimo quinto, præſertim authographo Kempenſi, Bellovacenſi, & Aronenſi. Nos ipſi in noſtra Bibliotheca habemus Manuſcriptos Codices Sæculi decimi quinti mediantis, in quibus, ſicut in Cavenſi, frequentiſſimæ abbreviationes, puncta ſupra jota, lineolæ autem raræ eæque breviſſimæ occurrunt.

§. XXIV. Decimus tertius Codex MS. eſt Aronensis quem non eſſe antiquiorem Sæculo XV. convincentiſſimè oſtendi ex formula hujus Scripturæ, quam inſerui meæ Deductioni Criticæ fol. 75. Certus ènim ſum; in moderna luce rei antiquariæ & Criticæ extra Caſtra Gerſeniſtarum ne quidem unicum Eruditorum reperiendum fore in Germania, Italia, & Gallia, qui nomen ſuum publicè profiteri audeat in catalogo teſtium, referentium Codicis Aronenſis ſcripturam potius ad Sæculum

lum decimum quartum, quàm decimum quintum. Habeant interea ex Italia Gerſeniſtæ unum-alterumve teſtimonium. Româ ſic ſcribitur.

EXTRACTUS

Ex litteris RR. DD. JOSEPHI BLANCHINI Presb. Cong. Orat. S. Philippi Nerii ad *Euſebium Amort.*

ROgas, ut ego indicem tibi, quid ſapientiſſimi Cuſtodes Bibliothecæ Vaticanæ ASSEMANUS & FOGGINI, quid eruditi ejusdem Bibliothecæ Scriptores, demùm ego quid ſentiam de ætate Codicis MS Aronenſis *de Imitatione Chriſti*, quem Gerſeniſtæ ex Caracterum forma XIV Chriſti Sæculo ſcriptum fuiſſe contendunt. Ectypon à te inſertum fol 75 tuæ victricis *Deductionis* (quam mihi perhumaniter donodediſti) noſtro omnium judicio exhibet Caracteres ætatis Sæculi XV.

Romæ III. Id. Novembris 1761.

Sequitur teſtimonium Mediolanenſe.

EXTRACTUS

Ex litteris RR. DD. Benedicti SAVOLDI Abb. Lat. ad RR. DD. FRANCISCUM, Præpoſitum Pollinganum.

AD Aronenſem Codicem quod attinet, cujus caracteres æri inciſos diligenter obſervavi, dicerem opus dumtaxat eſſe poſſe Sæculi XV. jam dudum inchoati; quid alii in dijudicanda codicum ætate valentiores profectò ſenſerint, quosve ut morem tibi gererem, hic conſului, ex adjecto eorumdem teſtimonio colliges.

Brixiæ 7. Jan. 1762.

Litteræ CAROLI DONEDA,

Brixiæ, die 29. Decembris anni 1761.

A RR.mo P. Abbate SAVOLDI C. R. L. requiſitus de meo judicio circa antiquitatem caracteris cujusdam MS. nomen Johannis Abbatis Geſſen ſive Gerſen præſeferentis, cujus ſpecimen typis expreſſum mihi conſiderandum obtulit, reſpondeo, me judice ſcriptum fuiſſe poſt annum 1400. ſed ante annum 1450. & ita ſalvo ſemper meliori judicio affirmo

CAROLUS DONEDA.

Idem ſentio Ego FRANCISCUS PADALDUS.

Verùm nec in his acquieſco. Pergo ad inſpectionem ocularem, atque oſtendo, Codicem Aronenſem ne quidem ad Sæculum XV. potiori jure

quàm ad Sæculum XVI. referri, prout ex Reſponſione ad Exceptionem ſequentem patebit.

EXCEPTIO VII.

§. XXV. JUdicium Eruditorum Pariſienſium de anno 1671. & 1687. pro Gerſeniſtis Benedictinis ſtat. Ergo Baſis in horum favorem firma ſtat.

RESPONSIO.

§. XXVI. UTrumque eſt falſiſſimum. Judicium illud de anno 1671. id unum teſtatur; quod Codices, à Benedictinis producti, *incorrupti* ſint; & quod duo ex illis *ante annos ducentos* ſcripti ſint. Quid tum? Nihil præjudicii conſequi Kempiſio, in mea *Deductione* & ſuperius in Reſponſione ad Except. VI. §. 19. & ſeqq. oſtenſum eſt. Judicium Pariſiense de anno 1687, cui Dupinus interfuit, triplici ex capite claudicat. Inprimis ſenſum ſuum nullo aperuit Inſtrumento vel teſtimonio: ex quo manifeſte colligitur, eos vel non fuiſſe concordes vel parum faventes Gerſeni. *Secundò*, non ſe declaravit pro Gerſene Benedictino, ſed potius jus attribuit Gerſoni Cancellario. *Tertiò*, ſi verum eſt, quod Dupinus ſolus aſſerit, illud judicaſſe, quod Codex Aronenſis videatur eſſe trecentorum annorum, ex ſequentibus ad oculum demonſtratur illud turpiter errore plane erubeſcendo erraſſe, quod de concordi judicio Eruditorum nemo præſumet. Ergo *Baſis Gerſeniana* firma non ſtat.

Dixi 1.mo Nullum comparuiſſe Inſtrumentum de judicio Pariſienſium de anno 1687. ſicut tamen Delfavius protulit de anno 1671. manifeſto indicio, aut nullum fuiſſe erectum, aut illud non fuiſſe concorde aut omnino contrarium prætenſioni Benedictinorum. Si enim judicium concorditer vel ſaltem majori ex parte pronuntiaſſet in favorem Benedictinorum, hi non omiſiſſent poſtulare ſolenne Inſtrumentum per Notarium, vel teſtimonium à ſingulis conjudicibus, prout fecerunt anno 1671, ubi agebatur de ſola incorruptione Codicum.

Dixi 2.do Illud judicium non ſtatuminaſſe Gerſenem Benedictinum, ſed potius Gerſonem Cancellarium. Id enim patet ex teſtimonio Dupini,

Aſſeſ-

Aſſeſſore illius Synedrii. En ejus verba in *Diſſert.* de hac cauſa. §. 13.
„ *Septimò.* Joannes Gerſon Cancellarius Univerſitatis Pariſienſis inter
„ tres authores (Thomam, Gerſenem, Gerſonem) videtur majus jus
„ (plus de droit, plus juris) habere, ſi ſolùm teſtimonia ſeu argumenta
„ extrinſeca (temoignages exterieurs (ſpectentur. Manuſcripta, in qui-
„ bus ſcribitur Joannes Gerſen vel Geſen, poſſunt, excepto uno ſolo,
„ in quo continetur nomen Abbatis, explicari per corruptionem nomi-
„ nis. Pro eo ſtat ſenſus communis in Gallia & Italia Sæculo decimo
„ quinto & decimo ſexto ſed duæ res contra has rationes gravitant
„ (contrabalancent) nempe qualitas monachi, quæ huic authori tri-
„ buitur, & diverſitas Styli. *Octavò.* Qualitates *Abbatis*, *ad S. Ste-*
„ *phanum*, *Vercellis*, *Ordinis S. Benedicti*, quæ prætenſo Joanni Ger-
„ ſen (au pretendu Jean Gerſen) tribuuntur, nullo omnino nituntur
„ fundamento. „ Hucusque Dupinus Aſſeſſor Synedrii Pariſienſis an-
no 1687. En Baſin firmam ex illo judicio!

EXCEPTIO VIII.

§. XXVII. Codex manu Thomæ exaratus eum exſcriptorem probat, non authorem. (a)

RESPONSIO.

§. XXVIII. Fateor; Codex V. Thomæ anno 1441. *per manus Fr. Thomæ* ſubſcriptus eum duntaxat exſcriptorem probaret, niſi conſtaret de alio ejus Authographo anteriore, ſeu Protographo, quod caret hac ſubſcriptione, & niſi concurrerent alia duo argumenta moraliter certa ex 70 partim Synchronis, partim coævis teſtibus, & ex trecentis idiotiſmis Styli Kempiſiani, cui certitudini meritò cedere debet contraria præſumptio illa ex formula ſubſcriptionis petita, veriſſimâ tamen, etſi fuerit V. Thomas author, &, cum cerneret creſcere æſtimationem libelli, ejus humilitati congruâ. Superiùs §. 2. jam oſtenſum eſt dari aliud authographum V. Thomæ anterius, in quo non habetur illa ſubſcriptio: *per manus* &c.

(a) in Baſi firma. fol. 40.

EXCEPTIO IX.

§. XXIX. LIber de Imitatione jam D. Bonaventuræ & S. Thomæ notus erat; adeoque Thoma Malleolo antiquior. (b)

RESPONSIO.

§. XXX. NOn erubuit recens Gerſeniſta, Delfavii veteres recudere nugas, & falſitates à me in Deductione Critica §. 42. & 94. convictas erroris, quo Lectorem remitto.

EXCEPTIO X.

§. XXXI. LIbrum de Imitatione agnovit Trithemius Thoma antiquiorem. Gemino tamen errori ſe implicuit Trithemius geminos comminiſcendo Thomas. (c)

RESPONSIO.

§. XXXII. ITerum Gerſeniſta nuperus non erubuit, vetus Delfavii recudere argumentum, à me in Deductione Critica §. 117. & 146. convictum erroris, quo Lectorem remitto.

EXCEPTIO XI.

§. XXXIII. MAthias Farinator, qui Thomam Kempenſem ætate longe præceſſit, exſcripſit Librum de Imitatione. (d)

RESPONSIO.

§. XXXIV. REcens Gerſeniſta ne quidem hac vice erubuit, ſui Delfavii argumentum à me in Deductione Critica §. 137. falſitatis convictum.

EXCE-

(b) in Baſi firma fol. 52.
(c) in Baſi firma. fol. 59.
(d) in Baſi firma fol. 63.

EXCEPTIO XII.

§.XXXV. JAm ineunte Sæculo decimo quinto, quo tempore Thomas Kempenſis adhuc erat adoleſcens nullius nominis, habebantur in Italia, Gallia, & Germania non ſolùm exemplaria ſed etiam verſiones, Italica, Gallica, & Germanica hujus libri. Ergo liber jam tunc celebris non poteſt eſſe Thomæ K.

RESPONSIO.

§.XXXVI. GErſeniſta nuperus ne quidem hoc loco erubuit recudendo Delfavianum recudere denuo argumentum in mea Deduct. Crit. fol. 3. 39. 50. §. 39. 66. 81. 101. convictum falſitatis. Non reperitur ullum Exemplar de Imitatione antiquius anno 1414. Thomas K. hoc anno non erat amplius adoleſcens aut juvenis. Ab anno 1414. usque ad annum 1441. vix reperiuntur decem Exemplaria hujus libri, eaque valde difformia inter ſe quoad ipſam materiam, ordinem, & ſubſtantiam non ſolùm Capitum, ſed etiam integrorum librorum, prout patet ex Manuſcripto noſtræ Bibliothecæ Pollinganæ, ſcripto anno 1441, ubi liber primus totaliter eſt alius, continens excerpta ex D. Bernardo, D. Bonaventura, Petro de Alliaco &c. Totum hunc librum primum inſerui meæ *ſuccinctæ Informationi de Controverſia Kempiſiana*. fol. 265. editæ Auguſtæ 1725. Prima illius primi libri pars continet Tractatulum D. BONAVENTURÆ *de Humilitate*, & Tractatulum PETRI DE ALLIACO *de quatuor Exercitiis ſpiritualibus*, & Tractatulum D. BERNARDI *de quatuor Gradibus Exercitii ſpiritualis*. Hæ variationes primi libri, & univerſale ſilentium Gerſonis, aliorumque Aſcetarum Sæculo decimo quinto ineunte, etiam ubi ex Inſtituto ſcribunt Catalogos optimorum librorum Aſceticorum (e), eſt evidens ſignum librum de Imitatione initio Sæculi decimi quinti necdum fuiſſe celebrem, nec habuiſſe ſtatum jam perfectum, completum ac fixum.

(e) Vide in Operibus Gerſonis duos ejusmodi Catalogos. videlicet Tom. III. 434. & Tom. IV. in Epiſtola ad quendam Cœleſtinum, interrogantem, qui ſint optimi libri Aſcetici.

EXCEPTIO XIII.

§. XXXVII. IN Comitis Engoliſmenſis ſuppellectili libraria anno 1467 annotatus reperiebatur liber de Imitatione ſcriptus litteris *ſatis caducis*. Ergo liber de Imitatione ſcriptus eſt ante Thomam K. (f)

RESPONSIO.

§. XXXVIII. *INprimis* non conſtat; utrum Catalogus ille librorum aſſervatorum anno 1467. in Bibliotheca Comitis Engoliſmenſis loquatur potius *de Imitatione* Chriſti quam *de Imitatione S. Bernardi*, quam ſuo Protoparenti debent ejus filii. Certe Titulus & initium & finis Libri non correſpondet cum Libro de Imitatione Chriſti, de quo vertitur quæſtio. En! titulum, initium, & finem illius Codicis Engoliſmenſis! *La imitation de S. Bernard avec pluſieurs Oraiſons & devotions en papier, en lettres communes bien caduques, commençant au premier feuillet*: Deus omnipotens *à la fin totale*: *honorabiliſque*. Neque hoc initium, neque hic finis reperitur in libro *de Imitatione Chriſti*, de quo controvertitur. *Secundò* hic liber ſcriptus eſt in *papyro*, cujus inventio referenda eſt ad primos annos Sæculi decimi quarti. In Bavaria & locis finitimis inter plura Manuſcriptorum millia, quæ perluſtravi, integrum Codicem papyraceum reperi omnino nullum ante annum 1368, & ab eo tempore usque ad annum 1400. vix reperi viginti in papyro ſcriptos. Vide meam Art. Crit. part. IV. §. VI. Ex quo tempore incepit modus ſcribendi luridus ſeu compendioſus per abbreviationes, & per atramentum evanidum. *Tertiò*. Nullæ unquam litteræ vocabantur *caducæ*, niſi ratione *atramenti*, quod non rarò ſeneſcit, deficit, ac evaneſcit, ſeu inſtar *caducæ valetududinis* caducum fit intra quinquaginta annos, præſertim in papyro *tenui*, vel *malè calcinata*, vel *malè ſiccata*, vel *per aquam*, præſertim *pluviam*, *læſa*, qualiter per deſtillationem ex tecto læſa non pauca Manuſcripta &c. vidi. Quinquaginta autem anni ab anno 1467. ad primordia Kempiſiana redeunt, quibus germani fratres Joannes & Thomas Kempenſis Collectanea ex D. Bernar-

do

(f) Baſis firma. fol. 69.

do colligere cœperunt, prout in eorum vitæ *Indiculo*, meæ *Deductioni Criticæ* præfixo, oſtendi. Nihil ergo ex iſto capite certi contra certitudinem moralem Kempiſianam apponitur. (g) Addo; anno 1467 alicui litteras videri potuiſſe antiquas, quæ reipſa adeo antiquæ non erant. Sic Benedictini cum nonnullis Pariſienſibus judicarunt anno 1681. & 1687. Codicem Aronenſem, Cavenſem, & Padolironenſem eſſe trecentorum annorum; eos tamen enormiter erraſſe demonſtratur per confrontationem cum Manuſcriptis recentioribus, etiam Kempiſianis. Immo ipſa Manuſcripta authographa V.Thomæ junioris & ſenioris inter ſe differunt. Illa enim ſupra Jota abundant lineolis oblongis & habent puncta rariſſimè; hæc verò ſcatent lineolis decurtis & punctis, prout patet ex Ectypo apud *Mabillonium* fol. 373. *de Re Diplom.* hic recuſo.

EXCEPTIO XIV.

§.XXXIX. VEtuſtiores editiones *pleraque* librum de Imitatione S.Bernardo aut Johanni Gerſoni adſcribunt. (h)

RESPONSIO.

§.XL. PLacet Gerſeniſtis recudere aſſertionem à me in Deduct. Crit. à fol. 94. ad 155. convictam de falſitate, ubi recenſui veteres æque multas, immo plures, ſub inſcriptione Thomæ. Idem convincenter patet ex Hiſtoria Typographiæ edita à D. Maittaire. Verbo: *Thomas K.*

EXCE-

(g) D. Furetiere in ſuo *Dictionaire Univerſel. V. Caduque*, ſcribit: Caduque. adi. Qui a perdu ſes forces & D. Richelet, in ſuo *Dictionaire. V. Caduque.* hunc terminum etiam uſurpari teſtatur, quando Scriptura, diſpoſitio, vel aſſignatio, *caſſatur*, ac *pro non ſcripta* declaratur. *Plinius* l. 13. c. 12 n. 25. obſervat; papyrum dente vel conchâ lævigatam *caducas litteras* reddere. Loquitur autem de papyro *ſcabra*, qualis etiam erat exeunte Sæculo XIV. & ineunte XV.

(h) In Baſi firma. fol. 70.

EXCEPTIO XV.

§.XLI. INſtar omnium editionum (tribuentium hoc opuſculum D. Bernardo vel Joh. Gerſoni) ſit editio Gallica & Norimbergenſis anni 1494. (i)

RESPONSIO.

§.XLII. PLacuit iterum Gerſeniſtis recudere aſſertionem, à me in Deduct. Crit. fol. 153. & 154. convictam falſitatis. In illis enim editionibus ſolùm dicitur, quod ſolùm NB. *Ab aliquibus* hic liber ſit tributus D. Bernardo vel Gerſoni, idque, prout expreſſe additur, *per errorem*, non *à pleriſque*.

EXCEPTIO XVI.

§.XLIII. ZIntherus Zainer, qui primus edidit librum de Imit. ſub Titulo Thomæ K. obiit 1480, non anno 1475. (k)

RESPONSIO.

§.XLIV. GErſeniſtæ recudunt ſtupiditatem à me in Deduct. Crit. fol. 135. convictam falſitatis. Delfavio ne quidem nomen Zaineri notum fuiſſe videtur, Gintherus enim vocabatur, non Zintherus.

EXCEPTIO XVII.

§.XLV. IPſemet Rosweydus Vind. 4. c. 4. fatetur & ſcribit, quòd vetuſtiſſimæ quæque editiones librum hunc Johanni Gerſon inſcripſerint. (l)

RESPONSIO.

§.XLVI. SOlantur ſe Gerſeniſtæ, dum hoc loco recudunt imperitiſſimum errorem Delfavii. Rosweydus more ſuo perpetuo ab initio refert objectiones & verba *Cajetani*; Delfavius ea verba Cajetani à Ros-

---

(i) In Baſi firma fol 71.
(k) In Baſi firma fol. 71.
(l) In Baſi firma. fol 72.

à Rosweydo per modum Objectionis relata, quæ etiam confutat, tribuit ipſi Rosweydo. Quanta eſt hæc incuria aut fraudulentia in Delfavio!

EXCEPTIO XVIII.

§.XLVII. COdex Manuſcriptus de Imitatione, pertinens ad Comitem Engoliſmenſem, anno 1460. Joan. Gerſoni inſcribitur, vivente & non reclamante Thoma, qui non tuliſſet, hunc partum ſibi auferri. (m)

RESPONSIO.

§.XLVIII. EGo potius inverto argumentum. Thomæ K. Liber de Imitatione à *Buſchio* & *Hermanno* viris omni exceptione majoribus, qui cum eodèm locuti ſunt, ipſo ſciente nec contradicente, fuit adſcriptus. Ergo vere eſt ipſius author. *Engolium* in finibus Galliæ verſus Hiſpaniam ſitum eſt. An, quæ ibi agebantur vel ſcribebantur in occulto, nota eſſe debuerant vel poterant religioſo *in* ſuo *angello cum libello* in extremis finibus Hollandiæ? An non author ſuum nomen ob libertatem ſcribendi & vitia religioſorum omnium Ordinum, præter Carthuſiánum, & Ciſtertienſem carpendi occultare potiùs debuerat, ſicut nunc faciunt Gerſeniſtæ Anonymi, quàm proſilire in medium, agnito etiam circa genuinum authorem errore publico? Legantur ea, quæ in libro primo ſcribuntur contra multorum eo tempore inordinatum pruritum meliores vitæ annos ſacrandi inutilibus ſtudiis, diſputationibus & ſubtilitatibus Scholaſticis C. 1. 2. 3. 4. & contra abuſus ac pravos mores eo tempore graſſantes in pleriſque Ordinibus & Monaſteriis C. 17. 18. 19. 25. Similes puncturæ occurrunt in L. 4. C. 1. & 7. An prudentiæ fuiſſet, ſe in ea 35. annorum ætate ultro exponere odio & perſecutioni Scholaſtulorum & religioſorum diſcolorum? an etiam prudentiæ fuiſſet omnes motus, variationes, tentationes, defectus, & miſerias animi ſui adſcripto ſuo nomine publicare mundo? An non habemus centum exempla fatorum infelicium in Scriptoribus priori ac noſtra ætate non ſatis molliter palpantibus mores ſuorum temporum? Non igitur decet, in V. Thoma argumentũ prudentiæ invertere in argumentum nequitiæ & ſuperbiæ,

(m) In Baſi firma. fol. 73. 74.

biæ, quarum turpiſſimam notam non effugiſſet, ſi paſſus fuiſſet, ſibi à Buſchio, Hermanno, & aliis ſuis Confratribus ac compatriotis palam adſcribi alterius authoris librum, præter expectationem publico applauſu exceptum. An non pudet recudiſſe tam miſerabile argumentum Delfavii?

EXCEPTIO XIX.

§. XLIX. PIrkamerus primus, quod ego quidem ſciam, 1494. hanc lucubrationem Thomæ ſuppoſuit. (n) Trithemius Pirkamero errandi anſam præbuit. (o)

RESPONSIO.

§. L. PLacuit Gerſeniſtis recudere ſtupidum argumentum Delfavii. Pirkameri editio præceſſit editionem Trithemii, & editionem Pirkameri præceſſerunt complures partim editiones partim verſiones ſub Titulo Thomæ K. prout in mea Deduct. Crit. à fol. 101. usque ad fol. 117. oſtenſum eſt. Non ergo Pirkamerus à Trithemio ſeductus eſt. Immo Trithemius, qui Spanhemii in medio Congregationis Windesheimenſis vixit & ſcripſit, neminem ſeduxit, dum librum de Imitatione alterutri duorum germanorum Fratrum Kempenſium, nempe vel Seniori, vel Juniori, ſine ulla hæſitatione aut inſinuatione dubii in oppoſitum adſcribendum eſſe candide faſſus eſt. Nec ipſus negaverim, Thomam Kempenſem juniorem tractatulis ſui fratris ſenioris, ſimulque ſui Superioris, & ſui in Novitiatu Magiſtri libenter uſum eſſe. Vide in Deduct. Crit. fol. 3. utriusque vitam.

EXCEPTIO XX.

§. LI. FRonto laudavit editionem gallicam anni 1439, in cujus initio dicitur; hunc librum hactenus fuiſſe adſcriptum S. Bernardo, aut D. Joanni Gerſon; ſed erroneè, adſcribendum enim eſſe Thomæ Priori in Windesheim. (p)

RESPON-

(n) In Baſi firma. fol. 75. 76. (o) ibidem.
(p) In Baſi firma. fol. 72. 73.

RESPONSIO.

§.LII. QUanta perverſio! Fronto laudavit editionem gallicam de anno 1493. *Delſavius* loco anni 1493. ſubſtituit annum 1439. Benignè interpretarer hunc errorem, rejiciendô illum in ſocordiam typographi, niſi in ſpeciali antiquitate hujus editionis miram poneret vim. *Vetuſtiſſimæ*, inquit Delfavius, *quæque editiones* (fatente Rosweido) *hunc librum Johanni Gerſoni inſcribunt. Ita vetus editio Mediolanenſis Germanica & Veneta anno* 1488, *Pariſienſis* 1496. *Quid? quod Eruditiſſimus Fronto editionem gallicam anni* 1439. *laudavit*! Nullus ignorat, particulas illas admirativas: *Quid? quod* exprimere notabilem auxeſin vel diminutionem rei, de qua eſt ſermo. Quàm imperitè autem provocatum ſit ad *editionem* libri alicujus de anno 1439, quo nondum typographia extitit, & dictatio vetus in manus Amanuenſium jam dudum deſiit, pariter vel obiter tinctis circa elementa litteraturæ notum eſt. Meſius Gerſeniſtæ hoc argumentum cum Delfavio in Mari Armorico ſepultum reliquiſſent.

EXCEPTIO XXI.

§.LIII. MAuburnus non fuit coævus Thomæ K. cum juxta Heſerum vixerit anno 1500. Dein non fuit cum Thoma K. in monte S. Agnetis. Suum teſtimonium hauſiſſe videtur ex Trithemio, aut ex Authographo Antverpienſi de anno 1441; ſiquidem librum tertium quarti loco reponit, uti Antverpienſis. (q)

RESPONSIO.

§.LIV. CERTUM EST 1.mo Mauburnum fuiſſe Novitium in Monte S. Agnetis eo ipſo tempore, quo V. Thomas Kempenſis vel adhuc vixerat, vel adhuc erat in recentiſſima poſt obitum memoria. CERTUM EST 2.do Mauburnum eſſe teſtem omni exceptione majorem, utpote virum, doctrina, virtute, & authoritate fulgentem inter prima ſydera ſui ſæculi. Id ipſimet Benedictini, authores *Galliæ Chriſtianæ* ex

F 2 docu-

(q) In Baſi firma. fol. 81. 82. 83. 84.

documentis Synchronis demonſtrant, & *Foppenius*, author Bibliothecæ Belgicæ. Omnino verò imperitum & ſtupidum eſt dicere: Mauburnum non fuiſſe Thomæ coævum. Thomas obiit 1471. Mauburnus hoc ipſo tempore, vel paucis poſt obitum V. Thomæ añis fuit Novitius in ipſiſſimo Monaſterio Thomæ. Jam anno 1491. editum fuit ipſius *Roſetum*, opus vaſtum, multorum annorum labor. At verò Gerſeniſtis non fuit coævus Thomæ. Cur? Quia, inquiunt, adhuc vixit anno 1500. Profectò ſtupida ratio! An *Delfavius* diſcipulus & *Mabillonius* Magiſter non fuerunt coævi, eo quod ille mari *Armorico* ſubmerſus anno ætatis ſuæ 39. obierit anno 1676, Mabillonius verò primùm anno 1709? An *Dupinus* & Eruditi complures Pariſienſes, qui anno 1687. inſpexerunt Manuſcripta Gerſeniana, non erunt inter ſe coævi, eò quod hi fere omnes obierint ante annum 1700. in bona ſenectâ, Dupinus verò obierit primùm anno 1719? an duo fratres gemelli eodem die nati non erunt coævi, ſi unus moriatur die ultimo Decembris 1699. alter die primo Januarii 1700. Stupida de coævis Idea! Non minus imperitum eſt dicere, quòd Mauburnus non fuerit Canonicus Regularis in monte S. Agnetis, hoc eſt, in ipſo Monaſterio Thomæ K., cum contrarium demonſtrent ipſimet Benedictini *Authores Galliæ Chriſtianæ* ex Documentis Synchronis proxime ſubjungendis. ſimiliter imperitum eſt dicere, quòd Mauburnus eam opinionem à Trithemio acceperit, cum ejus *Roſetum*, in quo de Thoma K. teſtatur, jam fuerit editum anno 1491, & Trithemius ſuum opus primùm ediderit anno 1494. & 1495. Similiter imperitiſſimè fingitur, quod Mauburnus ſe fundaverit in Authographo Antverpienſi, cum ſuperiùs §. 2. oſtenſum fuerit; dari Lovanii authographum Kempiſianum antiquius Antverpienſi, continens librum quartum adhuc imperfectum de SS. Sacramento; & Mauburnus ex quotidiana converſatione cum familiaribus V. Thomæ fuerit edoctus certiora, non ſolùm circa libros de Imitatione, ſed etiam circa alios ejus tractatus, quos allegat. Verùm jam tandem miſſis his ineptiis adducam teſtimonia de Mauburno ex ipſis Benedictinis authoribus *Galliæ Chriſtianæ*, & ex Bibliotheca Belgica Foppenii.

Primò. Benedictini Congregationis S. Mauri in Tomo VII. Galliæ Chriſtianæ in ſerie Abbatum Livriacenſium num. 22. fol. 836. ſic ſcribunt: „Nicolaus de Hacqueville Canonicus Eccleſiæ Pariſienſis tanto ſtudio „reformationem Canonicorum Regularium; & maximè Johannem „Mauburnum ejusdem Ordinis è Congregatione Windesheimenſi Cano-

„nicum

„ nicum Regularem proſequebatur, ut in Franciam evocatum ſæpius
„ inviſeret apud Caſtrum - Nantonis, abbatiam ejuſdem Ordinis in diœ-
„ ceſi Senonenſi; cujus cum optimum regimen perſpiceret, voluit idem
„ commodum præſtare abbatiæ S. Victoris Pariſienſis. Quamobrem au-
„ ctor fuit Epiſcopo & Senatui Pariſienſi, ut ſeorſum litteras ſcriberent
„ ad Capitulum generale Congregationis Windesheimenſis, pro non-
„ nullis ejuſdem obtinendis alumnis, qui ſancti Victoris abbatiam & alias
„ reformarent. Senatus litteræ datæ ſunt 18. Aprilis 1497. Epiſcopi ve-
„ rò die 6. Maij ejuſdem anni, quibus & ſuas Nicolaus adjecit. De eo
„ ſic habet Hiſtoricus: *Magiſter Nicolaus Aquevillenſis magnus præſi-*
„ *dens in Parlamento poſt turbines ſæcularium negotiorum ſe apprime ex-*
„ *ercitabat in Roſeto patris* (Mauburni) *Erat Canonicus Eccleſiæ Pariſien-*
ſis, ubi ferme ſingulis noctibus Matutinis intererat. De eo vulgo fereba-
„ *tur, quod more Regis David negotia peragebat in die, nocte vero in*
„ *pſalterio & cythara cæleſtia ſecreta ruminabat, qui ob zelum religio-*
„ *nis quædam ſua beneficia commutans cum abbatia* (Livriaci) *Canonico-*
„ *rum Regularium, quam poſtea in manus memorati patris Mauburni*
„ *reſignavit.* Abbatiam, quam nonniſi ut regularem faceret, Nicolaus
„ acceperat, Johanni Mauburno reſignavit. Exſtant ejuſdem de refor-
„ matione Livriaci epiſtolæ manuſcriptæ, uti etiam Johannis Mauburni
„ ejus familiaris & conſcientiæ moderatoris.„

„ 23. Johañes Mauburne natus Bruxellis, unde aliquando dictus *Johan-*
„ *nes de Bruxellis*, primum in eccleſia Trajectenſi, cum Grammatica
„ ritus & cantum eccleſiaſticos edoctus, mox inſtitutum Canonicorum
„ Regularium amplexatus eſt in Monaſterio montis ſanctæ Agnetis. Poſt-
„ quam in Congregatione Windesheimenſi varia præclare geſſit munia,
„ in Franciam accerſitus eſt. Statim abbatiam Caſtri - Nantonis, priora-
„ tumque ſancti Salvatoris Melodunenſis, utrumque monaſterium in
„ diœceſi Senonenſi reformavit, tum abbatiam Ciſonii diœceſis Torna-
„ cenſis, & abbatias S. Evurtii Aurelianenſis, ac S. Martini Nivernen-
„ ſis; ſed inprimis adhæſit Livriaco. Guillelmus Prior hunc illi priora-
„ tum anno 1500. reſignavit, ut ſic Conventui & Capitulo Livriacenſi
„ aggregaretur Johannes, adeoque facilius ejuſdem Abbas efficeretur.
„ Per ſpontaneam ceſſionem Nicolai de Hacqueville Abbatis commen-
„ datarii factus Abbas regularis; *ad ſanctum Severinum veniens*, Cleri-
„ cos de collegio Standone *inde ad Livriacum adduxit, quos omnes in*

„ *die Præſentationis glorioſæ Virginis Mariæ præſentibus amicis inveſti-*
„ *vit.* Plura vir pius & doctus ſcripſit, edita Duaci anno 1620. Ex
„ his præcipuum eſt opus, quod hunc titulum præfert: *Roſetum ſpiri-*
„ *tualium exercitiorum auctore Johanne Mauburno Bruxellenſi, Canonico*
„ *Regulari, & Livriacenſis monaſterii olim Abbate.* Sæpius editum eſt
„ Johanne tam ſuperſtite quam defuncto. Pariſiis anno 1510. edi cura-
„ vit *in folio* Johannes Saulay Canonicus Eccleſiæ Pariſienſis, qui Liv-
„ riaco intuitu Mauburni ſeſe munificum præbuit. Præter hunc fami-
„ liares habuit plurimos Johannes Mauburnus, puta ſanctum Franci-
„ ſcum de Paula Minimorum inſtitutorem, Gaufridum Bouſſart Cancel-
„ larium Eccleſiæ Pariſienſis, Ludovicum Pinel, qui fuit Epiſcopus Mel-
„ denſis, Petrum de Bruges collegii S Barbaræ moderatorem, necnon
„ Eraſmum ſodalem Congregationis ejuſdem Canonicum Regularem,
„ quem maxime captum Mauburni pietate probant inter alias plures duæ
„ ad hunc Eraſmi epiſtolæ. Neque verò ſolum intendit Johannes Mau-
„ burnus Canonicorum Regularium reformationi, naſcentem quoque
„ Benedictinam Caſalis-Benedicti Congregationem plurimum adjuvit,
„ ſollicitus maxime ut illius Abbates ad triennium regerent; idque pro-
„ cul dubio in ſua Canonicorum Regularium tentaſſet Congregatione, ſi
„ vita diuturnior fuiſſet. Verum paulo poſt cum in morbum incidiſſet,
„ à Johanne Standone Livriaco abductus Pariſios, quo melius curare-
„ tur, ibidem Sacramentis Eccleſiæ munitus *circa feſtum S. Thomæ Can-*
„ *tuarienſis, quem magna devotione venerabatur,* obiit in domo piiſſimi
„ viri Johannis Quintin pœnitentiarii Eccleſiæ Pariſienſis, in clauſtro
„ beatæ Mariæ, initio anni 1502. In cœnobio S. Genovefæ aſſervatur
„ hiſtoria ipſius vitæ excerpta è codice mſ. bibliothecæ ſancti Germani
„ à Pratis." Hucuſque Benedictini; qui ſimul annotant, Reinerium,
teſte ipſomet V. Thoma in Chronico ſui Monaſterii S. Agnetis, inveſtitum
anno 1465, fuiſſe Mauburni Magiſtrum in Novitiatu, & in Abbatia
Livriaci ſucceſſorem anno 1502.

Sequitur jam relatio Foppenii, qui in ſua Bibliotheca Belgica, V.
Joannes Mauburnus ſic ſcribit. „ Joannes Mauburnus, aliàs Mombur-
„ nus, vel Mamburnus, vulgò *de Brùxella*, Canonicus primùm Regu-
„ laris D. Auguſtini, in Monte S. Agnetis, tunc Trajectenſis Diœceſis, ubi
„ *Joannes Temporalis* voluit nuncupari; pòſt in abbatia S. Severini, juxta
„ Caſtrum Nantonis, in Francia, ubi diſciplinam regularem, quæ mul-

„ tis

„ tis retrò annis penitùs corruerat, reſtituit; ac demùm Livriacenſis „ Monaſterii in eadem Gallia ac Diœceſi Pariſienſi Abbas: ubi ſimiliter, „ pulſis irreformatis moribus, Canonicæ ac Regularis obſervationis vi- „ ros inſtituit. Vir fuit ſermone humilis, ſed ſublimis ſcientiâ. Floruit „ anno 1500. ſcripſitque

„ *Roſetum Exercitiorum ſpiritualium*, *& ſacrarum Meditationum*: „ opus plenum pietatis, & odoriferis roſis refertum, impreſſum primò „ Baſileæ, 1491. typis ſatis incorrectis, ut & Auctor ipſe conqueri ſo- „ lebat; Pariſiis, 1510. fol. typis Badii; Mediolani 1603. emendante „ *Baſilio Serenio*, Canonico Regulari; denique Duaci, 1620. fol. apud „ Bellerum, recenſente *Leandro à S. Martino*, S. T. D. Duaceno. Com- „ mendatur opus digniſſimum, quod omnium devotorum, maximè Re- „ ligioſorum, manibus nunquam excidat, ſanctiſſimis cogitationibus & „ affectibus ſeraphicis pariendis maximè accomodatum.

„ *Apologeticon Officii Canonici ſui Ordinis*, ſive Reſponſio ad tria, „ quæ Ordini Canonicorum Regularium objiciuntur, cujus ipſe in Ro- „ ſeto ſuo meminit Tit. V. Alphab. XVI. Extat MS. in Corſendoncano „ Monaſterio, hoc initio: *Quoniam in priori Tractatulo.*

„ *De Viris illuſtribus ſui Ordinis*, ſive *Venatorium Canonicorum* „ *Regularium*. MS. ibidem & Lovanii ad S. Martinum.

„ *Tractatum in Pſalmum CXVIII. Beati immaculati in via.* MS. in „ Monaſterio viridis - Vallis juxta Bruxellam.

„ *Commentarium in Cantica Canticorum*; *de Conſcientia*, & alia. „ MSS. ibidem.

§. LVII. Ex his omnibus colligere licet, quòd V. Thomam K. ſuum Confratrem, aut certè familiares V. Thomæ, anno 1471. defuncti in monte S. Agnetis familiariter noverit. Nam jam anno 1491. per editionem vaſtiſſimi Operis, dicti *Roſetum*, ſic ab Editore nuncupatum forte ad imitationem *Hortuli Roſarum* à V. Thoma K. ſcripti, magnum pietatis & vaſtæ eruditionis nomen obtinuit, & jam anno 1502. obiit. In noſtra Bibliotheca Pollingana habemus tres editiones hujus præclari Operis. In editione facta Baſileæ anno 1504. per Jacobum de Pfortzen ſine titulo authoris præmittitur Præfatio his verbis. „ Prologus cujuſdam Ca- „ nonici Regularis in ſuum Roſetum. In religionis meæ exordio pau- „ xillum ſubij laboris pro aggregandâ mihi materia pietatis exercitiorum „ & devotionis, mihi ſoli ceciniſſe putans. Sed miſerum me! quo-

„ modo

„ modo neſcio, Collectoriola hæc noſtra in manus ceciderunt aliorum. „ Et en, accedente obteſtatione Fratrum majorum, Superiorumque, „ quorum repugnare fas non erat præceptoriis mandatis, volens nolens- „ que latius hos meos congeſtos verſiculos explicare ſum coactus. Tan- „ dem redegi in ordinem. Qui autem has lucubratiunculas noſtras „ Roſetum inſcripſerit (ab aliis quippe hoc inditum eſt eis nomen, cum „ innomines ego eas & incognitas mallem) non incongruis eos cauſis „ putem adductos. — Benevoli ſint Lectores, quoniam contra vel præ- „ ter voluntatem noſtram non à me, ſed ab aliis vulgatum eſt atque „ editum opus iſtud. „ Ita Mauburnus in hac editione, ex qua etiam textus in mea Deduct. Crit. allegatos deſumpſi (r). D Maittaire *in Annalibus typographicis* Tomo V. fol. 213. pariter recenſet editionem *Roſeti Exercitiorum ſpiritualium & Meditationum* ad annum 1491. & 1494. quamvis ſine nomine authoris, quæ optime concordant cum pro- teſtatione authoris ſuperiùs expreſſa. Ejusdem meminit Albertus Fa- bricius Lipsiensis in ſua *Bibliotheca Latina mediæ & infimæ ætatis*, ubi fol. 103. V. *Joannes Mauburnus* ſic habet. „ *Joannes Mauburnus*, „ *Momburnus*, *Mamburnus*, à Bruxella, Canonicus Regularis S. Augu- „ ſtini prope Zwollas, deinde Abbas S. Mariæ Livriacenſis prope Pari- „ ſios, de quo Trithemius cap. 296. de illuſtribus Scriptoribus Germa- „ niæ, & Voſſius pag. 646. qui *Joannem Temporalem* voluiſſe nuncu- „ pari annotat: Gabriel-Pennottus pag. 529. Valerius Andreas, Swer- „ tius &c Hujus *Compendium Venatorii Canonicorum Regularium* MS. „ Lovanii laudant Sanderus parte 2. Bibl. Belg. pag. 56. & Miræus pag. „ 100. auctarii. In hoc Venatorio de Viris illuſtribus ſui Ordinis, de „ ſe etiam lib. 2. cap. 125. differit. Alia ipſius ſcripta: *Roſetum Exer- „ citiorum ſpiritualium & ſacrarum Meditationum.* Baſil. 1491. Pariſ. „ 1510. & ex Baſilii Serenii recenſione Mediolan. 1603. Duaci 1620. fol. „ *Apologeticon Officii ſui Ordinis*, *MS.* Ex his omnibus evidenter ſole clarius patet. 1.mo Quod Mauburnus fuerit profeſſus in Monte S. Agne- tis, hoc eſt, in ipſo Monaſterio V. Thomæ. 2.do Quod ea profeſſio contigerit vel vivente adhuc V. Thoma, vel non diu poſt ejus obitum, ſecutum anno 1471. Scribit enim Mauburnus in *Prologo Roſeti*, quod jam in *exordio ſuæ religionis* materiam Roſeti collegerit, & *tandem* non niſi coactus in ordinem redegerit. (s) 3.tio Quod pro Magiſtro Novitio- rum

(r) Deduct. Crit. §. 149. fol. 115. & 116. (s) Editi 1491.

rum habuerit Reynerium, qui cum V. Thoma ſex ejus ultimis annis in eodem Monaſterio vixit. 4.to Quod Mauburnus ſcientia, authoritate, & dignitate eminens ſit *teſtis idoneus* circa rem facti recentis domeſticam. Q. E. D.

EXCEPTIO XXII.

§.LVIII. TOta Kempenſis fabula Chronico Buſchiano aut Codici Antverpienſi ſuperſtructa eſt. Recentiorum (teſtium) maxima pars aut cœco impetu, aut partium ſtudio ducta Buſchium ſecuta eſt (t).

RESPONSIO.

§.LIX. PLacuit denuo Gerſeniſtis recudere propoſitiones Delfavianas, falſitatis convictas. Oſtendi ſupra (§. 2. & 3.) dari authographum V.Thomæ antiquius Codice Antverpienſi. Oſtendi præterea; præter Buſchium dari Hermannum de Halle, & Mauburnum, quibus V. Thomas ejuſdem Congregationis membrum erat bene notus, & complures alios teſtes coætaneos & compatriotas Thomæ. Buſchii & Mauburni authoritatem omni exceptione majorem vindicavi ſupra (§. 54. 56. & 57.) Vide etiam in Appendice § IV. teſtimonium de Manuſcripto Buſchiano in Bibliotheca Rebdorfenſi. §. 120. En! hoc loco de Hermanno notitiam.

HERMANNUS RYD de Rene Weſtphalus (u) Congregationis Windeſemenſis Sydus egregium. De eo ſic ſcribit Buſchius (x). *Hermannus Ryd de Rene annorum* 19. *intrat Monaſterium in Wittenborch* (Canonicorum Regularium) *anno Domini* 1427. *poſt* 20. *annos* cum laude in Ordine transactos *anno* 1447. *mittitur Hallis* (id eſt Hallas) *ad* NOVUM OPUS

(t) In Baſi firma. fol 80.

(u) Ita ſeipſum *de Rene natum*, *Weſtphalum* autem *Natione* eſſe aſſerit. Situm autem eſt hoc oppidum in ditione Monaſterienſi verſus extremitates Belgii

(x) Apud Leibnitium in Collectione Scriptorum Brunſvicenſia illuſtrantium Tom. II. pag. 476.

Opus *reformandum. Ibi poſt annum profeſſus, Prioratûs tenuit Officium. Miſſus inde anno Domini* 1455. *in Italiam* (puta Tyrolim, quæ verſus Italiam reſpectu Saxoniæ adjacet, eidemque proximè contermina eſt) *ad Monaſterium Novicellæ propè Brixiam ob Rogatum Cardinalis Nicolaî de Cuſa. Ibi per annum ſtetit, ordinando de Obſervantia regulari. Anno* 1456. *revocatus per Epiſcopum Magdeburgenſem ſuſcepit Parochiam S. Mariæ propè Hallis gubernandam. Ibi tandem poſt labores plures obiit in pace, anno Domini* 1476. *Feria quarta Cinerum.* Hucusque Buſchius, qui nobis hanc ejus vitæ Memoriam adhuc conſervavit (y). *Gudenus* in Tom. II. *Codicis Diplomatici*, pag. 574. inter Codices MMSS. Bibliothecæ Moguntinæ recenſet nobis ſequentia Opera.

I. *Tractatum de Dignitate Paſtorum, & Onere Curæ paſtoralis.* Ubi in fine: *Completum eſt opus iſtud anno MCCCCL. in Vigilia Epiphaniæ Domini per F. Hermannum Ryd de Rene profeſſum Monaſterii Novi Operis propè Hallis, Ord. Canonicorum.*

II. *Tractatum de Vita & Honeſtate Clericorum*, ubi in fine habet: *collectum & completum laborioſè in Monaſterio Novi Operis propè Hallis, Ord. Canonicorum Regularium Hermanni Ryd de Rene anno - - MCCCCL. circa Feſtum Gregorii Papæ.*

Explicit exiguum quod tangit vitia Cleri
Et grave Facinus miſeros, varioſque labores
Litteræ Scriptoris dant nomen initiales
Weſtphalus hic natus, ſed Hallis contulit artus.

III. *Tractatum de Ordine Canonicorum Regularium. editum per Reverendum in Chriſto Patrem ac Dn. D. Anſelmum Havelbergenſis Eccleſiæ ejusdem Ordinis Epiſcopum, B. Bernardi Clarevallenſis Monaſterii Abbatem, & Eugenii Papæ III. contemporaneum.* Ita habetur in fine. Dein additur.

Excopiatus eſt libellus iſte anno . . . MCCCCLII. per Diſpoſitionem Fratris Hermañi de Rene, ex uno vetuſto Exemplari anno . . MCCXXVI. conſcripto. Sunt & alii quamplures libelli per dictum Dn. Anſelmum Ordinis quondam Can. Reg. COMPILATI. *Sis imitator ejus, amando ſcientiam*

(y) De Reformatione plurium Monaſteriorum ac diverſorum Ordinum in Tyroli per *Hermannum* authoritate Apoſtolica ſubjungam infra §. 60. Documentum.

tiam litterarum & carnis vitia non amabis. Utinam ſolidarum virtutum jacto fundamento noſtri Ordinis Fratres divinis libris cum Hugone & Anſelmo dicto noſtri Ordinis Columnis, perlegendis & intelligendis operam diligentiorem inantea darent, & impenderent, ne à Didaſcolis & hujus ſæculi Sciolis id inculcari poſſet, quod jam olim objectum etiam à Religioſis. Extitit de Ordine Mendicantium reformatorum quidam objiciens: quod in Ordine noſtro pauci eſſent docti, ſed quàm plures Idiotæ & Beani, quorum inſultum etiam ſpeciali Apologia deſuper conſcripta, & COMPILATA coactus ſum refellere. Unde

IV. Contra hos Apologiam lucubravit. incipit: *Epiſtola apologetica in ſubſequens opus. Venerabilibus & egregiis Viris, & Dominis Magiſtro Benedicto Stendal S. Theol. Profeſſori, & Magiſtro Hermanno de Meſchede S. Theol. Lic. bene merito in Univerſitate Erfordenſi reſidentibus Fr. Hermannus de Rene Weſtphalus Ord. Canonicorum Regularium Monaſterii Novi Operis propè Hallis Magd. Diœc. Profeſſus, & Eccleſiæ B. M. V. dicti oppidi Hallenſis Rector immeritus.*

Ad Calcem. *Collatiomatum* 1466.

Finit COMPILATIO NOVA *de ſtatu ſtudentium.*
Poſt M. bis duo C. bis ſex decies ſuperadde
Juncto ſenario, Domini compleveris annos.
Litteræ ſcriptoris dant Nomen initiales
Weſtphalus hic natus, ſed Hallis contulit artus:
Opto placere bonis, pravis odioſus haberi.

Aliter ùt ſupra.

Conſcripſit Tomos hos Hermannus de Renne
Natus: ſub M. bis C. duo, ſexies X. jungito Senis.

Codex eſt Membr. in 4.

V. Idem Hermannus conſcripſit Collectiones, quas fecit pro Unione Eccleſiæ Joannes Gerſon. Finis hujus operis ſic habet: *Expliciunt quædam Collectiones factæ pro Unione Eccleſiæ per Dn. Cancellarium Parienſem* (lege Pariſienſem) *Johannem de Gerſon conſcriptæ anno . .* 1461. *Hallis per Fr. Hermannum Rud de Rene Plebanum Eccl. S. Mariæ Novi Operis.. Ord. Can. Regul. profeſſum.* Codex hic eſt in 4.

VI. Alius Tractatus Jacobi Carthuſienſis de Indulgentiis, ùt habetur iterum in fine, *Conſcriptus eſt Tractatus iſte de Indulgentiis anno MCCCCLXXIII. diſponente & approbante religioſo Viro Fr. Hermanno*

de Rene Weſtphalo, Eccleſiæ S. Mariæ Virg. oppidi Hallenſis Magd. Diœc. eo tempore Rectore, & ſpirituali Comiſſario Indulgentiarum papalium pro reſtauratione Eccleſiarum B. M V. & S. Severi in Erfordia, quas vorax flamma pene devaſtarat, collatarum. Oret pro eo Libri hujus uſor.

VII. Iterum aliud opus recenſet nobis Gudenus, quod in fine ſic habet: *Expliciunt Diſtinctiones Exemplorum novi & veteris Teſtamentorum.* COMPILATÆ *per Fr. Vindonem in Die Sanctori Criſpini & Criſpiniani* 1466.

Completus eſt liber iſte & in Dote Parochiæ Eccl. B. Mariæ V. conſcriptus ex Diſpoſitione Fr. Hermanni Rud de Weſtphalis, Monaſterii Novi Operis profeſſi anno .. MCCCCLXVI. & dictæ Eccl. Hallenſis Rectoris immeriti. Oret pro eo, qui hoc libro uſus fuerit, atque libris ſcribendis, & procurandis ſtudioſus ſit. Quot enim Libros ſcribimus & procurare laboramus, tot Precones ad cœlum mittimus.

VIII. Anno 1473. tractus eſt Hermannus noſter à quibusdam in judicium, quod quemdam peregrinum & non Parochianum in extremis tamen abſolutum, & ut videtur, in Torneamento, quod inſtar Duelli ex Propoſito ſuſceperat, ad mortem vulneratum Eccleſiaſticâ ſepulturâ donaverit. Sic enim colligo ex verbis ſtatim adducendis. Contra hos ſcripſit noſter

Diſſertationem de Sepulturis.

In fine cujus legitur: - - *Vulneratus autem in Torneamento, quod ex Propoſito, ut vires ſuas oſtentaret* (ſupple; *ſuſceperat. Dein*) - - *autem ex hoc mortuus, in Cimiterio ſepeliri non debet. Sunt & alii caſus, in quibus prohibetur ſepultura* &c. *Sufficere tamen debent præmiſſa pro Expurgatione mea, qui ob id tractus ſum in cauſam, quod quidam Peregrinus in Cimiterio Eccleſiæ B. M. V. Hallis Magd. Diœc. anno .. 1473. circa Feſtum Nat. B. V. extitit ſepultus, qui ob id non venit exhumandus. Salvo tamen judicio, ſaniùs & meliùs in hac Materia ſentientium. Fr. Hermannus Ryd de Rene Weſtphalus, dictæ Eccleſiæ Curatus Monaſterii N. Op. ibidem profeſſus, hoc ponit contra ſuos adverſarios.*

IX. Apud Buſchium l. c. adſcribuntur noſtro Hermanno duo etiam Epitaphia.

X. Alius ejus Tractatus continens Deſcriptionem Monaſteriorum Congregationis Windeſemenſis exſtat in Manuſcripto Codice, aſſervato in Canonia ad S. Nicolaum propè Paſſavium.

§. LX.

§. LX. Scimus inſuper ex Documentis Canoniæ Neocellenſis, ſitæ in Tyroli prope Brixinam, quòd idem Hermannus tanquam Subcommiſſarius Apoſtolicus Cardinalis *Nicolai de Cuſa* in eo Monaſterio reformationem introduxerit. Idem *Hermannus* ab eodem Nicolao Cardinale Cuſano deputatus eſt pro reformatione Monaſterii Wiltinenſis in Tyroli, prout ex adjecto Diplomate patet, quod tranſumptum eſt ex ipſo Originali.

Diploma NICOLAI CUSANI *Cardinalis & Epiſcopi Brixinenſis.*

NIcolaus miſeratione Divina Tituli S. Petri ad Vincula S R. E. Presbyter Cardinalis, Epiſcopus Brixinenſis, Venerabilibus & Religioſis in Chriſto nobis dilectis Abbati in Stamps ac Præpoſito Novecellenſi per Præpoſitum ſoliti gubernari Monaſteriorum noſtræ Diœceſeos, nec non *Fratri Hermanno de Hallis in dicto Monaſterio Novecellenſi pro nunc degenti*, Ordinum Ciſtercienſium & S Auguſtini Canonicorum Regularium, ſalutem in Domino. Officii noſtri cum debitum ſit, operam adhibere diligenter, ut Divinus cultus augeatur, & ſalus procuretur animarum, hæc tunc maximè fieri ſperamus, dum Religioſos viros, ut ſe mutua charitate foveant, fraternæ viſitationis miniſterio inducimus. Sanè inchoata feliciter Reformatio Monaſterii Wiltinenſis Ordinis Præmonſtratenſium noſtræ Diœceſeos, ut in dies magis ac magis fructificet & augeatur, noſtra fervet intentio; hinc eſt, quòd de optimo zelo, diligentiaque fideli veſtrarum perſonarum ſcientiam habentes, vobis tenore præſentium Apoſtolica, qua in hac parte fungimur, auctoritate committimus, quatenus hac vice dictum Monaſterium Wiltinenſe noſtri ex parte accedatis, & ſeptima die hujus menſis Maij viſitationem Venerabilis & Religioſorum in Chriſto nobis dilectorum Abbatis & Fratrum ejusdem Wiltinenſis Monaſterii incipiatis, & quoad neceſſe fuerit, continuetis, ac omnia, quæ emendanda ſeu corrigenda reperta per vos fuerint, emendetis, emendarique faciatis & corrigatis, etiam ſi quidam ex Fratribus ejusdem Monaſterii ad tempus vel aliàs ad alia Monaſteria, in melius proficiendi aut periculi evitandi causâ, emittendi ſeu deſtinandi fuerint, eosdem emittatis & deſtineris, omniaque alia & ſingula, quæ ad Regularis diſciplinæ, divinique cultus incrementum ibidem neceſſaria ſeu opportuna fieri judicaveritis, peragetis, ordinetis & fieri procuretis vice noſtra: cum poteſtate etiam abſolvendi & diſpenſandi in omni caſu, in quo nos uti Apoſtolicus Viſitator, ſi perſonaliter viſitaremus, abſolvere aut diſpenſare poſſemus. Volumus autem, ut quæ in hujusmodi Viſitationis negotio feceritis, nobis veſtris ſcriptis authenticis quantocyus ſignificetis. Curabimus certè Deo Auctore talem dare operam, ut quæque per vos ſic facta fuerint, inviolabiliter obſerventur. Et ſi contingeret vos omnes tres Viſitationi & aliis præmiſſis hujusmodi intereſſe non poſſe, ex tunc duobus ex vobis ad præmiſſa omnia & ſingula faciendum dicta auctoritate plenam concedimus facultatem, vosque ut hoc onus ob Dei honorem, noſtrique contemplationem ſuſcipiatis, plurimùm deprecamur. Datum Brixinæ ſub noſtro

 ſigillo

ſigillo die Sabbati tertia dicti menſis Maij, Anno à Nativitate Domini 1455. Pontificatûs Sanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini Calixti Papæ III. Anno primo.

Extat apud nos Copia alterius Epiſtolæ ab eodem Hermanno ad Canonicos Neocellenſes anno 1457. 11. Junii datæ, in qua collaudat promptam eorum obedientiam circa ordinationes à Cardinali *de Cuſa* pro ipſis editas, & alias à ſe ipſis mandatas.

EXCEPTIO XXIII.

§. LXI. **L**iber de Imitatione oſtendit, Italum eſſe Authorem, & Monachum. (z)

RESPONSIO.

§. XLII. **G**Erſeniſta non erubuit recudere veteres nugas. In Deduct. Crit. fol. 61. evidenter demonſtravi, V. Thomæ & Belgis in ſuis opuſculis familiariſſimos fuiſſe hos ipſos terminos, quos Gerſeniſtæ vocant Idiotiſmos Italicos.

EXCEPTIO XXIV.

§. LXIII. **L**iber de Imitatione oſtendit in authore canam ſenectam, aut dignitatis fiduciam loquendi authoritativè; & longam experientiam in rebus Aſceticis. Id enim hi textus oſtendunt: *Nunquam inveni aliquem tam Religioſum, qui non habuerit gratiæ ſubtractionem.* Lib. 2. cap. 9. Iterum, *ſæpe ſentimus, ut meliores & puriores in initio converſionis nos fuiſſe inveniamus, quam poſt multos annos profeſſionis.* Lib. 1. Cap. 11. Et rurſus cap. 13. *Quidam in principio Converſionis graviores tentationes patiuntur, quidam autem in fine, quidam verò quaſi per totam vitam.* Denique, cap. 22. ejuſdem libri; *Bene opus eſſet quod adhuc iterum inſtitueremur tamquam boni Novitii ad mores optimos, ſi forte ſpes eſſet de futura emendatione.* (a)

RESPON-

(z) Baſis firma fol. 86. 87. 88. 89.
(a) Baſis firma fol. 92.

RESPONSIO.

§ XLIV. Argumentum hoc, utut ſpecioſum, limites præſumptionis non excedit, quæ fallit in duobus Caſibus exceptis. Primò quando aliunde conſtat de ſpeciali divino dono in junioribus annis collato, v.g. in D. Antonio, D. Aquinate, D. Bonaventura, &c. Secundò, quando author colligit documenta Seniorum partim experientiæ propriæ, partim rationi conſentanea, prout authorem libri 1. & 2. de Imit. feciſſe conſtat ex iis, quæ dicentur in *Appendice* Num. I.

Cæterùm libri de Imitatione non ex eo tam generalem approbationem obtinuerunt, quòd ad ſummam perfectionem homines ſtatim ab initio ducant, ſed quòd mundanos homines & novellos religioſos adhuc *in via incipientium* ſeu *purgativa* conſtitutos à mundanis affectibus abducant atque ad ordinatum ac modeſtum vivendi modum dirigant, quò tendit totus primus liber *de Imitatione*; & quòd à mundanis affectibus purgatos *in viam proficientium* ſeu *illuminativam* ſuaviter inducant, in eaque conſtitutos ſaccaro divinæ conſolationis & exemplo Chriſti & Sanctorum perpetuò foveant. Eò enim tendit liber 2. 3. & 4. Cæterùm *viam perfectorum*, ſeu *unitivam* perfecti amoris erga Deum, in qua ſervitur Deo gratis ſine petitione conſolationis in vita vel remunerationis creatæ. *Oſtendit* tantùm, non ex propoſito tractat. Lector deprehendet, à V. Thoma opuſculum dirigi partim ad Laicos, partim ad incipientes, ac proin Lectores magis inſtrui pro Via purgativa & Illuminativa, quàm Unitiva: Nam Deo *gratis* absque intuitu, deſiderio, aut ſpe ullius præmii vel ſolatii creati toto vitæ tempore ſerviendum eſſe, ſolùm à longè, quaſi terminum vitæ aſceticæ perfectum, oſtendit: v.g. L. 2. c. 9. & c. 11. Et L. 2. c. 5. ac 6. Et L. 3. c. 16. Cæterùm in via purgativa & illuminativa inſtruere incipientes ac proficientes non excedit facultatem eorum, qui in ætate jam matura, videlicet ab anno ætatis vigeſimo quarto usque ad annum ætatis trigeſimum quintum, ultra decem annos in Schola & Claſſibus vitæ Aſceticæ authores hujus ſtudii claſſicos primarios, D. Auguſtinum, D. Gregorium M., D. Bernardum &c. ſedulò volutârunt: Nec experientia mentis circa motiones naturæ & gratiæ in hac ætate iis deeſſe poteſt, qui inſpirationibus divinis quotidianis unicè attentas aperuerunt aures. *Talis enim*, atteſtante etiam Scriptore Ethnico Homero, *eſt hominum mens, qualem quotidie Pater*

Pater ſupremus indidit. Similia de ſe teſtatur Salomon in libro Sapientiæ C. 7. & 8. & Syrach C. 51. à v. 18.

Syrach l. cc. ſic ſcribit: *Cum adbuc junior eſſem, quæſivi ſapientiam in oratione mea, & effloruit tanquam præcox uva. — A juventute mea inveſtigabam eam; inclinavi modicè aurem meam & excepi illam. Multam in meipſo inveni ſapientiam & multum profeci in ea.* &c.

EXCEPTIO XXV.

§. LXV. Liber de Imitatione ſcriptus eſt eo tempore, quo Ciſtercienſes necdum erant relaxati. Sed hoc non erat verum tempore Thomæ K. (b)

RESPONSIO.

§. LXVI. Ciſtercienſes initio Sæculi XV., quo V. Thomas ſcripſit Librum de Imitatione, à priſtino fervore ſui Ordinis deſciviſſe, ad calumniam enormem referendum eſt. En! convincentia teſtimonia ipſorum Summorum Pontificum in oppoſitum.

Urbanus V. ad totum Ordinem Ciſtercienſem, anno 1363. in Bulla, *Sacræ* (c) ſic ſcribit: *Sacræ veſtræ religionis, in qua devotum Deo redditis famulatum, promeretur honeſtas, ut petitionibus veſtris favorabiliter annuamus.* Inſcriptio Bullæ eſt: *Abbatibus & Conventibus Ciſtercienſis Ordinis ubilibet conſtitutis.*

Joannes XXIII. anno 1415. (NB. quo ipſo tempore V. Thomas ſuum librum ſcripſit) in ſua Bulla: *Dum uberes*, ſic ſcribit: *Dum uberes fructus, quos Ordo Ciſtercienſis in agro militantis Eccleſiæ uberrimè in exaltationem ſtatus præfatæ Eccleſiæ & Religionis propagationem produxit hactenus, & producit aſſiduè, paterna diligentia contemplamur, ſaluberrimum fore dignoſcimus* &c. *Datum Conſtantiæ. 7 Kal. Febr.*

Idem Pontifex in alia Bulla eodem die ad Ciſtercienſes Diœceſis Cabillonenſis data hæc ſcribit: *Sacræ Religionis, ſub qua mundanis calcatis illecebris devotum & ſedulum in humilitatis ſpiritu exhibetis famula-*

(b) In Baſi firma. fol. 88.
(c) Henriquez in Conſtit. Ord. Ciſt. Tom. II. fol. 109.

mulatum, merita promerentur, ut ea, quæ religionis veſtræ commoditatem reſpiciunt, favore benevolo concedamus &c.

Idem Pontifex in alia Bulla eodem die data ſcribit: *Etſi quibuslibet Religioſis teneamur aſſiſtere, Profeſſores tamen Ciſtercienſis Ordinis utriusque Sexùs eo ferventiori charitate complectimur, quò ipſum Ordinem in Dei Eccleſia conſpicuum & inſignem uberiori dilectione proſequimur. Unde — omnia Privilegia — Conventibus ejusdem Ordinis conceſſa — confirmamus* &c.

Martinus V. anno 1418. in Bulla, *Sacræ.* ſcribit: *Sacræ Religionis, ſub qua devotum & ſedulum exhibetis Domino famulatum, prometetur honeſtas, ut illa vobis favorabiliter concedamus, per quæ ſtatui & commodo Ordinis veſtri ſalubriter conſulatur. Hinc* &c. *Idib. Januarii.*

Concilium Basileense anno 1437. ſic habet: *Sacroſancta Generalis Synodus* &c. *Monaſteriorum Ciſtercienſis Ordinis Abbatibus & Conventibus ſalutem. Sinceræ devotionis affectus, quem ad univerſalem Eccleſiam in vinea Domini laborantes geritis, non indignè meretur, ut petitionibus veſtris favorabiliter annuamus* &c.

Ex his Summorum Pontificum & Concilii teſtimoniis manifeſtè patet, Ordinem Ciſtercienſium hoc tempore necdum fuiſſe relaxatum. Immo Martinus V. in alia quadam Bulla, quæ præfato Concilii Baſileenſis Privilegio de verbo ad verbum inſerta eſt, teſtatur; tantùm NB. *nonnullos* Ciſtercienſes ad declinandum rigorem & jugum obedientiæ per diſpenſationes Sedis Apoſtolicæ vel Nuntiorum prætenſas quæſiiſſe tranſitum ad laxiores Ordines, vel ad curam animarum in pinguibus parochiis. *Nonnulli*, inquit, *dicti Ordinis Profeſſores, vel ut ſic debitæ obedientiæ jugum evadant, vel laxius vivere valeant, honeſtis apparentibus cauſis prætenſis, etiam prætextu Litterarum Sedis Apoſtolicæ ſeu Legatorum, ad alios Ordines ſe transferunt, & plerumque in hujusmodi aliis Ordinibus parochialium Eccleſiarum aut aliorum beneficiorum magis pinguium, quàm in ipſo Ciſtercienſi Ordine habere poſſunt, regimina procurant, & ut plurimum vitam ducunt diſſolutam in hujusmodi Ordinum opprobrium, & ſcandalum plurimorum* &c. Ita Martinus V. anno primo ſui Pontificatûs. Ex hoc patet; eo tempore, quo V. Thomas ſua duo authographa libri de Imitatione ſcripſit, nempe anno 1414. & 1441. Ordinem Ciſtercienſem necdum fuiſſe diſſolutum. Diſſolutio primùm circa annum 1438. invehi cœpit in Gallia, dum *nonnulli Abbates hujus Ordi-*

Ordinis minùs honeſtè viventes, prout Eugenius IV. in ſua Bulla, *Eccleſiarum*, anno 1438. loquitur, in Curia Romana ſuas Abbatias reſignarunt in manus Clericorum Sæcularium, vel religioſorum alterius Ordinis, non expertorum in Conſtitutionibus Ordinis Ciſtercienſis. Vide P.Henriquez in Regula Ord. Ciſt. Tom. II. f. 118.

EXCEPTIO XXVI.

§.LXVII. REperiuntur præſumptiones faventiores Joanni Gerſeni de Canabaco, Abbati Vercellenſi ad S. Stephanum, quàm Thomæ Kempenſi. (d)

Primò. *Joanni Gerſen* favent non pauci Codices Manuſcripti. Codex *Aronenſis* bis inſcriptum gerit nomen Joannis Gerſen Abbatis. Codex *Sluſianus* in fine adſcriptum gerit nomen Joannis Gerſen. Idem nomen reperitur in Codice *Padolironenſi*. In Codicis *Salisburgenſis* Indiculo legitur: *De Imitatione Johannis Gers.* In Codice *Allatiano* legitur: *incipit tractatus Joannis de Canabaco.* In Codice *Venetiis anno* 1501. impreſſo, & *Joanni Gerſono* inſcripto, quiſpiam inſcriptionem corrigens adſcripſit. *Hunc librum non compilavit Johannes Gerſon, ſed D. Joannes - - - - Abbas Vercellenſis, - - - - ut habetur uſque hodie propria manu ſcriptus in eadem Abbatia.* (e)

RESPONSIO.

§.LXVIII. TEſtes pro Joanne Gerſon Cancellario ſynchroni ſunt triplo plures; teſtes verò pro Thoma Kempiſiano pariter ſynchroni ſunt decuplo plures. Teſtes pro Gerſono vel Thoma Kempenſi non variant inter ſe circa idem punctum controverſiæ. Econtra teſtes Gerſeniſtarum variant inter ſe circa idem controverſiæ punctum tam quoad nomen, quàm circa adjuncta individualia perſonæ, ita ut incertum relinquant, an loquantur de eadem vel diverſa perſona; immo an loquantur omnes de perſona diſtincta à Gerſono. Cum ergo teſtes ſingulares, præſertim ſingularitate inter ſe obſtativa, vel circa idem punctum diver-

(d) Baſis firma. fol. 95.
(e) Baſis firma. fol 96. & ſeqq. - - 104.

diverſificativa certitudinem contra teſtes triplo vel decuplo plures pariant nullam, ſed ad ſummum fundent aliquam præſumptionem ſeorſim ſpectatam, manifeſtum eſt, quod præſumptio cedere debeat veritati per teſtes numero decuplo plures & authoritate notoria eminenter ſuperiores demonſtratæ. Aliæ exceptiones contra hos teſtes videri poſſunt in reſponſione ad Codices productos à Delfavio ſuperiùs §. 18. Reſp. ad *Except.* VI. Verùm nolim altercari de valore, ac ſenſu horum Codicum. Fundent mea pace præſumptionem pro Gerſeniſtis ſeorſim ſpectati; ea tamen præſumptio evaneſcit comparativè ad præſumptiones oppoſitas ſpectata. Si enim juxta principia *Artis Criticæ* à me præſtabilita (f). *Teſtis contra teſtem circa idem atteſtationis punctum cæteris paribus non eſt teſtis idoneus*; quanto magis ſex teſtes anonymi variantes inter ſe circa atteſtationis articulos complures comparativè ad centum teſtes oppoſitos, partim pro Gerſono Cancellario, partim pro Thoma K. teſtantes amittent, ſuam præſumptionem? Quod ſi etiam his Codicillaribus ſex teſtibus relinqueretur aliqua præſumptio ſeu probabilitas ſeorſim ſpectata, ea tamen cedere deberet morali certitudini oppoſitæ, ex 70. coævis teſtibus, & ex 300. Idiotiſmis Styli Kempiſiani demonſtratæ.

EXCEPTIO XXVII.

§.LXIX. Codex Aronenſis, Gerardimontenſis, Codex Mathiæ Farinatoris, Codex ex quo D. Bonaventura ſuas collationes delibavit, Codex, ex cujus fide liber de Imitatione D. Bernardo vel Ludolfo Saxoni tribuitur, monſtrant ætatem authoris Gerſono & Thoma K. antiquiorem. (g)

RESPONSIO.

§.LXX. Placuit Gerſeniſtæ iterum recudere fabulas, à me in *Deductione Critica* convictas falſitatis. Prætenſas collationes D. Bonaventuræ, & Mathiam Farinatorem, pertinere ad ætatem juniorem Kempiſio, convincenter oſtendi fol. 18. & 107. § 42. & §. 137. Quanta

(f) In Deduct. Crit. fol. 10. §. 3. & ſuperiùs in *Præfatione* §. 6.
(g) Baſis firma. fol. 104.

hæc impudentia! orbi litterario, non ſolùm objectis utilioribus, ſed etiam neceſſariis occupatiſſimo, obtrudere argumenta jam convicta erroris! Codicem Aronenſem non pertinere ad Sæculum decimum quartum, ſed potius ad confinia Sæculi decimi ſexti, ex Manuſcripto Pollingano, quod in Iconiſmo Num. 7. exhibeo, ad oculum patet. Teſtimonium Codici Gerardimontenſi adnexum falli aut fallere, in *Deduct. Crit.* §. 112. luculenter oſtendi. Quod Codices Pſeudepigraphi authoribus antiquioribus, v. g. D. Bernardo, aut Ludolfo Saxoni adſcripti, *annoſitatem* præferant *maximam*, ætate Kempiſiana anteriorem, gratis fingitur ſine teſte, ſine judice, quos in Synedrio Pariſienſi implorare non omiſiſſent Gerſeniſtæ, nec illorum formularia in libro de Re Diplomatica omiſiſſet Mabillonius, ſi *annoſitas* illa *maxima* Codicis vel unico minimo gradu probabilitatis Gerſeniſticæ ſuperaret ætatem Kempiſianam.

EXCEPTIO XXVIII.

§. LXXI. GErſeniſtæ opponunt ad minimum ſex Manuſcriptos Codices Codici Manuſcripto Kempiſiano Antverpienſi, quibus Gerſen ſuum nomen per modum authoris appoſuit. Econtra Thomas Kempenſis in Codice Antverpienſi anno 1441. ſuum nomen ſolùm per modum librarii appoſuit. (h)

RESPONSIO.

§. LXXII. NOn ſex, ſed duo ſolùm Codices nomen nudum Joannis Gerſen præferunt, nempe Sluſianus, & Padolironenſis. Sed eo nomine hominem à Joanne Gerſon diſtinctum innui, ne quidem ratione probabili affirmare licet. *Joannes* enim *Gerſon* ſuo ævo paſſim dicebatur & ſcribebatur; *Joannes de Gerſon*, videlicet à loco ſuæ nativitatis in Diœceſi Rhemenſi. Sic enim ipſemet Gerſon in ſuo Teſtamento, & in Epiſtola ad Carthuſienſes Lugdunenſes ſe nominat his verbis: *Cæleſtinis* (in Avenione) JOANNES DE GERSON. *Gratia & Pax.* - - *Lugduni* 1428. *anno ætatis ſexageſimo quinto.* Et in Epiſtola, petitoria accelerationis ſuffragiorum poſt ſuum obitum, ad Carthuſienſes in fine.

Scriptum

(h) Baſis firma. fol. 106.

Scriptum Lugduni. Veſter Alumnus. JOANNES DE GERSON. & Capitulum Lugdunenſe Eccleſiæ ad S. Paulum in promiſſione anniverſarii: *Ven. Magiſtro & Domino* JOANNI DE GERSON (i). Nomen autem Joannis de Gerſon jam Sæculo XV. paſſim in nomen Joannis *Gerſen*, vel Joannis *de Gerſenis* tranſiit. In editione omnium Operum Gerſonis Colonienſi anno 1483. Tomo I. Author libri vocatur *Dominus Conſolatorius Joannes de Gerſonne*; & Tomo II. vocatur *Dominus Joannes de Gerſenne Doctor Conſolatorius* (k). Similiter in Bibliotheca Queſerbytana continetur Liber Manuſcriptus de Imitatione, ubi ejus author ſcribitur *Joannes Gerſen* Cancellarius Pariſienſis (l). Riſu verò potius, quàm reſponſione dignum eſt, dum Delfavius fol. 104. dubium movet, an non Codex Aronenſis ſit ille ipſe Codex authographus, quem fol. 100. *propria manu* Joannis Abbatis Vercellenſis ſcriptum affirmat, cuique fol. 106. authorem ſuum nomen præfixiſſe aſſeverat. Hæc ſi vera eſſent, inſigniter fatuum eſſe oportuiſſet Gerſenem, qui *propria manu* in exiguo libello nomen ſuum tribus vicibus à *Geſen* in *Geſſen*, à *Geſſen* in *Gerſen* mutaſſet. Verùm hæc omnia Delfaviania ſomnia recentior ætas Aronenſis Codicis à me ex Manuſcripto Pollingano demonſtrata dispellit (m). In Manuſcriptis Carthuſienſium *à La Chapelle* in Flandria vocatur *Joannes de Jarſonio.* Vide in Append. Docum. III. §. 119. in Epiſt. RR.mi Brunonis Pede.

EXCE-

(i) Vide Tom III Operum Gerſonis edit 1728. fol. 760. 761.

(k) Vide Deduct. Crit. §. 186 fol. 150. Hanc ipſam Gerſonis cum Gerſene confuſionem confirmat Montfauconius in Bibliotheca Bibliothecarum Manuſcriptorum, dum refert Tomo II. fol 1197. Libros raros impreſſos D. d' Aigrefeüille his verbis: *Fratris Thomæ à Kempis de Imitatione Chriſti Liber in - 8.vo Lugduni à Roberto Trechſel* 1489. *Et ſuie, Joannis Gerſen Tractatus de Meditatione Cordis* &c.
Et Tomo I fol. 417. inter Manuſcripta Bibliothecæ Florentinæ refert *Joannis Gerſen* (ſic) *Cancellarii Pariſienſis de Imitatione Chriſti, Codex ſcriptus anno* 1466.

(l) Vide Diſſert. Crit §. 121. fol. 89.

(m) Vide Iconiſmum Num, 7. & 14.

EXCEPTIO XXIX.

§. LXXIII. LIbrum de Imitatione alii (tum MSS. tum excuſi Codices) S. Bernardo, alii Joanni Gerſoni, pauci Ludolfo Saxoni, nonnulli Thomæ de Kempis Sæculo decimo quinto inſcripſere (n).

RESPONSIO.

§. LXXIV. COrrigat Gerſeniſta & ſcribat. *Unus* S. Bernardo, *unus* Ludolfo, *decem* Gerſoni, *ſeptuaginta* Thomæ de Kempis, *Gerſeni Benedictino* per id tempus librum de Imitatione *nullus* adſcripſit. V. Deduct. Crit. fol. 94. §. 125.

EXCEPTIO XXX.

§. LXXV. NUllus eorum, qui Gerſonis & Thomæ K. res præclarè geſtas annotarunt, hunc librum illi adſcripſit (o).

RESPONSIO.

§. LXXVI. DE V. Thoma K. Teſtimonium *Buſchii*, & *Aſcenſii Badii*, & *Numani*, & *Tolneri* contrarium demonſtrant. Vide in Deduct. Crit. §. 125. 126. 127. 143. fol. 94. 95. 96. 110. & infra in Appendice Num. 3.

EXCEPTIO XXXI.

§. LXXVII. GErſoni ideo abjudicatus eſt liber de Imitatione, quia author ſe vocat monachum. Eadem eſt cauſa Thomæ K. (p)

RESPONSIO.

§. LXXVIII. A V. Thoma paſſim etiam circa ſe & circa ſuos confratres uſurpari terminum *monachi*, ex ejus indubiis Operibus oſtendi in Deduct. Crit. §. 58. fol. 34.

EXCE-

(n) Baſis firma. fol. 107. (o) Baſis firma. fol. 108. (p) fol. 109.

EXCEPTIO XXXII.

§.LXXIX. ECcur S. Bernardo, aut Ludolfo Saxoni multò antiquioribus liber de Imitatione ſuppoſitus eſt Thoma Superſtite, niſi quia jam tum antiquior Thomâ exiſtimabatur? (q)

RESPONSIO.

§.LXXX. ECcur à decuplo pluribus Gerſoni ſuppoſitus eſt, niſi quia à pleriſque non antiquior exilio Gerſoniano, atque ætate Kempiſina *exiſtimabatur*? Eccur Ludolfo Saxoni tribuebatur, qui centum annis poſt D. Franciſcum floruit, niſi quia *exiſtimabatur*, authorem non fuiſſe contemporaneum S.Franciſci, prout Gerſeniſtæ ſomniant? Eccur à centuplo pluribus Scriptoribus poſt excuſos omnium Manuſcriptorum Codicum pulveres Thomæ K. tribuebatur, niſi quia *exiſtimabatur*, librum ætate Kempiſiana antiquiorem non eſſe? Mittantur ergo ejusmodi ratiocinatiunculæ anicularum, verſatiles in utramque partem, quæ in ſerie decem caſuum conſimilium ad minimum novies fallunt. *Exiſtimare* enim *putare* eſt; *putare* tantùm ex communi proverbio, more aliorum proverbiorum in ſerie contingentium ſaltem plerumque vero, *errare* eſt. Ne tamen relinquantur ullæ hæſitationis reliquiæ, adſcribam veroſimilem anſam opinationum variantium. Liber *de Imitatione* ex prudenti authoris conſilio relinquebatur ſemper anonymus. Id humilitatis motivum ſuadebat; id obtrectatorum metus poſtulabat. Solis familiaribus ille communis cenſor morum immedicabilium noſcebatur. Inde ſciſſum ſenſa in contraria vulgus. Plerique ex ſimilitudine artefacti artificem hariolabantur. Hinc in D.Bernardum, in Ludolfum de Saxonia, qui & ipſe vaſtiſſimum opus Meditationum in vitam Chriſti ediderat, & in Gerſonem *exulem* (r) ſpiritu aſcetico plenum, primis conjecturis reſpectum eſt, donec familiares V. Thomæ ſuis familiaribus latere volentem ſenſim prodiderint. Quod verò ſenſa D. Bernardi non pauca per calamum V. Thomæ in librum de Imitatione transtillare potuerint, non incre-

(q) Baſis firma. fol. 110.

(r) Ipſemet Gerſon ſuum nomen in lingua hebraica, *advenam*, *peregrinum*, ſeu *exulem* ſingnificare teſtatur in ſuis Operibus Tom. III. fol. 766.

incredibile videbitur iis, qui in Chronico Windesheimenſi legerint, V. Thomæ Magiſtros in ſpiritu principia aſcetica, præſertim practica, ex D. Bernardo ſolertiſſime excerpſiſſe. Buſchius teſtis Synchronus, & condomeſticus, in Chronico Windesheimenſi l. 2. c. 35. ſic ſcribit. „ Frater Joannes Huesden, Prior noſter (in Windesheim, qui anno 1415. ad Concilium Conſtantienſe miſſus eſt) notabile ſatis excerptum ex Beati Bernardi ſermonibus ſuper cantica pro devotione ſua compilavit, „ mediam pæne partem ſermonum eorundem. Frater autem Joannes „ Kempis excerptum pro ſua devotione ex eisdem volens extrahere, non „ ea, quæ Pater Joannes Prior noſter inde ſibi collegerat, ſed ea magis, „ quæ in ſuo excerpto ipſe omiſerat, utiliora pro ſuo profectu, & ſibi „ magis ſapida eſſe judicans, propria edoctus experientia, in unum „ ea collegit. „ Ita Buſchius. Non eſt autem dubium; Joannem Kempenſem hoc Excerptum germano ſuo Fratri Thomæ Kempenſi, ſuo olim Novitio, & Concanonico in eodem monaſterio, communicaſſe.

EXCEPTIO XXXIII.

§. LXXXI. Multi veteres Scriptores, per plura Sæcula ignoti, ex uno genuino Codice retecti ſunt. Econtra alii Codices, qui per plura Sæcula veteris Scriptoris in fronte nomen geſſerant, ex unico genuino Codice recentiori Scriptori reſtituti ſunt. Prioris caſus exemplum habemus in Operibus Facundi, Guiberti, Agoberti: poſterioris in libro de Operibus Cardinalibus, olim inſcripto D. Cypriano. Ergo idem potuit contingere circa Gerſenem. Actu verò ſic contigiſſe colligitur ex eo, quia, ſi inſcriptio Gerſenis veniret ex impoſtura, ſtultè is egiſſet, inſcribendo librum nomine hominis ignoti. (s)

RESPONSIO.

§. LXXXII. Potuiſſe ſic contingere, ubi ex teſtibus Synchronis idoneis, & ex conteſſeratione teſtium coævorum nulla habetur moralis certitudo de authore libri in contrarium, indubitatum eſt. In tali enim caſu unus teſtis idoneus Synchronus, quem Manuſcriptum re- præ-

(s) Baſis firma fol. 111. 112. & 113.

præſentat, ſufficit. Econtra id nunquam contigiſſe, ubi ex teſtibus Synchronis idoneis, & ex conteſſeratione teſtium coævorum habetur moralis certitudo de authore libri, pariter indubitatum eſt. Itaque inverto argumentum. Gerſeniſtæ in tota hiſtoria litteraria nullum poſſunt afferre exemplum, quòd liber per teſtes idoneos ſynchronos, & per conteſſerationem coævorum teſtium adſcriptus determinato authori, à peritis æſtimatoribus MSS. Codicum tribui cœperit alteri authori ob repertum vetus Manuſcriptum ſub alio nomine inſcriptum. Ergo moraliter certum eſt, teſtes idoneos ſynchronos accedente conteſſeratione coævorum teſtium nunquam fallere, præſertim ſi concurrat identitas ſtyli. Ad quid ergo ſerviunt ejusmodi argumenta Gerſeniſtarum vagantia in genere poſſibilium vel caſuum realium non contractorum ad circumſtantias deciſivas caſus ſpecifici, niſi ad fallendos ſimplices, quibus principia artis Criticæ, & *Senſorium commune*, ſeu potentia æſtimativa deſunt? Simul autem obſervo inconſtantiam ejusmodi hominum in ratiociniis, legentium quidem multa, & ſcribentium multa, attamen ſine prævia inſtitutione ac exercitatione in Logica, Topica & Arte Critica. En! præſens exemplum. Authoribus per plura ſæcula libro inſcriptis denegant Opus ob unicum Codicem coævum alteri inſcriptum: nec id improbo. In cauſa autem Kempenſi ſeptuaginta teſtes coævos non attendunt ob Codicem Aronenſem tribus ferme Sæculis remotum à tempore, quo *Gerſen Abbas* vixiſſe Vercellis prætenditur. Quanta in ratiociniis inconſtantia!

EXCEPTIO XXXIV.

§. LXXXIII. SI Joannes Gerſen non extitiſſet, aut nullius fuiſſet celebris nominis, ſtolidæ mentis fuiſſet ille nebulo, qui libro de Imitatione falſum authorem ſuffecturus potius elegiſſet hominem obſcurum, quam celebrem (t).

RESPONSIO.

§. LXXXIV. NOn nebulo, non impoſtor nomen Gerſenis libro de Imitatione ſuppoſuit: ſed cum liber vivente V. Thoma prudenti

(t) Baſis firma. fol. 113.

denti conſilio ultra quinquaginta annos relinqueretur anonymus, in Publico conjecturæ circa verum authorem relinquebatur locus; Italis & Gallis oculos in *Joannem Gerſon*, ſeu *Gerſen*, Cancellarium, tunc *exulem*, ſeu *advenam*, ſeu *peregrinum*, quod nomen ſonat (u), ac ſcriptis aſceticis clarum, plauſibili conjectura conjicientibus; familiaribus autem Venerabilis Thomæ non niſi ſeriùs, ſeneſcente jam authore, ut corrigeretur error pro Gerſone multorum exterorum publicus, genuinum authorem adhuc diu vivum, nec contradicentem palam ſcriptò prodentibus. Cæterum ſub nomine *Gerſen*, *Joannis de Gerſen*, *Joannis de Gerſenis*, paſſim intellectum fuiſſe Gerſonem Cancellarium, eumque ratione *Commendæ*, quam Pariſiis habuit in Eccleſiam S. Joannis in Grævia, more populari Gallorum & Italorum vocari potuiſſe Abbatem, oſtendi in Deduct. Crit. §. 229. fol. 258. & §. 121. fol. 89. Ipſemet Gerſon Cancellarius in ultimis vitæ ſuæ annis ſe ſubſcribere ſolet: *Joannes de Gerſon*, prout patet ex Tom. III. Operum, edit. Pariſ. fol. 759. 761. Ab Italis verò & Gallis promiſcuè *o* pronuntiari per *e* liquet. Certè Eccleſiam S. Joannis in Grævia fuiſſe prius regularem, ita ut etiam adhuc noſtris temporibus communiter vocari ſoleat *Monaſterium S. Joannis in Gravia*, teſtatur Lebeuf in deſcriptione Urbis & Diœceſis Pariſienſis Tom. I. part. I. fol. 138. (x), & fol. 128. 129. ubi ſic ſcribit:
„ Comites de Meulant poſſidebant Eccleſiam (matricem) S. Gervaſii,
„ & ejus bona, manſeruntque in ea poſſeſſione, usque dum ſcrupulo
„ poſſidendi bona Eccleſiaſtica moti ea donarunt Monachis Prioratûs
„ S. Nicaſii. In charta de anno 1141. Waleranus Comes Meulanenſis
„ inter bona à ſe donata Monaſterio S. Nicaſii numerat Eccleſias *S. Gervaſii & S. Joannis, quæ ſunt Pariſiis in vico, qui dicitur Gravia &c.* „
Ex his ergò ſequitur; Gerſonem Cancellarium revera fuiſſe Abbatem Commendatitium in Monaſterio S. Joannis in Grævia.

EXCE-

(u) Vide ſuperiùs dicta §. 80. in Reſp. ad *Except.* XXXII.

(x) Ces comtes mirent à Saint Jean quelques Moines de leur Monaſtere de Saint Nicais de Meulent, & ce ſeroit de la, que ſeroit venu l'usage de dire, *le Cloitre de Saint Jean.* — Un des plus illuſtres Curés a eté Jean Gerſon, qui fut auſſi Chancelier de Notre Dame.

EXCEPTIO XXXV.

§. LXXXV. FRANCISCUS AUGUSTINUS AB ECCLESIA teſtatur Cœnobium Vercellenſe anno 1536. Canonicis Regularibus conceſſum eſſe (y). Idem recenſet Catalogum Abbatum hujus Cœnobii ab anno 1230. usque ad annum 1245., inter quos recenſet Joannem Gerſen his verbis: *Joannes Gerzen, qui eruditiſſimum Tractatum de Imitatione Chriſti compoſuit* (z).

RESPONSIO.

§. LXXXVI. Miror, Gerſeniſtas adducere teſtimonium Scriptoris, qui librum de Imitatione *Tractatum eruditiſſimum* vocat, ex quo ſolo Elogio potuiſſent colligere, librum de Imitatione ab eo nunquam eſſe lectum, ac proin eum ex alterius commendatione commendari. Miror allegari *Scriptorem*, qui ipſemet, nimis facile ſuggeſtione Cajetani nixus, de hoc ſuo errore erubuit, dum in ſuo poſteriori Opere *de Viris pietate & doctrina illuſtribus Urbis Vercellenſis* Gerſenem omittit; *Scriptorem*, quem etiam Ughellus in ſua Italia ſacra deſerit, dum inter viros Vercellenſes pietate ac doctrina claros nullius Gerſen meminit. *Scriptorem* denique, quem ipſa documenta Monaſterii Vercellenſis non dudum ſolerter inſpecta erroris convincunt. Habentur in Archivio Urbis Vercellenſis Originales litteræ, continentes contractum anno 1206, die 16. Decembris, initum inter Prætorem Urbis, & Monaſterium Benedictinum S. Stephani, in quo ſubſcripti ſunt *Robaldus Abbas*, & omnes Fratres Monaſterii, quin tamen ullius Joannis reperiatur nomen. Sed nec in ſubſequentibus annis usque ad tempus, quo ſucceſſerunt Abbates Commendatitii, hactenus repertum eſt ullius Joannis NB. ABBATIS veſtigium. Teſtimonium ex Originalibus litteris accludo in Epiſtola RR.mi ac Eruditiſſimi Viri DD. Joſephi Frova, Abbatis Lateranenſis in Monaſterio ad S. Andream Vercellis, ſequentis tenoris.

(y) Baſis firma. fol. 114. (z) Ibid. & 115. 116. 117.

Clariſſimo, Eruditiſſimoque Viro D. Euſebio Amort Canonico Lateranenſi, & Decano CC. RR. S. Salvatoris Pollingæ Joſeph Frova S. P. D.

MAximi tua ducens juſſa percupiti contractûs transmitto ἀπόγραφον, à quo erudieris in hujus Urbis Tabulario ejus adſervari αὐτόγραφον; D. Robaldum S. Euſebii Canonicum haud fuiſſe; ſed utique Monachum, & Abbatem Regularem Ordinis S. Benedicti; atque inter monachos, qui contractui album impertiere nullum adinveniri *Johannis* nomine inſignitum. Hic autem, ne quis unquam tibi fucum faciat, te Cl. V. advertiſſe velim in Hiſtoriis Vercellarum mentionem fieri ſub anno 1365. cujusdam ABBATIS JOHANNIS; Et ſcito, ſi te latet, Johannem illum fuiſſe, Abbatem S. Mariæ Florentinæ, Cancellarium Andruini Cardinalis S. Marcelli à p. m. Innocentio IV. miſſum ad Galeatium Vice-Comitem ergò conſtituendæ pacis hunc inter, & Johannem Epiſcopum Vercellenſem. Quæ à me es percontatus ſub numeris 4 & 5. non duxi quærenda, quoniam probe teneo D. Roboaldum, ſive Robaldum, D Petrum, D. Guilelmum de Advocatis, D. Simonem Maſſarolum, & D. Benedictum de Bulgaro, cujus imaginem egomet vidi in aula Domûs Domini Stephani CAMPORA Equitis SS. Mauritii & Lazari, Monachos Benedictinos fuiſſe, Abbatesve Regulares. Quæ ſpectant ad Chronicam Alicenſem in Epiſtolio, digniſſimo tuo Præſuli miſſo reperies unâ cum adſervatione Catalogi Scriptorum anno 1614 impreſſi Taurini, in quo JOHANNIS GERSEN nec minimum veſtigium; & ſi adinveniatur recenſitus his verbis = JOHANNES GERSEN, *qui eruditiſſimum tractatum de imitatione Chriſti compoſuit* = *ſub anno* 1230. *in Hiſtoria Chronologica* edita ab eodem EPISCOPO AB ECCLESIA anno 1645. cap. 34. pag. 291. & cum Catalogo &c. confusâ à Patre Ghiotti probabiliter; quum hactenus alterius editionis anno 1645. elaboratæ notitiam ullam haud ſim aſſecutus; quemadmodùm nec abſolutæ anno 1657: etenim hoc anno CUNEI editum fuit tantùm à D. FRANCISCO AUGUSTINO AB ECCLESIA opus, cujus hæc inſcriptio eſt = Corona Reale di Savoja = in quo opere pag. 210. & 211. Abbatiæ S Stephani Vercellarum auctor meminit, nullo recenſito Abbate. Quum fecerim mentionem Abbatum *S. Stephani de Cittadella* extra rem minime puto adnotare hoc loco, quibus temporibus eorum aliquos vixiſſe adinveni. En igitur cum nominibus tempora.

D. Robaldus, ſive Roboaldus ab anno 1206. ad 1219.
D Petrus anno 1243.
D. Guilelmus de Advocatis moritur anno 1340. die 23. Junii anno 1320. jam Abbas erat S Stephani.
D. Simon Maſſarolus ann. 1340. prope diem 23. Junii, 1341. 1342. 1343. 1344.
D. Benedictus de Bulgaris anno 1380. electus, uti erudior ab Epigraphe, quâ ejus imago inſignitur, ad 1406.

Iſti ſunt Abbates Benedictini Vercellenſis Monaſterii S. Stephani hactenus à me inventi: Commendatarii autem, ni fallor, cœpere anno 1491. hoc ſiquidem anno Abbatem S. Stephani Vercellenſis fuiſſe lego Johannem Campegium Archiepiſcopum Taren-

Tarentaſienſem, cui in Abbatia ſucceſſit anno 1492. VII. Id. Novembris Johannes Stephanus Ferrerius ann. 1499. Epiſcopatu hoc potitus, & anno ſequenti Cardinalis creatus. Johannem Stephanum in Abbatia excepit ejus frater Bonifacius; huic alius commendatarius Abbas ſucceſſit, nempe Petrus Franciſcus Ferrerius Bonifacii Nepos; Petro Franciſco, Guido ex eadem Ferreria gente anno 1562. Guidoni ann. 1545. denato ſucceſſit Cardinalis Fridericus Borromæus, huicque tandem alii ad hanc usque diem commendatarii Abbates; Abbas enim S. Stephani commendatarius, in præſentiarum eſt Cardinalis Alexander Albanus. Dabam Vercellis ex Canonia S. Andreæ V. Kal Septembr. anno Vulg. æræ MDCCLXII.

§. LXXXVII. Dixi; Franciſcum ab Eccleſia ex ſuggeſtione *Conſtantini Cajetani* Joannem Gerſen poſuiſſe inter Scriptores Vercellenſes. Id enim circumſtantiæ actorum præcedentium & ſubſequentium probant. Nam Conſtantinus Cajetanus ſuum Librum pro Gerſene anno 1644. Romæ vix ediderat, in quo ſine ullo documento Synchrono ex meris conjecturis Librum de Imitatione alicui confiсto Joanni Gerſen Abbati Benedictino Vercellenſi ad S. Stepanum tribuit, Auguſtinus ab Eccleſia Sabaudus, cum pararet Hiſtoriam Litterariam de Scriptoribus Sabaudiæ, ea Cajetani opinatione in laudem gentis ſuæ gaviſus, ſtatim quarto abhinc anno, nempe 1648. Joannem Gerſen Benedictinum Abbatem ad S. Stephanum Catalogo ſuo Scriptorum Sabaudiæ intulit, atque Manuſcriptum Codicem adhuc in Monaſterio S. Stephani aſſervari turpiter lapſus, ſuique ipſius immemor (a) aſſeruit. Verùm poſtquam Naudæus anno 1650. Conſtantinum libro pariter Romæ edito ſolidè refutaverat, Augustinus ab Ecclesia errorem ſuum agnoſcens, in poſteriore auctiore opere, quod edidit anno 1657. & 1660. de Scriptoribus Sabaudiæ mentionem Joannis Gerſen Abbatis Vercellenſis prorſus omiſit. Vide *Vindicias Kempenſes adverſus P. Franciſcum Delfau* editas Pariſiis 2677. fol. 203. 204. part. III. C. 3. & Epiſtolam RR.mi ac Eruditiſſimi Viri ſuperius §. 86. inſertam. Apertiora, ut ſpero, in apricum proferet Vir Eruditiſſimus, in cujus manibus nunc verſantur Originalia Commercii Epiſtolici habiti cum D. Conſtantino Abbate Cajetano.

(a) Monaſterium jam erat deſtructum, & omnia Monaſterii documenta in Archivium urbis tranſlata. Ipſemet Conſtantinus in ſuo *Apologetico* Romæ 1644. impreſſo refert fol. 54 ſuam editionem libri de Imitatione ex Codice *Aronenſi* factam eſſe. Cur non ex *Vercellenſi*, ſi adhuc anno 1646. ibi extitiſſet?

EXCEPTIO XXXVI.

§. LXXXVIII. Teſtes Synchroni Kempiſiani, domeſtici præſertim, quamvis inculpatiſſimi, *ab omni ſuſpicione* partialitatis eximi non poſſunt (b).

RESPONSIO.

§. LXXXIX. Scribi oportuit: *ab omni ſtultitia* eximi non poſſunt; tribuendo librum veterem inſignem, cujus extare in variis regionibus exemplaria antiquiora præſumendum erat, confratri viventi pio, de quo præſumendum, non laturum blanda de ſe mendacia, & alieni nominis rapinas.

EXCEPTIO XXXVII.

§. XC. Cœnobium Vercellenſe (S. Stephani) anno 1536. Canonicis Regularibus conceſſum eſt, & dein 1581. ſolo æquatum eſt (c).

RESPONSIO.

§. XCI. Ex dictis in Exceptione XXXV. patet; iſtud Cœnobium ab anno 1490. usque ad annum 1627. ſemper habuiſſe Abbates Commendatarios; nec illud usque ad annum 1491. agnoviſſe alios religioſos, niſi Benedictinos, ullo documento probatur.

EXCEPTIO XXXVIII.

§. XCII. Novum hominem (*Auguſtinum ab Eccleſia* Sæculi XVII. ſcriptorem) quis prohibeat, res ante actas è veteribus monumentis eruere? (d).

RESPONSIO.

§. XCIII. Quis prohibeat, novum hominem, circa quæſtiones facti *antiqui actu controverſi* ſine allegatione documenti veteris diſſe-

(b) Baſis firma. fol. 114. (c) Baſis firma. fol. 114 (d) Baſis firma. fol. 115.

differentem, in eorum claſſem referre, qui documentis idoneis deſtituti pro ſua inclinatione cuivis Scriptori, ſuorum votorum Patrono, nimis cito credunt? De hujusmodi autem credulis Syrach C. 19. v. 4. ſcribit: *Qui credit cito; levis corde eſt.* Hinc inverto argumentum. Nullus Scriptorum prudens in quæſtione facti *antiqui actu controverſi* reticet documentum deciſivum, ſi quod habet vel ſcit; Ergo AUGUSTINUS AB ECCLESIA nullum tale documentum allegando nullum habuiſſe vel ſciviſſe præſumendus eſt. *Vide* dicta ad *Exceptionem* XXXV.

EXCEPTIO XXXIX.

§. XCIV. Quis Epiſcopum, Sabaudiæ Ducis Hiſtoriographum, eousque deſipuiſſe crediderit, ut tam ſplendidè mentiretur, ac fabulam à ſe compoſitam pro vera hiſtoria poſteritati transmitteret? — Quam ob rem (eò quòd mentitus non ſit) quæ de Gerſene ſcripſit, pro indubitatis haberi debent, usque dum falſi revincantur (e).

RESPONSIO.

§. XCV. Non mentiuntur, qui alieno teſtimonio piè confiſi relata referunt; nec fabulam componunt, qui fide authorum, opinione ſua gravium, ſimplici populo fabellas, aut hiſtoriolas fide Eruditorum indignas proponunt. Legatur *Commentarius Criticus* P. Schüz de *Nicephoro Callixto*, de *Metaphraſte*, de *Jacobo de Voragine*, de *S. Antonino*, de *Alano de Rupe*, de *Vincentio Bellvacenſi*, de *Thoma Cantipratano*; de *Speculo Exemplorum*, *Chronico Martini Poloni*, *Chronico Mariani Scoti*, *Chronicâ Hiſpanicâ* &c. apparebit; ab his authoribus complura piè fuiſſe credita & ſcripta, quæ de falſitate partim ſuſcepta partim convicta ſunt, quin propterea eos fuiſſe *ſplendidè mentitos* quis impudenter vel juveniliter affirmare præſumat. Idem de Hiſtoria *Gregorii Turonenſis*, *de Dialogis D. Gregorii M. de Speculo Vincentii Bellovacenſis*, &c. cenſent eruditi. An ea omnia, quæ tales authores ſine teſte coævo, ſine documento idoneo ſcribunt, niſi falſitatis revincantur, propterea pro indubitatis habenda ſunt? Deſiderantur in Delfavio elementa non ſolùm *Artis Criticæ*, ſed etiam vulgaris Logicæ, dum inter indu-

(e) Baſis firma fol. 115.

indubiè vera, & indubiè falſa nullum medium *dubiè verum*, *dubiè falſum* agnoſcit. Meminiſſe oportet; meras poſſibilitates nunquam pertingere ad veram probabilitatem, nec meras probabilitates ad certum.

EXCEPTIO XL.

§. XCVI. JOannes Baptiſta Modena inter Abbates Monaſterii Vercellenſis S. Stephani reperit quendam Joannem, quem judicat eſſe Authorem libri de Imitatione (f).

RESPONSIO.

§. XCVII. AD initium Sæculi XIII. quo tempore S. Franciſcus vixit, & quo Gerſeniſtæ ſcriptum eſſe volunt librum de Imitatione, nullum in Monaſterio S. Stephani extitiſſe religioſum nomine *Joannis*, ſuperius ex Archivio Vercellenſi in Reſp. ad Except. XXXV. oſtenſum eſt. Dein falſum eſt; *Joannem Baptiſtam Modena* judicio abſoluto judicaſſe, quod author libri de Imit. ſit *Joannes Abbas Vercellenſis in monaſterio S. Stephani*. Propoſitio illius conditionatè exponi poteſt & debet, videlicet, *ſi aliquis Abbas Vercellenſis Joannes eſſet author Libri de Imitatione, non poſſet eſſe alius, niſi ex præfato Monaſterio S. Stephani. Giudico bene, ch' eſſendo l' autore del libro de Imitatione detto Giovanni Abbate di Vercelli, non potreſſe eſſere altro, che de monaſtero di San Stefano.*

EXCEPTIO XLI.

§. XCVIII. MAurillacius Galliæ Procancellarius, ac Launoius ſcriptis Diſſertationibus pro Gerſene ſententiam dixerunt (g).

RESPONSIO.

§. XCIX. *A Gallia Procancellario* quis petiit ſententiam? an ſubſcripta eſt à Cancellario? quo die data? quo anno? ad quarum partium inſtantiam? quis tenor ſententiæ? Itane per umbras Gerſeniſtæ dimicant?

(f) Baſis firma. fol. 116. (g) Baſis firma, fol. 116.

micant? Launoium legi; ſolidum nil reperi. Gerſeniſtæ, ſi quid in eo repe-riant ponderis, Eruditis in lance ſanæ Criticæ appendendum proponant. Neutrum in Cauſa Kempiſiana pro judice conpromiſſario agnoſcimus.

EXCEPTIO XLII.

§. C. *POſſevinus*, *Majolus*, & *Roſignolius* Codicis Aronenſis authoritate convicti cauſæ Gerſeniſtarum calculum adjecerunt. Illi non ex vulgi rumore, ſed ex certo Codicis Aronenſis Examine in noſtras partes conceſſerunt (h).

RESPONSIO.

§. CI. Codicem Aronenſem non eſſe Jeſuitis relictum ex veteri Monaſterio Benedictino, prout Cajetanus & Roſignolius ſuppoſuit; ſed eum anno 1579. ex ædibus paternis à *Mayolo* ſecum Aronam in Novitiatum aſportatum fuiſſe, ex proprio Mayoli teſtimonio Aronæ aſſervato patet. En! tenorem teſtimonii, quod Heſerus ſuæ Dioptræ fol. 334. inſeruit:

Ego Andreas Majolus Presbyter Societatis JEſu, teſtificor, me anno 1579. cùm Genuâ proficiſcerer Aronam ad Domum Probationis Societatis JEſu, ut in eam admitterer, detuliſſe mecum codicem manuſcriptum de Imitatione Chriſti, ſub nomine Jo Abbatis de Geſſen ſive Gerſen, quem in domo paterna reperi, nec ſcio unde venerit, cúmque reliqui Aronæ in eadem domo. Ubi conſervatus eſt multos annos, & inde accepit nomen Aronenſis Codicis à P. Bernardino Roſignolio, & aliis, qui legerunt Aronæ; & ignorantes, quòd ego illum attulerim, exiſtimarunt, ibidem ab antiquis monachis, qui illud monaſterium inhabitarunt, eſſe relictum. In quorum fidem, hoc teſtimonium meâ manu ſubſcripſi. Cremonæ die 28. Januarii 1717 „

Ipſum verò Codicem Aronenſem non antiquiorem, ſed valde juniorem eſſe authographis Kempiſianis Manuſcriptum Pollinganum in Schematiſmo ad oculum demonſtrat.

EXCEPTIO XLIII.

§. CII. Omnia Manuſcripta, quæ nomen Gerſonis præferunt, Joanni Gerſen noſtro militant. Collationes enim Bonaventuræ, quæ annos maximè trecentos præferunt, Gerſonem repudiant (i).

RESPON-

(h) Baſis firma. fol. 116. & 117. (i) Baſis firma. fol. 118. & 119.

RESPONSIO.

§. CIII. PEr Deum! poſt meam Deductionem Criticam necdumne pudet mentionis ſuppoſitarum Collationum D. Bonaventuræ, quin nullo verbulo ad meas demonſtrationes reſponſum ſit? Idne in re litteraria ingenuos decet?

EXCEPTIO XLIV.

§. CIV. GErmaniæ Typographi præpoſtero in popularem ſuum ſtudio Bellarmini de Gerſene ſententiam auſu temerario ſubmoverunt. — Eccui veritati patrocinantur, qui eam à mendacio inducunt? Aut quo tandem animo Colonienſes eum Bellarmini locum interpolarunt anno 1613., cum eodem anno Romæ præſente Bellarmino idem locus integer ederetur? (k).

RESPONSIO.

§. CV. TEmpora confundit inſolens & imperitus Delſavii calamus. Bellarminus anno 1613. Roſſignolii & Poſſevini erronea ſuppoſitione de antiquis natalibus Codicis Aronenſis ſuaſus acceſſit eorum pro Gerſene opinioni. Sed cum anno 1617. Rosweidi Vindiciæ Kempenſes ederentur, ipſemet Bellarminus in oppoſitam conceſſit ſententiam, ſuamque mentem hac expreſſione aperuit: *Scriptos & compoſitos fuiſſe ab eodem Thoma lib. de Imit. Chriſti ſuprà ſcriptos, contrariis conjecturis everſis, demonſtrat evidenter in Vindiciis Kempenſibus Heribertus Rosweydus Societatis JEſu: cujus mihi rationes pleniſſimè ſatisfecerunt, & ſententiam penitus amplector.* Hoc oraculum Bibliopola Colonienſis 1621. ſuæ novæ editioni Bellarmini inſeruit. Jam ex cujus parte hæret mendacium, & ex parte cujus impudentia? an ex parte Jeſuitarum de eo oraculo teſtantium? an verò ex parte eorum qui mendacium viris honeſtis ſine convincenti argumento publicè imputant? Vide *Summulam Heſeri* editam Ingolſtadii 1650.

EXCE-

(k) Baſis firma, fol. 120.

EXCEPTIO XLV.

§.CVI. AUthorem libri de Imitatione *oportet* 1.*mò* vixiſſe ante S. Bonaventuram, à quo in Collationibus citatur, & 2.*dò* quidem brevi poſt S. Franciſcum, quem tanquam recenter mortuum citat, 3.*tiò* eum fuiſſe monachum, qualem ſe indicat, ac 4.*tò* Abbatem, ut *conjicere* eſt ex variis loquendi formulis, quæ non niſi è ſuperiore loco proferre queat (l).

RESPONSIO.

§. CVII. APage has nugas, de Collationibus D. Bonaventuræ, de qualitate monachi & de allegatione S. Franciſci. Vide in mea *Deductione Critica* §. 42. 57. 62. argumenta plus quàm convincentia hujus nugacitatis. Conditionem Abbatis ex formulis loquendi nemo *conjiciendo* extorquet; nemo verum eſſe *oportere* aſſerit, quod merè *conjicit*. Addo, Gerſonem Cancellarium verè fuiſſe Abbatem Commendatitium Pariſiis in Grævia, prout oſtendi in Reſponſione ad Exceptionem XXXVI.

XLVI. EXCEPTIONES VARIÆ.

§.CVIII. 1. EX Codicum MSS. inſpectione controverſia finienda eſt. Liber de vitæ contemplativa veterum authorum magno conſenſu *Proſpero* adſcriptus, certo MSS. Codicum teſtimonio *Juliano Pomerio* adſcribitur (m).

2. Codicem Antverpienſem pro Archetypo haberi malè nolunt Kempiſiani (n).

3. Kempiſiani malè prætendunt, librum de Imitatione à Thoma K. jam ante annum 1410. ſcriptum eſſe (o).

4. Per Codicem Gerardimontenſem, ſcriptum ante annum 1400, omnia Manuſcripta Kempiſiana exauthorantur (p).

K 2 5. Unum

(l) Baſis firma fol. 121. & 122. (m) Baſis firma. fol. 126.
(n) fol. 127. (o) fol. 127. (p) fol. 128.

5. Unum vidi authographum Thomæ Antverpienſe (q).

6. Nullum à Kempiſianis Codicem laudari comperio, qui non ſit achronus, aut anonymus, vel Antverpienſi recentior (r).

7. Mathias Farinator ſcripſit librum de Imitatione jam ſub Joanne XXII. qui ſedit in Pontificatu ab anno 1316. usque ad annum 1334. Ergo liber de Imitatione antiquior eſt Thoma Kempenſi (s).

8. Codex Memingenſis 1489. & Pariſienſis 1493. nil ſervit pro Thoma K.; quia ille pro authore agnoſcit Thomam *Præpoſitum* & *Prælatum* Canonicorum, iſte verò pro *Priore*, qualis Thomas Kempenſis non fuit (t).

9. Buſchii parentheſin exploſimus (u).

10. Anonymum (Socium Mauburni) neque Thomæ coævum, neque ſatis integrum comperimus (x).

11. Teſtimonio Buſchii & Anonymi ex adverſo ſtat continuator Chronici S. Agnetis, Thomæ compar, in quo ne verbum quidem de libro controverſo reperitur, tametſi de Thoma pluribus egerit (y).

12. Licet Kempiſiani Codicum plauſtra, editionum acervos, teſtium nubes congerant, perinde eſt, ac ſi unus ſolummodo extaret Codex, una editio, unus teſtis, qui librum Thomæ inſcriberet. Siquidem omnes Codices ex uno Archetypo, omnes editiones ex aliquo Codice Manuſcripto, omnia authorum teſtimonia ex fide Codicum Manuſcriptorum, aut excuſorum dimanant (z).

13. Ex ſtylo nil certi conficitur. Vix enim, ac ne vix quidem, ulla Thomæ Opuſcula à ſubdititiis ſecerni poſſunt. Nihil prohibet, Thomam, qui forte librum de Imitatione antea pluries exſcripſerat, multa ex eo delibaſſe (a).

14. Non ſequitur, authorem libri de Imitatione vixiſſe in Congregatione Windesheimenſi, quæ vocabatur Congregatio *Devotorum*, quòd meminerit *Devotorum*; quaſi nulli extiterint devoti ante vel extra Congregationem Devotorum (b).

15. Marianus, qui circa annum 1420. operum D. Bonaventuræ cenſum egit, octo Collationes, in quibus allegatur textus ex libro de Imitatione, adſcripſit D. Bonaventuræ (c).

16. Uber-

(q) fol. 129. (r) fol. 130. (s) fol. 131, 132. (t) fol. 133. (u) ibidem. (x) ibidem. (y) fol. eodem. (z) fol. eodem, & 134. (a) ibidem. (b) ibidem. (c) fol. 137.

16. Ubertinus de Caſalis non anno 1273, ſed anno 1256. Ordinem Minorum ſuſcepit (d).

17. Thomas K. ab Vlimmerio non *author*, ſed *exſcriptor* vocatur (e).

18. Pro authographo Thomæ K. malè venditatur Codex (Auguſtæ ad S. Crucem aſſervatus, & à Regularibus Canonicis Pariſienſibus allegatus) cui annexa eſt hæc ſubſcriptio: *Compilator hujus Opuſculi fuit quidam frater Thomas* (f).

19. In eum locum controverſia deducta eſt, ut nos unum Codicem Antwerpianum (Kempianis) concedamus; illi viciſſim unum Aronenſem Gerſeni inſcriptum extare fateantur (g).

20. Si Kempiſiani Codicum manipulos jactitent, neque porro exhibeant, verba in auras jaciunt (h).

21. Rogamus Religioſiſſimos Canonicos, ut aliquot Exemplaria Manuſcripta è ſuis Belgicæ Provinciæ Cœnobiis Pariſios accieant, ut concordibus animis litem aliquando finiamus (i).

22. Archi-Præſul (Franciſcus de Harley, Archi-Epiſcopus Pariſienſis) ac eruditiſſimi Viri, quos adhibuit cauſæ cognitores, publico Inſtrumento Manuſcriptos Codices à Benedictinis productos omni legitima falſi ſuſpicione immunes eſſe conteſtantur. Cauſa finita eſt. Ita Delfavius anno 1674. (k).

23. Thomæ vita ab Anonymo concinnata, interpolata cum ſit, nullius fidei eſſe poteſt. Interpolatam verò demonſtrat noviſſima periodus, quæ in editionibus Venetis anni 1568. & 1576. deſideratur, utpote nuper abs quodam malæ fidei homine conſarcinata. Eccur enim author calamum non cohibuit, poſtquam obiiſſe Thomam enarravit? aut quis tandem interpolator ei ſuccenturiatus adjecit: *Et quia multos Tractatus ſcripſit, & dictavit in vita, & pauci ſciunt, quomodo intitulantur, ideo tabulam de ejus tractatibus & libris intitulare intendo.* Quem locum ſubnotavit Rosweidus: *Tabula hæc deeſt in editione Norinbergenſi anni 1444. Certè vitæ ejus non ſubjicitur.* Quorſum verò non ſubjicitur? Nondum ſcilicet erat conſarcinata. At Heſerus eam tabulam è tribus Codicibus eruit, quorum unus exſcriptus eſt per Fratrem NICOLAUM NUMAN de Francofordia profeſſum in majori Frankentall anno Dom. 1488. Atqui

(d) fol. 135. 136. 137. (e) fol. 138. (f) fol. 139. (g) fol. 140. (h) ibidem. (i) fol. 130. (k) fol. 25. & ſeqq.

qui profeſſus anno 1488. anno 1520. iſthæc ſcribere potuit, aut forſitan ſerius (l).

RESPONSIO.

§. CIX. AD 1. Ita eſt. Quando adhuc extat authographum authoris indubium ac deciſivum, ex illo cauſa finienda eſt. Si verò nullum extet authoris authographum, aut hoc indubium, vel in articulo controverſo deciſivum non ſit, regula S. Auguſtini, meæ Deductioni Criticæ præfixa, unicè ſequenda eſt; ut videlicet liber controverſus illi authori adſcribatur, cui conteſſeratio teſtium continua, & ſtyli identitas favet. Hinc in meis *diſquiſitionibus de Ordine Canonicorum Regularium*, quas edidi Venetiis per *Ricurtium*, meritò hoc opus vindicavi D. Proſpero. Part. II. cap. 5. fol. 189.

AD 2. Codicem Antverpienſem non eſſe Archetypon ſeu Protographum V. Thomæ, antiquius authographum æri inciſum in Schematiſmo Num. 2. demonſtrat. Vide dicta ad Except. I. §. 1. & 2.

AD 3. Id me non angit. Ego enim Epocham quatuor librorum de Imitatione in annum 1415. repono. Vide part. I. *Deduct. Crit.* Vitæ Thomæ K. fol. 7.

AD 4. Ad hoc reſponſum eſt ſufficienter & convincenter in *Deduct. Crit.* fol. 81. 82. §. 111. 112.

AD 5. Nos illi in Schematiſmo Manuſcriptorum authenticè exhibemus plura æri inciſa.

AD 6. Contrarium vides in Schematiſmo, fol. 1.

AD 7. Contrarium palpas in *Deduct. Crit.* §. 137. fol. 107.

AD 8. Error circa qualitatem perſonæ non inducit errorem circa individuum perſonæ, prout patet ex cauſis matrimonialibus, emptionibus, donationibus, teſtamentis &c. niſi intentio loquentis ſpecialiter ſit alligata ad qualitatem alterius perſonæ, quod in præſenti dici nequit; cum iis temporibus nullus Thomas Præpoſitus & Prælatus Can. Reg. monſtrari poſſit, cui liber de Imitatione tribui poſſit. Cæterùm V. Thomas revera bis Superiorem egit in officio Supprioris, quod æquivalet officio Decani in Congregatione Windesheimenſi. Si nugari luberet, reponerem; Delſavium erraſſe etiam quoad ſubſtantiam, dum exiſtimat, termino

(l) Baſis firma: fol. 82. 83.

no *Prioris* in Ordine Benedictino paſſim non denotari idem, quod denotatur in Congregatione Windesheimenſi ſub termino *Supprioris*. Addo; in Congregatione Windeſimenſi poſſim vocari Præpoſitos, qui curant temporalia & ſpiritualia in Monaſteriis Monialium ejusdem Ordinis, qualis erat S. Joannes Oſterwicanus Martyr.

Ad 9. Confunditur exploſio Delfaviana per ſolenne Inſtrumentum Lovanienſe, quod vide in mea *Deductione Critica*, §. 127. fol. 96. 97.

Ad 10. In reſponſione ad Except. XXI §. 54. convincentiſſimè oſtenſum eſt, Mauburnum non ſolùm fuiſſe coævum, ſed etiam, & quidem in eodem Monaſterio, Synchronum V. Thomæ. Idem proin dicendum de Socio Mauburni.

Ad 11. Ven. Thomas Chronicon ſui Monaſterii proſequitur usque ad annum ſui obitus, videlicet usque ad annum 1471. Continuator hujus Chronici, ejusdem monaſterii religioſus & multis annis confrater Ven. Thomæ, tantùm ſex annos adjungit, finitque in anno 1477. his verbis: *Anno 1477. obiit devotus laicus Albertus Florentii annorum 73., converſatus autem nobiſcum fere 45. annis &c.* Ex his autem verbis conſequitur; continuatorem hunc Chronici vixiſſe cum V. Thoma in eodem monaſterio ad minimum triginta octo annis, ita ut jam anno 1433. ingreſſus fuerit monaſterium S. Agnetis, factusque ſit confrater Ven. Thomæ. Immo non ſolùm anno 1433. hunc continuatorem fuiſſe V. Thomæ confratrem, ſed etiam jam anno 1415. quo V. Thomas librum de Imitatione abſolvit, ingreſſum eſſe Monaſterium S. Agnetis, ex alio ejus textu luculenter oſtenditur. *Anno 1475. inquit, obiit Wilhelmus Brant, annorum fere 75. converſatus eſt nobiscum annis fere ſexaginta.* Jam ſi anni ſexaginta detrahantur ab anno 1475. remanet annus 1415. At verò Delfàvius objicit, quod hic Continuator nullam faciat mentionem libri *de Imitatione.* Errat Delfavius. Continuator enim, ubi de operibus V. Thomæ loquitur utitur *Epithetis*, quæ libros de Imitatione vivis coloribus depingunt, Trithemius contemporaneus, conpatriota, & cum Windesheimenſibus familiaris, ſtatim quindecim abhinc annis ea verba de libro de Imitatione exponit. En verba Continuatoris, per ſexaginta annos commenſalis cum Ven. Thoma. *Eodem anno* (1471), inquit, *obiit prædilectus frater noſter Thomas Hemerken de Kempis anno ætatis ſuæ 92. inveſtitionis ſuæ 63. Sacerdotii ſui 58. Hic ſuſtinuit ab exordio monaſterii magnam penuriam, tentationes, & labores. Scripſit autem Bibliam noſtram totaliter, & alios multos libros pro domo & pro pretio. Inſuper compoſuit varios tractatulos ad ædificatio-*

nem

nem juvenum, in plano & ſimplici ſtylo, ſed prægrandes in ſententia & operis efficacia. Fuit etiam multum amoroſus in paſſione Domini, & mirè conſolativus tentatis & tribultis.

Ad 12. Errat enormiter Delfavius. Non omnes Codices ab uno Codice, non omnes teſtes ab uno teſte, non omnes editiones ex una editione deſcendunt. Reperiebantur ante inventam typographiam ejusdem authoris plura dictata; aliquando reperiebantur ejusdem authoris plura authographa; plerumque verò etiam deficientibus authographis reperiebantur complures teſtes Synchroni authori familiares, & ex iis conteſſeratio teſtium. In noſtro V. Thoma præter duo authographa ultra quinquaginta teſtes Synchronos ab invicem independentes conteſſeratio teſtium continua concurrit.

Ad 13. Contrarium in *Deductione Critica* à me §. 196. usque ad §. 224. demonſtratur ex legibus conbinatoris Bernoulli. Opuſcula genuina V. Thomæ ſufficienter demonſtrant teſtes Synchroni 1.mo Continuator Chronici Montis S. Agnetis per ſexaginta annos commenſalis V. Thomæ. 2.do Mauburnus Religioſus in eodem Monaſterio immediatè poſt mortem V. Thomæ. 3.tio Socius Mauburni. 4.to Philippus Bergomenſis qui trigiota ſeptem annis vixit adhuc vivente V. Thoma. 5.to Trithemius, qui ſcripſit viginti tribus annis poſt mortem V. Thomæ ſui conpatriotæ. 6.to Neumanus author vitæ V. Thomæ, cui multis annis convixit. 7.mo Birckamerus, qui viginti annis poſt mortem V. Thomæ edidit omnia ejus opera. 8.vo Aſcenſius Badius, qui novem annis ante obitum V. Thomæ natus, & inter Windesheimenſes educatus eſt. Neſcio, an major unquam impudentia reperta ſit, vel reperiri poſſit, quàm in dubium revocare Scriptoris celebris ea opera, quæ fuerunt à tot teſtibus Synchronis aſſerta, idque ſine ullo poſitivo argumento vel teſte coævo in oppoſitum. Quod ultimum exceptionis punctum attinet; nullus multorum Librorum Lector, deſcriptor & author ex unico exiguo libello adhuc vix ulli hominum noto ſtylum ſuum, præſertim vitioſum, deſumpſit.

Ad 14. Indubitatum eſt, in omnibus non ſolum ordinibus, ſed etiam ſtatibus extitiſſe devotos. Extitiſſe tamen unquam Congregationem vel Ordinem, cui *antonomaſticè*, per modum proprietatis convertibilis, ſeu prædicabilis *de omni & ſolo*, conveniret Epithetum *Devotorum Congregatio*, præter Congregationem Windesheimenſem, à veritate hiſtorica alienum eſt.

Ad

Ad 15. Marianum ante finem ſæculi decimi quinti vixiſſe, vel octo collationes D. Bonaventuræ tribuiſſe, fabula eſt, quæ documento ullo idoneo probari nequit. Vide in *Deduct. Crit.* §. 42. fol. 18.

Ad 16. Apage fabulas à me in *Deduct. Crit.* §. 42. fol. 18. convictas falſitatis.

Ad 17. Vlimerius à me nunquam allegatur pro teſte, quòd V. Thomas librum de Imitatione tanquam author ſcripſerit: ſed adducitur duntaxat in teſtem, quòd ea Manuſcripta, quæ ex ruinis Monaſterii Agnetiani redemit, propria V. Thomæ manu ſcripta ſint, vide ſuperiùs dicta §. 2. & 8.

Ad 18. Terminus, *compilator*, *compilare librum* ex uſu Scriptorum Sæculi XIII. XIV. XV. ſemper hucusque ſignificavit authorem libri alicujus collecti ex diverſis ſententiis, fragmentis, notitiis, vel luminibus, propriis aut alienis, ſparſim ſine connexione ſcriptis, proprio verò Marte in ordinem digeſtis. Sic etiam idem ipſemet Scriptor, *Hermannus de Ryde*, de quo *Gudenus* ſuperius §. 59. relatus teſtatur, quod ſcripſerit tractatum de vita & honeſtate Clericorum, NB. *collectum* Hallis 1450. necnon quod excopiaverit tractatum olim NB. *compilatum* per Anſelmum Epiſcopum Havelbergenſem, ſcripſit Apologiam *ſui ordinis*, à *Gudeno* relatam, quæ his verbis deſinit: *quorum inſultum ſpeciali apologia deſuper conſcripta &* COMPILATA *coactus ſum refellere.* In fine Operis leguntur hæc verba: COMPILATIO *nova de ſtatu ſtudentium.* Aliud Opus *Gudenus* n. 7. l. cc. recenſet his verbis: *Expliciunt diſtinctiones exemplorum* COMPILATÆ *per Fr. Vindonem* ex diſpoſitione F. Hermanni.

Ad 19. Codicem Aronenſem, mediante vel exeunte Sæculo XV., immo forte ineunte Sæculo XVI. ſcriptum, quod ex Manuſcripto Pollingano gemello in Schematiſmo convincentiſſimè ad oculum demonſtratur, Gerſeniſtis libenter concedimus, ſed iis, qui Gerſeniſtas, prout oportet, à Gerſoniſtis non diſtinguunt. Autographa Kempiſiana, non unum, ſed duo, ante omnium oculos ponimus.

Ad 20. Non jactitamus, ſed in conſpectu ſolis & in præſentia teſtium, in manus digitosque intendentium, ſi nos adire maluerint, exhibemus. Synedrion Pariſienſe, quod in æſtimanda antiquitate Aronenſis Codicis annis centum erravit, veneramur à longè.

Ad 21. Rogamus Religioſiſſimos Gerſeniſtas, ut poſt centum annorum fruſtraneam indaginem antiquioris Manuſcripti præ authographo pro-

tographo Kempiſiano cauſam conformiter ad irrefragabilem regulam Criticam à Magno etiam ipſorum Auguſtino ex continua conteſſeratione teſtium & identitate ſtyli ab orbe condito inter diverſos authores irreperibili definiri patiantur.

Ad 22. Ex eo, quòd Codices Gerſeniſtarum, vel Kempiſianorum incorrupti ſint, ex neutra parte cauſa finita eſt: de antiquitate ſola Codicum quæſtio nunc eſt, de qua in illorum ſolenni Inſtrumento altum ſilentium. Quod enim Codicem Aronenſem & Cavenſem trecentorum annorum anno 1687. judicaverint, nullum profertur Inſtrumentum; nullum præter Dupini & Gerſeniſtarum profertur teſtimonium. Verùm, niſi exponatur humanius eo modo, quem ipſis ex D. Chryſoſtomo monſtravi, ut terminus *trecentorum* ſumatur *incboativè*, erubeſcere potiùs deberent de judicio tam imperito, prout ad oculum patet ex meo Schemate Manuſcriptorum.

Ad 23. Quantæ ineptiæ & petulantiæ intra paucas lineolas! 1.mo *Additionem* Catalogi librorum ſeriùs ad vitam Ven Thomæ à coævo authore bona fide adjectam vocat interpolationem. Quis unquam ſcripſit de vitis Virorum illuſtrium, cujus Biographiæ ſucceſſivè hauſta pleniori notitiâ non acceſſerint additiones de illorum Scriptis? An aliter *Philippo Bergomenſi*, *Tritbemio*, *Bellarmino*, *Labbeo*, *Caveo*, *Marchantio*, *Oudino*, *Baylio*, & centum aliis, ipſique *Mabillonio*, *Pezio* utrique, *Niceronio*, *Calmeto*, *Ceilliero*, *Cerſio*, *Zieglbauero*, & *Legipontio* accidit? Itaque enumeratio ſcriptionum, quæ Biographiæ virorum illuſtrium poſt longiorem indaginem ſerius adjicitur, non interpolatio, ſed additio eſt. 2.do Hunc ſuum errorem Delfavius vel actu advertit, vel advertere facile potuiſſet, ſi mens non læva fuiſſet. Ipſemet enim Delfavius ſcribit: *Numanus anno* 1488. *in Franckentbal profeſſus iſtbæc* (Catalogum librorum V.Thomæ) *anno* 1520. *ſcribere potuit.* Si hæc ſcribere potuit 1520. eoipſo hoc ſcribere potuit per modum additionis, non per modum interpolationis. Si autem ſic fieri potuit, qua Logicâ, quo ratiocinio, qua lege Critica, qua ingenuitate & charitate Chriſtiana Kempiſiano teſtimonio coævo in hac cauſa condeciſivo crimen falſitatis ſeu interpolationis fraudulentæ abſolutè inurere auſus eſt Delfavius? *Interpolatam eſſe*, inquit, *demonſtrat ultima periodus*, *quæ in editionibus Venetis* 1568. & 1576. *deſideratur*, *utpote* NB. *nuper ab quodam malæ fidei homine conſarcinata.* 3.tio Ex eo, quòd iſte Catalogus in editione Veneta 1568. & 1576. omiſſus ſit, non ſolùm non demon-

monſtratur, ſed ne quidem veroſimiliter probatur, eſſe interpolatam vitam V. Thomæ. Editio enim Veneta anno 1568. & 1576. ſine dubio ſecuta eſt anteriores editiones Venetas factas anno 1483. 1486. 1488. 1491. 1500. 1501. 1516. & Mediolanenſem factam 1488. & Florentinam 1493., & Pariſienſes factas 1489. 1491. 1492. & 1500. in quibus omnibus editionibus, prout Dupinus in Differt. de hac cauſa §. IX. & Mettaire Tom. I. fol. 451. 659. 536. 732. Tom. II. fol. 279. teſtantur. *Liber de Imitatione* adſcribitur *Joanni Gerſon* Cancellario Pariſienſi. Cum ergo *recenſio ejus Operum*, prout ipſemet Delfavius adſtruit, primùm circiter anno 1520. ſcribi potuerit, & edita ſit à P. Heſero 1650. Ingolſtadii, hujus recenſionis mentio fieri non poterat in Italia ante annum 1650. Ipſemet Rosweidus *in Vindiciis ſuis Kempenſibus*, editis Antverpiæ 1621. ubi C. 10. ſcribit: *Non licuerat mihi ante in hoc armarium* (vitæ Kempiſianæ) *intrare, cum editio mihi deeſſet, in qua vita illa continetur.* 4.to In editione Ingolſtadiana P. Heseri nec verbum deeſt eorum, quæ continentur in Biographia V. Thomæ Veneta 1568. & 1576. Ea ipſa enim periodus, quæ à Conſtantino Cajetano & Delfavio recenſetur tanquam ultima his verbis: *Item adhuc multa alia plura de vita & converſatione illius audivi à fratribus illius conventus, qui adhuc vivunt*, continetur in medio auctioris vitæ. Non ergo facta eſt interpolatio ſed additio. 5.to Author, qui conteſtatur, ſe in Franckenthal eſſe profeſſum, ſive annum 1488. referat ad tempus ſuæ profeſſionis ſive ad tempus ſcriptionis, ſimul tamen conteſtatur, ſe hunc totum librum ſcripſiſſe. Sic enim librum finit: *Explicit totus Liber iſte. Scriptus per Fratrem Nicolaum Numan de Franckfordia, Profeſſum in majori Franckentael: Anno Domini milleſimo quadringenteſimo octuageſimo octavo; ipſo die S. Gertrudis Virginis.* Ergo hoc teſtimonium de libris V. Thomæ non eſt opus interpolatoris, ſed per additiones continuatoris, & quidem coævi, qui à confratribus V. Thomæ adhuc viventibus ea accepit, quæ ſcripſit. Q. E. D. Vide *Appendicem N. IV.* in qua totam hanc vitam cum Catalogo inſeram.

XLVII. EXCEPTIONES MABILLONII.

§. CX. Poſt Diſſertationem à Delfavio in favorem Gerſonis anno 1671. & 1674. editam Testelletus Canonicus Regularis Pariſienſis anno 1677. reſponſionem ſub titulo : *Vindiciæ Kempenſes*, oppoſuit. Mabillonius eodem anno publicavit tres quaterniones ſub titulo : *Animadverſiones in Vindicias Kempenſes à R. P. Teſtelleto editas.* In his animadvertit ſequentia.

1.mo Anno 1652. cùm ad judicium Senatus Pariſienſis cauſa per RR. PP. Canonicos Regulares traducta fuiſſet, atque agente inprimis Naudæo MSS. Codices Italici, qui Gerſenis partibus patrocinantur, in falſi ſuſpicionem adducti fuiſſent fiduciariæ poſſeſſionis titulo ſententia dicta eſt ſecundùm Kempenſes (m).

2.do Ut tam illiberale falſitatis convitium à noſtris penitus amoveretur, ex Italia poſtulati ſunt Codices illi, advectique in hanc urbem. Tunc ſolenni Inſtrumento non ſolùm viri peritiſſimi ſed etiam Archiepiſcopus Codices Gerſenis comprobarunt, & ab iis falſi ſuſpicionem ſubmoverunt (n).

3.tio Deinde Kempenſibus facta poteſtas, coram iiſdem arbitris exponendi Codices ſuos, ut decretoria ſententia non forenſi more, ſed litterario proferretur (o).

4.to Cum effluxiſſent anni tres, quo tempore controverſia hæc confecta aut certè extincta videbatur, mortuo jam Delfavio (quem ante decem menſes, heu! freti procella abſorbuit) liber prodiit, cui, *Vindiciæ Kempenſes*, titulus eſt, non ſemel vulgatus. Has paucis expendere juvat (p).

5.to Dum Vindicias volvo & revolvo, nullum MS. Codicem invenio ex inferiori Germania huc advectum, nullum prolatum argumentum, quod à ſuis ſæpius recantatum non ſit (q).

6.to His omnibus, ſi ex ordine reſpondere aggrederer, opus longum ſuſcipere mihi incumberet, & locos jam multoties in medium adductos

(m) Edit. Ratisb. fol. 143. (n) fol. 144. (o) fol. eodem. (p) fol. 144. & 145. (q) fol. 146.

ductos iterum repetere. Proinde ad rei cardinem attendere ſatius mihi viſum eſt; id eſt, ad ſolenne Inſtrumentum, quod Delfavius diſſertationis ſuæ fundamentum, præſidium, ac robur ſibi propoſuit, cum cætera, uti appendices, adducat (r).

7.mo Vindex Cauſæ Kempiſianæ negat, *arbitros* (Pariſienſes) *quidquam in hac cauſa definiviſſe, aut de Codicibus Gerſenienſibus pronuntiaſſe quidquam: quos ſi* (illis) *examinare aut vacaſſet aut libuiſſet, facile potuiſſet deprehendi; hos Codices nequidquam Gerſeni adminiculari.* Atqui Archiepiſcopus Pariſienſis teſtatur; *ea omnia, quæ in inſtrumento expoſita ſunt, bona fide, cum maturo ac diligenti examine in ſua præſentia facta eſſe* (s).

8.vo De Codice Padolironenſi ita pronuntiant arbitri (Pariſienſes). *Codex Monaſterii S. Benedicti de Padolirone in papyro præter primum folium membraneum, ſic inſcriptus.* INCIPIT LIBER JOHANNIS GERSENIS PRIMUS DE CONTEMPTU MUNDI ET DE IMITATIONE CHRISTI. *In qua inſcriptione ſana eſt omnino Scriptura in Nomine proprio, & nulla falſi legitima ſuſpicio apparet; neque in ſubſcriptione, quæ in fine Codicis primaria manu exarata eſt hoc modo:* EXPLICIT LIBER QUARTUS JOANNIS GERSEN DE SACRAMENTO EUCHARISTIÆ. *Codex autem videtur ſcriptus ante annos minimum ducentos* (t).

9.no Vindex Kempiſianus hunc Codicem ſic deſcribit; nempe hunc Codicem Naudæo exhibitum Romæ, qui in ejus titulo quandam inverſionem ac præpoſterum ordinem deprehendit; & Rubricam (titulum) magis ſplendentem, ac proinde lituras prioris eujusdam tituli, cui recentior ſuperadditus ſit. Naudæi porro ſententiæ acceſſiſſe D. Floravantes ac Benedictinos duos, Placidum & Johannem. Poſtea Launolum, qui à Benedictinorum partibus tunc temporis ſtabat, idem fere in eodem Codice obſervaſſe, & ſcripſiſſe, eam lituram haud paulum ſupra nomen Gerſen fuiſſe porrectam. — At verò nihil horum Clariſſimos arbitros (Pariſienſes) à pronuntianda ſententia deterruit, quin incunctanter aſſererent, in Codicis Padolironenſis inſcriptione ac ſubſcriptione nullam falſi legitimam ſuſpicionem apparere (u).

10.mo Oculatiſſimus Launoius allata à Naudæo falſitatis indicia in Codice Padolironenſi non deprehendit (x).

(r) fol. 147. (s) fol. 148, 149. 150. (t) fol. 151. (u) fol. 152, 153. 154. 155. (x) fol. 156.

11.mo Fateor; in Codice Padolironenſi extitiſſe, atque hactenus extare Joannis Gerſonis Epitaphium (y). In primò folio vacuo Epitaphium iſtud comparet añis amplius centum à ſcripto Codice adjectum (z). Gerſonis Galli Epitaphium neſcio quis Johanni Gerſeni tribuit, & pro *Cancellarius Cumſolarius* ſcribit (a).

12.mo In nomine Johannis nubecula quædam apparet, non in nomine Gerſen, ut optimè Launoius advertit — quem Epitaphii ſcriptor non alium à Joanne Gerſene fuiſſe falsò opinatus eſt (b).

13.tio Porro hæc litura, ſiquidem vera eſt Naudæi divinatio, inde mihi accidiſſe videtur, quòd cum Notarius nomen Johannis malè primè ſcribere adorſus eſſet hoc pacto *Ibo*, id continuo tantiſper deletum ſplendidiori rubrica emendare curavit (c).

14.to Vindex Kempiſianus comminiſcitur etiam Codicem Sluſianenſem & Aronenſem conſimiliter, ſicut Padolironenſem, per iñutationem litterulæ *O* in *E*, corruptos, ſicque *Gerſon* in *Gerſen* mutatum eſſe. Sed hoc dici nequit; quia hi duo Codices ante ortum controverſiæ nunquam fuerunt in manibus Benedictinorum, ſed talium virorum, qui ab omni ſuſpicione falſitatis liberi ſunt, videlicet Cardinalis Sluſii, & Jeſuitarum Aronenſium, à quibus illum hactenus (1677.) impetrare non potuimus (d).

15.to In his tribus Codicibus (Padolironenſi, Sluſiano & Aronenſi) conſiſtere ſatius duxi, ne in longum protraherentur animadverſiones meæ. Et ſane Codices illi tres dirimendæ controverſiæ ſufficiunt (e).

16.to Si alicubi terrarum extet Codex ante annum 1441. à Venerabili Thoma, aliove quopiam exaratus, atque prima Thomæ ipſi manu adſcriptus, hunc vel ſero proferant, & agitatæ tot modis controverſiæ ſic tandem finem imponant (f).

RESPONSIO.

§. CXI. **A**D 1. Placet; quod Mabillonius agnoſcat ſolennem pro V. Thoma *in cauſa poſſeſſionis* usque ad annum 1652. à Senatu Pariſienſi ſententiam. Epithetum tamen *fiduciariæ* EX CEREBRO ET VOTO SUO addidit. Teſte enim Dupino in Diſſ. circa hanc controverſiam §. 1. V. Le

(y) fol. 157. (z) 160. (a) fol. 161. (b) fol. eod. & 162. (c) fol. eodem. (d) fol. 163. 164. 165. 166. (e) fol. 167. (f) fol. 172.

Le Sieur Naudé. vi ſententiæ fuit abſolutè prohibita ulterior editio libri de Imitatione ſub nomine *Joannis Gerſen* Abbatis Vercellenſis; econtra verò indulta fuit permiſſio edendi librum ſub nomine Thomæ Kempenſis. Hinc evicto iſto Proceſſu circa editionem libri de Imitatione ſub titulo Thomæ Kempenſis, P. Desnos Canonicus Regularis ſtatim edidit librum ſub titulo: *Le Triompbe de Thomas à Kempis* &c.

Ad 2. adverto; Mabillonium in his ſuis animadverſionibus uti modo loquendi verſatili in duplicem ſenſum, proniore tamen ad ingenerandum incautis lectoribus ſenſum erroneum. *Ex Italia*, inquit, *advecti ſunt in hanc urbem* (Pariſienſem) *Codices illi*, (à Kempiſianis in ſuſpicionem corruptionis tracti). *Tunc ſolenni inſtrumento non ſolum viri peritiſſimi ſed etiam Archiepiſcopus* (Harley) *Codices Gerſenis comprobarunt.* Qui hæc legerit, *exiſtimabit* 1.mo Codices omnes, quorum in Inſtrumento fit mentio, in illo cœtu virorum Eruditorum Pariſienſium viſos, accuratè examinatos, & ab omni corrupione immunes judicatos fuiſſe. Et tamen ipſomet Mabillonio teſte (g) nunquam à Jeſuitis Aronenſibus impetrari potuit, ut Codex ille Pariſios mitteretur. *Exiſtimabit* 2.do ab Eruditis illis Aronenſem Codicem trecentorum annorum judicatum fuiſſe. Et tamen certum eſt, de antiquitate Codicis judicari non poſſe, niſi inſpecto ipſo Originali ipſius Manuſcripti, vel Ectypo illius authentico. *Exiſtimabit* 3.tio Codicem Aronenſem planè eſſe incorruptum, dum in rubrica primi Capituli nomen *Gerſen* (h) exprimi contendit; & tamen ex Ectypo authentico, quod meæ deductioni Criticæ fol. 74. §. 107. inſerui, evidenter patet, nomen *Gerſen* tantùm ſemel, videlicet in fine libri reperiri. In omnibus aliis illius Codicis locis legitur *Geſen* ac *Geſſen*, quod nomen juxta Hieronymum de nominibus hebraicis *advenam*, ſeu *peregrinum* ſignificat, & à Gerſone in ſuis ſubſcriptionibus familiariter uſurpatur. *Exiſtimabit* 4.to Examen illud Pariſienſium circa MSS. duodecim Codices & Inſtrumentum Aronenſe ſolertiſſimè fuiſſe inſtitutum. Ex actis tamen patet, vix unam alteramve horam non tam ad inveſtigandam corruptionem Gerſenianorum Codicum, quàm ad inveſtigandas ac calumniandas variationes Authographi Kempenſis fuiſſe impenſam. Id enim non obſcurè inſinuat Du Freſne in ſua chartula (i) excuſatoria & ſuppletoria abſentiæ. *Cum*, inquit,

(g) Vide §. VI. Animadverſ. fol. 165. (h) fol. 34. (i) fol. 36.

inquit, *delectus fuiſſem ad examinandos Codices MSS. nec hora indicta adeſſe potuiſſem*, *&c.* ſi plures dies vel horæ impenſæ fuiſſent, dicere debuiſſet, *diebus*, *vel horis indictis* Dixi. *calumniandus*. Num enim author in Exemplari reſervato in uſum proprium non habet poteſtatem variandi, abbreviandi, omittendi, & colloquia inter Chriſtum & animam, quæ reperiuntur in libro tertio, pro ſua conſolatione per modum conſiderationis poſt Miſſam ſubjungendi, ac conſequenter Librum III. poſt librum de Sacramento Altaris collocandi? Certè idipſum olim in more habui. *Exiſtimabit 5.to* in Codice Padolironenſi nullam omnino reperiri anſam prudenter ſuſpicandi corruptionem; & tamen eam rationem ſuſpicandi non ſolùm Eruditi illi Pariſienſes ipſimet, quamvis pro ſua humanitate leniſſimè, tangunt, & Launoius, ad quem nos ipſemet Mabillonius tanquam ad ſupremum cauſæ Gerſenianæ Hyperaſpiſten remittit, ante omnium oculos ponit. Eruditi Pariſienſes hac ſtudiosè exquiſita loquendi formula utuntur: *In inſcriptione* (incipit Liber Johannis Gerſen) *ſana eſt omnino Scriptura in Nomine proprio*; hoc eſt, quoad agnomen *Gerſen*. Sed quoad nomen baptiſmale Johannis nullam interveniſſe corruptionem, negare non audent. Certè Launoius in ſua prima defenſione Gallica Gerſenis, quam Mabillonius ſuis animadverſionibus ſubjungit, ſic ſcribit (k): „Tria obſervavi in titulo hujus „libri (Padolironenſis). *Primò*, quòd hæc verba: *Liber Johannis* „*Gerſen primus*, ſcripta fuerint colore rubro aliquantulum vivaciore „(tant ſoit peu plus reluiſant) quàm cætera. *Secundò*, quòd illa pa„pyri linea, in qua ſcripta reperiuntur illa verba: *Incipit Liber Jo*„*hannis Gerſen primus*, fuerit coloris aliquantulum fuſci (un peu „brunie) quæ fuſcitas ſe extendebat ſupra lineam. Credo, id conti„giſſe ob errorem Copiſtæ, qui cum male formaſſet prima verba pri„mæ lineæ, ea digito deleverit, ſicque ſupra lineam eam (fuſcitatem) „extenderit; cum autem id fieri nequiverit, quin aliqua macula rema„neret in papyro, ibi reincepit ſcribere id, quod nunc legimus. Quid„quid autem ſit, certitudinaliter dici nequit, quid illud fuerit, quod „Copiſta primò ſcripſerat. *Tertiò*, quòd illa fuſcitas & maculatio, „qualiscunque demum ſit, ſatis latè ſe extendat ſupra verbum de Ger„ſen (va bien au deſſus du mot de Gerſen) ſed non ſe porrigat infra „illud verbum, ita ut non appareat in illo verbo deciſivo ulla mutatio

„vel

(k) Vide fol. 184.

„ vel alteratio. Character hujus nominis *Gerſen* idem eſt, quo Scriptor „ in toto libro uſus eſt. Hucusque Launoius in ſcripto juxta Mabillo„ nium edito anno 1652. „ Idem in fuſo tractatu *de Authore libri de Imitatione* (1) C. 2. recenſet ex Naudæo illam mutationem ex *Iho* in *Job.* notabiliter diverſo modo, in quo nullam falſitatem obſervat. „ Aſſumpto in manus Codice conſideravi primùm in ejus titulo verbo„ rum quandam inverſionem & præpoſterum Ordinem, ſcilicet: Incipit „ Liber Johannis Gerſen primus. Mox deprehendi lituras prioris cujus„ dam atque vetuſtioris tituli, cujus veſtigia nonnulla, veluti *Iho* & „ alias litteras dimidiatas recentior ſuperadditus titulus non bene te„ gere potuerat. Apparebant enim ſtatim attentiùs conſideranti. Ne„ que dici poterat, eas eſſe expreſſa ſigna aliarum litterarum, quæ „ in ejusdem folii adverſa parte continebantur; quia poſtea Dominus „ *Floraventes* & ipſimet Patres Benedictini eas acumine ſtyli perfo„ rantes diverſitatem animadverterunt. Denique verba illa: *Liber Jo*„ *annis Gerſen primus*, erant multo magis ſplendenti rubrica exarata, „ quam ſequentia hæc: *de contemptu mundi & Imitatione Chriſti*, ut „ vel illâ ſolâ differentiâ rubricæ ſeu minii fraus illa patere vel cœco „ potuiſſet; ut mittam multa alia ſigna in illo titulo reperiri, quæ frau„ dis ſuſpicionem ſtatim injiciunt, non unâ Gerſon in Gerſen, ſed to„ tius tituli mutatione, ne Cancellarii vox relicta, vel quædam alia, quæ „ ad Gerſen minime pertinere poterat, fraudi detegendæ occaſionem „ aperiret. Secus enim poterat commodiſſime littera *o* nominis Gerſon „ in litteram *e* quæ Gerſen efficit, commutari eodem prorſus modo, „ quo ſub finem ejusdem Codicis factum eſt in illis verbis: *Explicit Li*„ *ber quartus Joannis Gerſen de Sacramento Altaris.* Ita Naudæus „ apud Launoium. „ Ex his, nempe tam ex narratione Naudæi in ſupremo Senatu Pariſienſi in cauſa calumniæ quoad falſam narrationem circa corruptionem Manuſcriptorum triumphantis, quam ex ipſa confeſſione Launoii patet 1.mo mutationem circa nomen authoris factam eſſe. 2.do prius nomen *Iho* expunctum eſſe. 3.tio Iho facilius ſubrogari verbo *Thomæ* alîs in *Tav* decurtatîs, quam Johanni. Non enim Scriptorum unquam ullus *Johannem* ſcripturus *Jhoannem* peperit. 4.to Poſito etiam, talem errorem contigiſſe, non dari rationem obviam, ex qua opus

(1) Extat in editione omnium Operum Launoii Tom. IV. part. 2. fol. 41.

opus fuiſſet expunctione totius lineæ: aut, cum titulus hujus Codicis nunc Minio colore rubro ſcriptus ſit, unde proveniat color fuſcus in papyro ex deletione rubri; aut, ſi error ſolùm in Iho, & non in toto titulo conſtitit, unde neceſſitas veniat ſcribendi *Gerſen* ſupra lineam. Econtra ſi ſcriptum fuiſſet *Thomæ Kempenſis*, vel *Thomæ Malleoli*, vel *Gerſonis Cancellarii*, hoc extincto, cùm nulla pars papyri ſupereſſet in linea, niſi maculata, locus immaculatus ſupra lineam pro Gerſene quærendus erat eo tempore, quo in Italia jam paſſim nomen Gerſonis ſcribebatur per *Gerſen*. Si hæc omnia conſiderentur; an non exclamare liceat cum D. Auguſtino (m): *O infelix aſtutia! tantumne deſeris moderationem conſilii, ut tot inter rationes dubitandi etiam recuſes ſine aſſertione hæſitantibus ſuſpicandi licentiam!*

Ad 3. & 4. Recte noſtri recuſarunt compromiſſum nomine omnium nationum in *decretoriam ſententiam* arbitrorum unilateralium, electorum ſolùm ab una parte litigantium, præcipitantium poſt horarium vel bihorarium examen tredecim Manuſcriptorum in abſentia partis adverſæ ſententiam, atque in dijudicanda ætate Manuſcriptorum Sæculi XV. tam parum verſatorum, ut in æſtimanda ætate Codicis Aronenſis integro ſæculo erraſſe ex Manuſcripto Pollingano illi ſimillimo convincantur ad oculum (n). Hinc rectius egit Testelletus, omni feſtinatione ſepoſita premens ſuum Reſponſum in annum tertium.

Ad 5. An Mabillonius prius ſe ſomno, ſomniisque permiſit, antequam hæc ſcriberet? Oſtendant Gerſeniſtæ, ubi prius ante Testelletum retecti fuerint uberrimi fontes, ex quibus hauſit V. Thomas? Nemo prius vel guttulam propinavit ſuis Lectoribus. Ne hæc nudis jactare videar verbis, infra illos etiam Germaniæ, Italiæ, aliisque extra Galliam regionibus aperiam.

Ad 6. Quod ad rei cardinem ſe conſtringat, laudo prudens judicium Mabillonii. Utinam in hoc illum imitati eſſent Gerſeniſtæ cæteri!

Ad 7. Manifeſtum eſt, Archiepiſcopum & Eruditos Pariſienſes nil definiiſſe *in cauſa*, ſed in mera quæſtione facti, an producti à Gerſeniſtis

(m) Serm. in Pſal. 63. v. 7.
(n) Vide Schema MSS.

ſtis Manuſcripti Codices *tertia falſarii manu* corrupti eſſent? An verè prima Copiſtæ manus vel ex erronea opinione præconcepta circa authorem errorem ſolius calami, vel jam completo opere ex aliorum ſuaſione in Codice ſuum ſcriptum correxerit, plane definire nec volebant, nec per examen tàm volatile unius alteriusve horæ prudenter poterant.

Ad 8. 9. 10. 11. 12. 13. & 14. dico. Corruptionem hujus Codicis quoad ipſum nomen proprium *Gerſenis*, quamvis ſuſpicioni obnoxiá ſit, non tamen eſſe demonſtratam. Quia tamen in eodem Codice reperitur Epitaphium Gerſonis Cancellarii, ſub nomine *Gerſenis* ex traditione ſynchrona Gerſonem Cancellarium intellectum fuiſſe præſumi poteſt, & conſequenter oppoſitum determinatè nullo alio argumento moraliter certo comparente affirmari nequit.

Ad 15. De Padolironenſi conſtat ex dictis, non conſtare de credulitate Scriptoris in favorem Gerſenis diſtincti à Gerſone Cancellario. De Codice Scluſiano pariter aliud non conſtat, nec de Aronenſi. Ætas horum trium Codicum medium Sæculi XV. non excedit, prout oſtenditur ad oculum in Schematiſmo horum Manuſcriptorum. Non ergo ex his tribus Codicibus tanquam teſtibus junioribus & æquivocis & ambiguis evertitur moralis certitudo Kempiſiana fundata in plus quàm 70. teſtibus coævis & in trecentis Idiotiſmis ſtyli contingenter non reperibilis in duobus diverſis Scriptoribus.

XLVIII.
EXCEPTIONES
NOVI GERSENISTÆ RATISBONENSIS
editæ 1762.

§. CXII Gerſeniſtæ Ratisbonenſi Anonymo, ne *Deductionem* meam *Criticam* ſine omni reſponſo dimitteret, viſum eſt, opponere Diſſertationem Delfavii, & Animadverſiones Mabillonii jam ferme ante centum annos editas, quibus hucusque vim omnem, quæ Morali certitudini Kempiſianæ vel hilum detrahere poſſit, penitus ademi. Reſtant præſumptiones variæ, quas Gerſeniſta Ratisbonenſis maxima parte ex

anterioribus Gerſeniſtis collectas, de novo inſtaurat. Diſcutiam breviter ſingulas; ſtatuam cuivis ſuum gradum probabilitatis, monſtrabo, omnium ſummam non evehi ultra vires meræ præſumptionis fallibilis: quam proin ex conſenſu omnium Philoſophorum & Legisperitorum jubebo cedere veritati Kempiſianæ ex teſtimonio ſeptuaginta partim Synchronorum, authori etiam familiarium, partim coævorum teſtium, & ex trecentis Idiotiſmis ſtyli, nusquam in duobus diverſis authoribus reperibilis, liquidò demonſtratæ.

1. Vulgaris opinio obtinuit, quod Codex per manum fratris Thomæ à Kempis anno 1441. finitus, ſit authoris authographum. (o)

2. Inventa ſunt Manuſcripta *de Imitatione* antiquiora illo authographo Kempiſiano de anno 1441. (p)

3. Probandum eſt, à Thoma K. librum de Imit. anno 1413. 1414. vel 1415. ſcriptum eſſe. (q)

4. Editio Norimbergenſis 1494 libellos de Imitatione Thomæ K. quidem tribuit, addita tamen nota, quod *hactenus* Johanni Gerſoni *adſcripti fuerint*. (r)

4. Amortius comminiſcitur: Thomam K. libellum de Imit. ſcripſiſſe anno 1415. Quo teſtimonio id probabit? Gerſeniſtæ teſtimonium jure exigunt. (s)

6. Amortius ſcribit; notitia libelli de Imitatione pervolare poterat in orbem tempore Concilii Conſtantienſis. Ergo etiam volavit? Quale fundamentum. (t)

7. Liber de Imitatione jam reperitur Manuſcriptus in diverſis provinciis Germaniæ ab anno 1417. Windesheimenſes tot Manuſcripta Exemplaria ſecum Conſtantiam deferre non poterant, ut publicari liber poſſet. (u)

8. Si Windesheimenſes ad Concilium Conſtantienſe delegati ſecum primam attulerunt libri de Imitatione notitiam, cur non ſimul publicarunt ejus authorem? (x)

9. Si eo tempore à Windesheimenſibus prima vice invecta eſt hujus libri notitia, unde provenit, quod in ipſo authographo Kempiſiano ſcripto 1441. reperiatur inverſus ordo libri tertii & quarti? (y)

10. Si

(o) Baſis firma. fol. 189. (p) fol. 189. (q) fol 190. 191. (r) 189. (s) fol. 191. (t) fol. eodem, & 192. (u) fol. 193. 194. (x) fol. 193. (y) fol. 194.

10. Si ex Windesheimenſibus veniret prima divulgatio libri, Itali non habuiſſent anſam, illum adſcribendi Gerſoni Cancellario, vel Gerſeni Abbati. (z)

11. Quærit, quomodo intelligendum; *plerosque*, & *omnium*? (a)

12. Codex Allatianus non inſignitur nota anni 1448. (b)

13. Amortius confundit Codicem Padolironenſem cum Scluſiano. Neuter habet notam characteriſticam anni. (c)

14. Si judice Amortio ſaltem prudens dubium & prudens præſumptio contra Kempiſium formari poteſt, quomodo aſſeverare non liceat, extare Codices ante Epocham Kempiſianam? (d)

15. Judicium Pariſienſium Eruditorum anno 1671. & 1687. editum, quod Codex Aronenſis & Bobienſis non ſint inferiores trecentis annis, eſt ad minimum probabile. Ergo non eſt moraliter certum, Thomam K., qui natus eſt 1379. Libri eſſe Authorem. (e)

16. Gerſon in Concilio Conſtantienſi cauſam Windesheimenſium contra Matthæum Grabon non defendit. (f)

17. Poſſibile, veroſimile, & maxime probabile videtur, quod notitia libri de Imit. ob decretam in Concilio Conſtantienſi & Baſileenſi Ordinum reformationem ex Italia in Germaniam venerit. (g)

18. Amortius ſcribit, quod quatuor Sacerdotes cum quatuor Clericis profeſſionem emiſerint. Contrarium habetur pag. 21. C. 5. (h)

19. Amortius erroneè ſcribit, quod Thomas K. 1422. iterum Supprior factus ſit. (i)

20. Quomodo Thomas Kempenſis anno 1415. adhuc juvenis admonitiones ſpirituales ſuis confratribus adſcribere, illosque inſtruere auſus fuiſſet? (k)

21. Poteſt dubitari an Clerici in Monte S. Agnetis ſtatim à Monaſterii conſtructione fuerint Canonici Regulares? Ratio dubitandi eſt, quia id non legitur. (l)

22. Plura, quæ continentur in libro de Imitatione, non conveniunt Thomæ Kempenſi, & ſtatui religioſo. *Primò*, ſi verè fuiſſet religioſus ſtatus in Monte S. Agnetis, cur dicit, quod ſe ſponte voto obſtrin-

(z) fol. 193. (a) fol. 194. 195 (b) fol. 195. (c) ibidem. (d) fol. 196. (e) à fol. 196. 197. — usque ad fol. 226. 227. (f) fol 227. — usque ad 233. (g) fol. eod. & 234. 235 236 237 (h) fol. eod. & 238. (i) 238. 239. (k) fol. eod. & 240. 241. (l) fol. eod. & 242. 243.

ſtrinxerit, ne retro abiret (m). *Secundò.* Author libri ſuos excitat ad vitam monachalem non ad Canonicam: commendat magnum rigorem monachorum, non moderationem Canonicorum, quam tamen ex præſcripto Gerardi M. protoparentis ſectabantur Windesheimenſes, ita ut à ſuis Candidatis exquirerent an poſſint bene comedere & bene dormire? (n) *Tertiò*, Auhor libri de Imitatione non affirmat generalem ſuo tempore omnium Ordinum diſſolutionem. (o)

RESPONSIO

Ad Exceptiones ſub Num. XLVIII.

§. CXIII. AD 1. Quod Codex ille ſit V. Thomæ *authographum* hactenus nullus hominum, ne quidem Gerſeniſtarum, negavit unquam. Quòd verò non ſit ejus *protographum*, aliud ejus *antiquius* authographum in Schematiſmo Num. 3. demonſtrat. Vide *Reſp.* ad *Except. I.*

AD 2. Sed non antiquiora Protographo Kempiſiano ſcripto anno 1414. vel 1415. Vide *Reſp. ad Except. II. Mabillonii*, & ad *Except. I. Delſavii.*

AD 3. Non nobis incumbit neceſſitas probandi, his annis librum *ſcriptum eſſe*, ſed ſufficit; librum his annis *potuiſſe ſcribi* congruenter ad circumſtantias temporum. Ubi enim de rei ſubſtantia conſtat, ſufficit monſtrare poſſibilitatem & congruentiam circa modum. Econtra illis, qui adſtruunt impoſſibilitatem facti, incumbit probatio, *nullo modo* veroſimiliorem fieri potuiſſe.

AD 4. Errat, & neceſſaria ſcitu reticet Gerſeniſta Ratisb. Editio Norimbergenſis non loquitur de fama præterita, ſed de præſenti, eaque ſolùm hominum *vulgarium.* Sic enim textus Biblipolæ ſonat: *Dulciſſimi ac Divi Thomæ de Kempis* (ante viginti tres annos mortui) *Viri piiſſimi, religioſiſſimique, de Imitatione Chriſti Opus, quod* FALSO *apud vulgares Gerſoni Pariſienſi Cancellario impingitur.*

AD 5. Non jure id exigunt. Quando enim de ſubſtantia rei, ac de hominis facto conſtat, modus & tempus in circumſtantias & annos habi-

(m) fol. 244 245. (n) fol. 246. 247. 248. 249. 250. 251.
(o) fol. 252. 253. 254. 255. 257. 258. 259. 260.

habiles ſine alio peculiari teſtimonio referri poſſunt & debent. Sic leges Criticæ jubent: ſic millies practicarunt ipſimet Benedictini Galliæ in editione vel recenſione Operum SS. Patrum, v.g. *Delfau*, & *Ceillier*. Quandocunque enim de Libro, Tractatu, vel Opere, cujus Scriptoris ſit, aliunde conſtat per teſtes coævos, accedente conformitate ſtyli, conſtanter libros, Tractatus, vel Opuſcula ejusmodi meritò ſine peculiari teſte in locum & annum habilem collocant; quin ullus etiam imperitiſſimus illis exprobret, quod *comminiſcantur* locum vel annum ſcriptionis. Vide *Reſp. ad Except.* 3. Gerſeniſtæ Ratisb. Quod ſi etiam opus foret ſpeciali teſtimonio circa modum & circumſtantias actorum, de quorum veritate conſtat quoad ſubſtantiam, meminiſſe decuerat Gerſeniſtam Ratisb. luculenti teſtimonii, editi à Trithemio Benedictino, teſte non ſolùm coævo, ſed etiam Synchrono. Is enim in Opere de Scriptoribus Eccleſiaſticis expreſsè teſtatur, quod Thomas Kempenſis jam claruerit ſub Ruperto Rege ſeu Imperatore Romano, qui imperio præfuit ab anno 1410. usque ad annum 1420. Nullus autem Scriptorum claruiſſe dicitur tempore inhabili ad ſcribendum vel inclareſcendum. *Thomas de Kempis*, inquit, *claruit temporibus* (hoc eſt, intra decennium) *Ruperti Bavari Regis Romanorum* (electi) 1410. Non ergo ratione caret, Thomam ſcripſiſſe in medio hujus decennii 1415. anno ætatis ſuæ 35., in qua ætate etiam Delfavius ſcripſit audacter contra Kempiſium, & alia, quæ luit exilio.

Ad 6. Gerſeniſta Ratisb. denuò petit fundamentum circa modum ac circumſtantiam facti quoad ſubſtantiam demonſtrati. Remitto illum ad principia *Artis Criticæ* præſtabilita, ubi §. 26. ſic habetur: *Rectè faciunt, qui in rebus hiſtoricis certitudine morali ſemel demonſtratis ad præſumptiones oppoſitas meram poſſibilitatem contrarii reponunt.* Itaque vi hujus principii ſufficit, notitiam libelli Kempiſiani, anno 1414. vel 1415. ſcripti, ſequenti triennio per familiarem communicationem Patrum Concilii Conſtantienſis *potuiſſe* vagari in orbem. Accedit, quod Martinus V. per Bullam *Recogitantibus*, editam anno 1421. ordinaverit viſitationem & reformationem omnium Monaſteriorum in Germania. Viſitatio illa peracta eſt per Cardinalem *de Branda*, tanquam delegatum Sedis Apoſtolicæ, qui in Viſitatores aſſumpſit Religioſos partim ex OrdineBenedictino partim ex Ordine Canonicorum Regularium Auſtriæ, Bavariæ, Sueviæ, Franconiæ &c. inter quos etiam erat Petrus de Roſeham &c. Monachus Monaſterii Mellicenſis Ord. S. Benedicti, Diœceſis Pata-

vien.

vienſis pro Diœceſi Friſingenſi cum Joanne Decano Undenſi, Canonico Regulari. An occaſio opportuna defuit, librum de Imitatione, pro renovatione ſpiritus in religioſis valde oportunum, ex Codice Mellicenſi eodem anno 1421 prout aſſeritur, ſcripti, in generali viſitatione commendandi, Monaſteriis ſuperioris Germaniæ? Verbô. Poſſibilis, facilis, & conveniens erat velox propagatio libri de Imitatione. Sola ejusmodi poſſibilitas facti, quoad ſubſtantiam aliunde demonſtrati, ſufficit.

Ad 7. ab anno 1417. usque ad annum 1421. allegatur unicus, nempe Weingartenſis. Ab anno 1421. usque ad annum 1433. allegantur ſolùm duo, nempe Mellicenſis 1421. & Kircheimenſis 1425. Propagatio tantilla mira non eſt, mirum autem foret per duo ſæcula usque in tempora illa generale ſilentium, ſi tam utilis liber præexſtitiſſet jam 1220. tempore S. Franciſci.

Ad 8. Ratio in promptu eſt. Leges prudentiæ in authore & in ejus Superioribus obſtitêre, ne ante generalem approbationem palam omnibus publicaretur authoris nomen in Libro I. C. 18. conclamantis contra relaxationem & abuſus omnium Ordinum, ſolo Ordine Carthuſienſium & Ciſtercienſium excepto. Ipſimet Benedictini in ſuo Ordine obſervare poſſunt, quid vera ſcribentibus proſit incauta ulcerum contrectatio. *Delfavius*, quamvis tecto nomine in libro, cui titulus: *L' Abbê Commendataire*, retegeret abuſus Abbatum Commendatitiorum, præmaturè tamen à D. *Tixiero* retectus in exilium pulſus eſt, in quo tandem undis ſubmerſus obiit. Quid non Trithemius, Mabillonius, Legipontius, Ziegelbauerus apertioris veritatis causâ paſſi? Kempiſii modeſtia & prudentia, ut veritas inveniret facilem ſub ſchemate *peregrini*, *Advenæ*, ſeu *Gerſonis* quod *exulem* juxta D. Hieronymum de Nom. Hebr. ſignificat, apud omnes aditum, inter anonymos latere maluit. Nec aſſero; à Windeshelmenſibus ad Concilium Conſtantienſe Delegatis publicatum eſſe authorem; ſed fieri potuiſſe, ut ex uno Exemplari, quod ſecum detulerant, fierent duæ Copiæ per annos ſingulos multiplicandæ in ratione dupla temporum.

Ad 9. Idipſum ſignum eſt, V. Thomam uſum eſſe libertate potius authoris: quam ſervili conditione Copiſtæ. Immo poteſt inverti argumentum. V. Thomas, ſicut in Reſponſione ad *Except. I.* oſtenſum eſt, librum de altaris Sacramento in ſuo primo, ſeu prothographo Exemplari ultimo loco; tertium verò ſecundo loco poſuit. Id auſus non foret Copiſta. Variatio illa diverſiſſimis modis eſt certum ſignum, librum

nec-

necdum habuiſſe ſtatum fixum, ac proin fuiſſe eo tempore novum. Nec inconveniens erat ea mutatio. Familiaria enim colloquia cum Chriſto aptius S. Communioni ſubjunguntur, quam præmittuntur. ipſus memini me olim in junioribus annis his colloquiis tertii libri poſt S. Communionem uſum eſſe.

AD 10. Liber de Imitatione primis triginta annis, ſi tria vel quatuor *privatarum* perſonarum Kempiſio propius familiarium exemplaria excipiantur, erat Anonymus. Relinquebatur proin conjecturæ de genuino authore locus in publico.

AD 11. τὸ *plerosque* refertur ad omnes Codices ſignatos nota characteriſtica temporis. τὸ *omnium* refertur ad Codices cæteros etiam non ſignatos nota characteriſtica temporis.

AD 12. Miſerabile effugium! Teſte Dupino, conaſſeſſore in Synedrio Pariſienſi, §. 12. V. *la Sixieme*, in eodem Codice, eodem charactere cum libro de Imitatione, reperitur Bulla Pontificia data anno 1448.

AD 13. Confundo eos Codices in ætate Codicum, de qua ſolùm ibi quæſtio & ſermo erat. Codicem Padolironenſem, vulgò Mantuanum, à loci vicinia ſic dictum, fuiſſe ſcriptum ante annum 1471. probari nequit. Ipſimet enim Eruditi Pariſienſes longiùs eum protrahere non audent. *Codex*; inquiunt, anno 1671., *videtur ſcriptus antè annos minimùm ducentos*. V. fol. 33. De Codice Scluſiano iidem Eruditi Pariſienſes eodem anno 1671. eodem modo teſtantur: *Fidem facimus, viſum à nobis Codicem papyraceum ab annis minimum ducentis manu exaratum*. fol. 39.

AD 14. Quod ſeorſim eſt probabile præcisè *aſſeverari* nequit. Hic enim terminus, *aſſeverare certitudinem* aſſerti ſignificat. Dein quod ſeorſim eſt probabile, non manet comparativè probabile in concurſu veritatis moraliter certæ; & omnis præſumptio cedit veritati, ac morali certitudini oppoſitæ demonſtratæ.

AD 15. Quid ambage verborum opus? Judicium Eruditorum Pariſienſium circa Codicem Aronenſem enormiter erraſſe, non ſolùm moraliter, ſed etiam phyſicè certum eſt. Moralem certitudinem ſufficienter efficiunt Eruditi Romani, & Mediolanenſes, certe criſi, lectione, & judicio Pariſienſibus non inferiores. Phyſicam autem certitudinem demonſtrat ad oculum Manuſcriptum Pollinganum Sæculi XVI. Aronenſi ſimillimum, cujus exhibemus ſpecimen. Compromittimus in quoscunque

Benedictinorum & Pariſienſium Delegatos, in Manuſcriptis Sæculi XIV. XV. & XVI. verſatos, ſi inter Manuſcriptum Aronenſe, & Pollingamum Sæculi XVI. ipſis Monachii in conſeſſu tam ipſorum quàm aliorum Eruditorum exhibendum, ſi congreſſum deciſivum modo debito petant. Quod ſi nullum notabile diſcrimen reperiant, ſileant tandem de jactata antiquitate Codicis Aronenſis. Quid honeſtius? Quod Manuſcriptum Bobiense attinet, Dupinus §. 12. V. *Le Second*, teſtatur; ſe præſente Eruditos Pariſienſes judicaſſe, illud eſſe ejusdem ætatis ac Aronenſe. Si ergo in dijudicanda Codicis Aronenſis ætate Pariſienſes integro Sæculo aberrarunt, paris erroris etiam judicium de iſto convincitur, ac conſequenter manifeſtum eſt, ſcripturam Codicis Bobienſis non minus, quam Aronenſis, pertinere ad medium, vel ſequentes annos Sæculi. Ut certius redderem Publicum, petiit meus RR. Præſul per amicos, ut ille Codex noſtris impenſis deferretur Ticinum vel Mediolanum pro conficiendo per Notarium de forma Sciptura Inſtrumento. Mille excuſationes prætenderunt Bobienſes. Adeo ſuæ cauſæ diffidunt. Accedit, quod eodem Dupino teſte in tribus primis Codicis Bobienſis libris, ne quidem nomen Gerſenis reperiatur, ſed tantùm initio quarti libri his verbis: *Incipit Liber Joannis Gerſen: cum quanta reverentia & devotione Sacratiſſimum Dominicum Corpus &c. ſit ſumendum* (p). Ad finem quarti libri additur: *Explicit. Deo laus & Beatiſſima Mariæ Virgini*. Denique in eodem libro additur in fine pius Tractatus, cujus hoc eſt initium: *Quoniam chariſſime & hujus miſerabilis vitæ fugientis ærumnoſa via &c.* Hucusque Dupinus.

Ad 16. Condoleo miſerrimæ ſorti Gerſeniſtæ Ratisbonenſis; inprimis, quod Chronicon Windesheimenſe tam ſerò in ejus manus venerit. Scribit enim fol. 237. in ultimis foliis ſuarum Animadverſionum; „Feliciter contigit, ut ultimis diebus, quibus hujus Opuſculi extrema „folia ſub prelo ſudabant, utrumque Chronicon, Windesheimenſe & „Montis S. Agnetis, ad me pervenerit.„ Secundò, quod præ aliis curis principalibus in tranſcurſione Chronici Windesheimenſis non pertigerit ad Caput quinquageſimum octavum libri ſecundi, ubi Buſchius teſtis Synchronus expreſsè teſtatur, cauſam à Matthæo Grabon contra Cle-

(p) Etiam Gerſon ſcripſit Opuſculum incitans ad dignè ſuſcipiendum Corpus Dominicum, quod extat Tom III. Operum, & incipit: *Cupiens ad digne accedendum ad corpus &c.*

Clericos, presbyteros, & ſæculares perſonas ſub directione Windesheimenſium in communi ſine tribus votis ſolennibus viventes motam in Concilio Conſtantienſi definitam eſſe. En! textum integrum. In Chronico Windesheimenſi Libro II. Capite 58. Buſchius de Henrico Lœder converſo ſeu fratre Laico Congregationis Windesheimenſis ſic ſcribit: „ Quantæ diligentiæ, quantoque zeli fervore cunctis devotis aſtitit in „ oportunitatibus, in tribulatione, uno exemplo declarabimus. Qui„ dam enim de Ordine Prædicatorum Frater *Matthæus Grabon* nomine, „ grande volumen ediderat contra devotos Presbyteros, Clericos & Be„ ginas, pariter in communi ſine regulæ alicujus profeſſione viventes. „ Quem Paſtori in *Daventria* repræſentans adhæſionem expetiit, & ut „ in ejus tranſiret ſententiam, publicè contra eos ſermocinando, roga„ vit. Qui ut verus ovium ſuarum Paſtor, & bonus juſtitiæ zelator „ devotos in ſua parochia non moleſtans ſed defendens, venerabili viro „ Domino *Godefrido* Rectori Congregationis Clericorum in *Daven*„ *tria* eundem transmiſit ad legendum. Qui librum per folia ſtatim „ diſſolvens, ut eadem nocte per fratres ſuos, diverſis inter ſe foliis „ exſcriberetur, diſpoſuit exemplar manè reddens paſtori. Excerptum „ verò libri præfati continuò transmiſit in *Northorn* Priori. Quo liben„ ter accepto, blaſphemiaque contra modernæ devotionis, Presbyte„ ros, Clericos, & Beginas apertè repertâ, coaſſumptis Notario & teſti„ bus perrexit in *Groningen*, oppidum Diœceſis Trajectenſis, ibique „ fratre *Matthæo Grabone* in Monaſterio illo invento, præfatum librum „ multis coram aſtantibus ſibi præſentans, an ipſum edidiſſet, inſtanter „ requiſivit. Qui primùm conterritus, ſubterfugii umbram niſus eſt „ prætendere, ſed cùm non poſſet evadere, tandem ſuum illum eſſe di„ cebat. *Ego*, inquit, *ſcripſi eum, & his multo majora ſuperaddere* „ *intendo.* Et Prior. *Sat eſt*, inquit, *Domine Notarie requiro vos in* „ *teſtimonium, quod hunc librum fatetur ſe feciſſe.* Notarius quoque „ teſtes aſtantes aſtipulando requiſivit. Statim poſt hæc, Prior; di„ ctum fratrem *Grabonem* ad curiam *Trajectenſem* citari procuravit. „ Qui ſimul ibidem in termino comparentes, cùm librum ſuum non „ poſſet defendere, & à præfato Priore vehementer angeretur, ut „ hæreticalis ſententia contra eum judicialiter proferretur, ut ibi poſ„ ſet evadere de gravamine, & appellando proteſtatus eſt; ſic ad *Apo*„ *ſtolicam* Sedem appellavit.

„ Hæc autem cauſa, Catholicam fidem concernens, ad Conſtantienſe „ Concilium totius œcumenicum tandem fuit devoluta. Reverendus „ igitur Eccleſiæ Trajectenſis Antiſtes Dominus Fredericus de Blanken- „ hem prudens & litteratus, patentes litteras ſigillo ſuo communitas „ cauſam præmiſſam, ſtatúmque omnium devotorum Patriæ ſuæ conti- „ nentes eidem univerſali transmiſit Concilio, inſtanter exorans, ut iſte „ audacter frater *Matthæus Grabo* dignâ feriretur animadverſione re- „ probis in exemplum, fidem ſuis faciens ſcriptis authenticis, quod „ nihil unquam mali, dignum ſuſpicione contra morem Eccleſiæ, in „ devotis hujus Patriæ ſexus utriusque invenit deliteſcere, ſed omnes „ & ſinguli vitam veram, Apoſtolicam Eccleſiæ primitivæ, ut veri Chri- „ ſtiani ad purum ſervarent. Quod ita ſe habere venerabiles Patres „ *Joannes de Huesden in Windeſem*, & *Joannes Wael* in Betleem Zwol- „ lis Priores, unà cum Domino *Henrico* de Ahuys, & Domino *Everar-* „ *do Zwaen* in *Oldenſale* tunc Canonico, poſtea in Monaſterio Ordinis „ noſtri prope *Northorn* regulari Canonico, ibidem tunc præſentes, „ publicè & conſtanter affirmantes proteſtabantur, fidem de his indu- „ biam Dominis Cardinalibus & cunctis Prælatis ibidem facientes. Fi- „ deliſſimus autem Executor litterarum Epiſcopalium fuit vir ille doctus, „ magiſter *Wilhelmus de Lochem*, in artibus magiſter, in *Theologia Bac-* „ *calaureus* formatus, in omni ſcientia & facultate induſtrius, Univer- „ ſitatis *Pariſienſis* in eodem Concilio Ambaciator, Eccleſiæ *Sanctæ* „ *Mariæ* in *Daventria* poſt hoc Paſtor, & Canonicus *Daventrienſis*. „ Qui Epiſcopi *Trajectenſis* in omnium audientia lectis epiſtolis, dictum „ fratrem *Grabonem*, tanquam hæreticum & blaſphemum petiit adju- „ dicari, eo quod plures fidei Chriſtianæ contrarios in ſuo libello po- „ ſuiſſet articulos, videlicet quod nullus in aliqua religione, ab Eccle- „ ſia approbata non profeſſus tria ordinis ſervabilia, paupertatem, ca- „ ſtitatem & obedientiam, ſine mortali peccato poſſet ſervare, & alia „ plura ſimilia hæreſim ſapientia.

„ Cardinalis ergo ad præmiſſa à Concilio commiſſarius, & ſibi aſ- „ ſiſtentes rem iſtam neceſſariò ventilantes, inſpicientes, & debitè pro- „ ut oportet examinantes, ac Patrum ſententiis, fideique Catholicæ „ omninò contrarium librum ſuum reperientes, propter hæc & alia „ præſertim Domini Cardinalis judicis ad præmiſſa inviolenta invaſio- „ nem, dictum *Fratrem Grabonem* in Concilio miſerunt in carcerem.

„ Et

„ Et niſi librum ſuum propter articulos erroneos in eo comprehenſos „ ipſe damnaret, & ſe plurimum erraſſe, publicè proclamaret, cæteráque ſimilia juxta ſua demerita juſtè ſibi injungenda libenter perficeret, de carcere exire niſi ad ignem omninò non poſſet. Qui pelli „ ſuæ pertimeſcens, ſaniori uſus conſilio reum ſe cognovit, cuncta ſe „ præmiſſa & multo majora in publica omnium audientia apertè confeſſus librum ſuum damnavit, vitam & converſationem devotorum „ Presbyterorum, Clericorum, & Beginarum Daventriæ, Zwollis & „ alibi in communi ſine profeſſione viventium valdè recommendavit, „ & ſic ignem, mortemque evadens in pace fuit dimiſſus. Hæc omnia „ ſeriatim Patres dictarum Congregationum regiſtrata conſervant.

„ Multiſque aliis perſonis & in communi viventibus Beginis, quas „ Oppida & Civitates in quibus morabantur per potentiam opprimere, „ in jus ſuum civile pertrahere, ſibique ſubjicere, aut à ſe expellere „ variis modis tentabant, ipſe Prior zeloſus *Pater de Northorn* præfatus „ totis ſuis viribus conatus eſt defendere, prout hæc ipſa frequenter „ facta audivimus. Nam pro gloria Dei, animarumque ſalute mori „ non pertimuit, ita conſtans & firmus in animo ſuo ubique permanſit. „

His adde cap. 15. ubi ſic habetur. „ Sicut magiſter *Gerardus* „ *Magnus* origo fuit, & Pater primus omnium hominum modernæ devotionis hujus patriæ, ad quem Deo ſervire cupientes ſecurum ſemper habuere recurſum, & poſt eum Pater venerabilis Dominus *Florentius Radewini* primus Rector Congregationis Clericorum in Daventria; ita devotus Pater noſter frater *Joannes de Huesden* Prior in *Windeſem* eorum fidelis factus eſt ſucceſſor, in cura conſulendi, auxiliandi & defendendi. Ipſe enim diſcretâ ſuâ prudentiâ, charitatéque „ latiſſimâ omnium corda devotorum benignè ad ſe trahens, unum ex „ ipſis ſe fuiſſe, & etiam ſemper manſiſſe verbis, rebus, moribus ubique demonſtravit. Qui totum mundum ſalvare cupiens, plurima „ ſervorum & ancillarum Dei habitacula undique in patria multiplicari „ curavit; nam & fratres domus ſuæ, capitulique generalis ad hoc „ aptiores in loca diverſa tranſmiſit, pro novis Monaſteriis Ordinis noſtri erigendis, fundandis, & conſummandis, antiquiſque reformandis, & in regulari obſervantia debitè inſtituendis: Patres etiam Congregationum valde ſollicitavit, ut Presbyteros, Clericos & Sorores

„ ſive *Beginas* ad hoc utiles, vel idoneos ad diverſas mundi partes, in
„ civitates, oppida & villas, pro novis Congregationibus inchoandis,
„ & in communi vita more ſuo inſtituendis, animo pio & volenti non
„ tardarent.

„ *Unigenitus*, inquit, *Dei Filius* Jesus Christus, *à regalibus ſe-*
„ *dibus ſuis in hujus mundi carcerem & exilium omninò ſibi peregri-*
„ *num dignatus eſt deſcendere, ut animas ſalvas faceret, mortem no-*
„ *ſtram deſtrueret; & viam nobis vitæ & diſciplinæ oſtendens ad æterna*
„ *gaudia revocaret. Faciamus & nos ſimiliter, & animas Chriſti ſan-*
„ *guine redemptas, verbo & exemplo noſtro Sancto à faucibus inimici*
„ *eripere feſtinemus, easque ſanctas, & immaculatas Chriſto præſentare*
„ *laboremus.*

„ Factum eſt autem, ut plurima Ordinis noſtri Monaſteria, mul-
„ taque Clericorum & Sororum devotarum Congregationes per totam
„ iſtam patriam *Zellandiam*, *Weſtphaliam*, *Gelriam*, *Brabantiam*,
„ *Hollandiam*, *Zelandiam*, *Drentheam*, *Twentheam*, *Friſiam*, *Tra-*
„ *jectum*, & circa partes Rheni in diebus noſtris, de novo ſunt con-
„ ſtructa, & etiam ex antiquis plurima reformata, ex quibus Patres,
„ Fratres & Sorores de tertia regula ſancti *Franciſci* nuncupati *plus-*
„ *quam centum* domos ſive congregationes devotas extrahentes, ſub uno
„ Provinciali Capitulo regulariter vivere, & Deo fideliter deſervire us-
„ que hodie comprobantur, & ipſi Patres *Congregationum devotarum*
„ *animi*, juxta morem Eccleſiæ primitivæ ſub regula Chriſti charitate
„ pariter in communi ſecundùm Evangelium viventes, habent adhuc
„ hodie domos ſexus utriusque unitas, numero pæne quinquaginta,
„ virorum videlicet pæne viginti, & ſororum triginta; nosque jam
„ habemus Monaſteria Ordinis Canonicorum Regularium ſexus utrius-
„ que Capitulo generali de *Windeſem* incorporata plus quam ſeptua-
„ ginta, virorum videlicet ſexaginta duo, & tredecim Sanctimonialium.
„ Ita in annis ſeptuaginta duobus ab obitu Magiſtri *Gerardi Magni*, pri-
„ mi Patris omnium crevit numerus perſonarum ac domorum Deo fide-
„ liter deſervientium, multorum millium animarum ad laudem & gloriam
„ ejus, qui fecit hæc omnia ſuâ clementiſſimâ bonitate ad noſtram
„ perpetuam ſalutem. „

Ex his ergo duo ad oculum demonſtrata ſunt. Primò, cauſam con-
tra Matthæum Grabon, quam Gerſon in Concilio Conſtantienſi defendit,
ipſam fuiſſe cauſam Windesheimenſium. Secundò, ea occaſione à Dele-

gatis Congregationis Windesheimenſis neceſſario Gerſonem adiri, informari, & familiari colloquio honorari debuiſſe. Q. E. D.

Exinde etiam colligere licet genium, incuriam, & præſumptionem hujus Gerſeniſtæ, qui, cum in mea *Deductione Critica* ſe vidiſſe monſtret Summarium ex præfato textu Buſchii, adire tamen, vel legere noluerit integrum ejus textum; ut audacter negare poſſet, Cauſam Windesheimenſium & Gerſonis Cancellarii contra Matthæum Grabon in Concilio Conſtantienſi quidquam habuiſſe commune. Adverterat enim, admiſsâ ſemel comunicatione Windesheimenſium cum Gerſone in Concilio, viam planam ad propagationem libri de Imitatione etiam operâ Gerſonis negari non poſſe.

Ad 17. In re hiſtorica meræ poſſibilitates, veriſimilitudines, aut probabilitates etiam maximæ ſeorſim ſpectatæ ſileant comparativè ſpectatæ in conſpectu moralis certitudinis oppoſitæ ex ſeptuaginta teſtibus partim Synchronis partim coævis demonſtratæ. Sic Leges Criticæ, Topicæ, & Forenſes; ſic obſervantia omnium tribunalium, ſic ſana ratio jubent. Illæ enim ſæpiſſimè, iſti vix unquam fallunt. Accedit, in tota Germania ne quidem unicum extare exemplar inſignitum nomine Joannis Gerſen; non ergo Exemplaria Germanorum ſunt colonia Italorum, ſed potius exemplaria Italorum pro matre agnoſcunt verſionem Italicam à quodam Gallo, aut Hiſpano, ut videtur factam, cum in articulis & proprietate verborum potius Hiſpanum vel Gallum Hiſpana miſcentem referat. Ipſum Originale hujus verſionis, aut exemplar, meo judicio ſcriptum eſt poſt medium Sæculi XV. cum ſcateat punctis & lineolis breviſſimis. In Schematiſmo Manuſcriptorum veterum exhibeo ſpecimen numero penultimo.

Ad 18. In meo Summario ſcripſi, quatuor Sacerdotes in Monte S. Agnetis cum quatuor Clericis anno 1398. profeſſionem emiſiſſe; non tamen ſcripſi, id actum eodem die. Illi profeſſionem emiſerunt in Januario: Iſti ad habitum profeſſorum ſeu ad Ordinem ſuſcepti ſunt in generali Capitulo tempore Paſchali.

Ad 19. V. Thomas bis fuit Supprior. Primò ante ſuum & ſuorum confratrum ob paritionem erga Papam triennale exilium, inchoatum 1429. prout ipſemet ſcribit in Chronico c. 22. (q) & Buſchius in Chron. Win-

(q) Chronicon Montis S. Agnetis c. 22. ſic habet: *Anno MCCCCXX., nono* (anno) *Domini Suederi* (Epiſcopi Trajectenſis) *propter Interdictum, quod*

Windesh. L. 1. c. 34. Secundò anno 1448. prout patet ex c. 26. Cum ergo V. Thomas poſt obſervatum ultra annum Interdictum jam anno 1429. in exilium abierit tanquam Supprior; conſequitur, eum jam prius fuiſſe Suppriorem. Quo ergo anno electus? Serius an citius, cauſæ Kempiſianæ perinde eſt.

Ad 20. Falſum eſt primò, quod V. Thomas anno 1415. adhuc fuerit juvenis, utpote jam expleto anno ætatis trigeſimo quinto. Falſum eſt ſecundò, quod hoc opuſculum ſuis confratribus adſcripſerit. Falſum eſt tertiò, annum ætatis trigeſimum quintum ſcribendis libris ſpiritu vel ingenio ſummis ineptum eſſe. Alioquin quæram, quomodo D. Antonius Paduanus, D. Bonaventura, D. Aquinas, Scotus &c. anno trigeſimo quinto ætatis necdum expleto tam admiranda ſcribere auſi ſint? An ergo V. Thomæ Kempenſi ſoli non licebit ſui Germani, ſui in quinquennali probatione Magiſtri, ſuique Monaſterii Prioris, excerpta ex D. Bernardo principia aſcetica practica, nec non ſui Generalis in vicino Monaſterio Windesheim ſcriptò omnibus tradita ſanctiſſima præcepta, in ſui ingenii modulum per quotidianam meditationem Deo aſpirante transfuſa digerere, & compilare ſedato calamo? Ex his enim authorem libelli de Imitatione bibiſſe fontibus infra oſtendam in Appendice Tit. I.

Ad 21. Gerſeniſta, cui heri primùm Chronicon Windesheimenſe & Agnetianum videre obtigit, nunc præmatura morte translatus, ut ſpero, in orbem ſuperum, legat illa Chronica jam in *Libro Vitæ* attentiùs. Mihi enim illa Chronica ad nauſeam Lectorum exſcribere non vacat; & Ariſtoteles in Topicis ad quasvis ſtultas quæſtiones reſpondere prohibet. Adſcribam tamen pro Lectoribus, quibus illa Chronica deſunt, textum unum ex Chronico Windesheimenſi, & alterum ex Agnetiano. In illo L. 1. c. 13. legitur formula profeſſionis, quam emiſerunt primi ſex fratres Windesheimenſes anno 1387. His verbis concepta eſt. *Ego Fra-*

---

quod ultra annum ſervaverant ex mandato Sedis Apoſtolicæ, compulſi ſunt de Monaſterio emigrare noſter Prior Theodoricus Clivis, Thomas Kempis Supprior &c. Manſerunt autem (in exilio) annis tribus pro Chriſti nomine. Ubi Nota errorem Typothetæ. Imprimendum enim erat: *MCCCCXXIX.* vel Amanuenſis, disjungentis annum nonum ab anno MCCCCXX. quem errorem typographi vel Amanuenſis in editione Chronici Agnetiani ipſemet non adverteram.

Frater N.N. promitto Deo auxiliante perpetuam continentiam, paupertatem absque proprio, & obedientiam Prælato canonicè inſtituendo, & ſuis ſucceſſoribus ſecundum Regulam beati Auguſtini, & ſecundum conſtitutiones iſtius loci per capitulum ordinandas. Et C. 24. „ Ex quo Regula almi Patris noſtri Auguſtini Dei & proximi charitatem, & tria „ Ordinis ſubſtantialia; paupertatem, caſtitatem, & obedientiam, pe- „ nè ſolum videtur commendare, idcirco Patres noſtri primitivi certas „ ſibi conſtitutiones aſſumendas neceſſarium æſtimabant. Igitur expertos fratres ad hoc deputaverunt, videlicet *Henricum Wilde*, *Joannem Kempis* (germanum fratrem, Superiorem, & in Novitiatu Magiſtrum Thomæ Kempenſis) &c. qui Spiritu ſancto informati ſummam „ impenderunt operam, ut Ordini noſtro aptas invenirent Conſtitutiones. Collegerunt perantiqua Ordinis noſtri Inſtituta, moribus tamen „ non comprobata, eò quod regularis obſervantia, præſertim in noſtro „ Ordine Colonienſis & Moguntinæ Provinciæ, jam dudum abolita fuerat & obliterata. Summa igitur diligentia optima ediderunt Inſtituta. Ubi autem quod quærebant, in (noſtri Ordinis) conſtitutionibus non repererunt, ex aliorum id Ordinum Inſtitutis, præſertim „ NB. *Carthuſienſium*, ſupplere curaverunt. Hujusmodi Statuta in „ Windesheim generale Capitulum primum, quatuor tantùm habens „ Monaſteria unita, ſuſcepit anno 1395. Deinde cum alia tria Monaſteria, *Amſterdam*, *Urdeswel*, & *Montis S. Agnetis* prope Swollis, „ ſibi fuiſſent incorporata, in generali Capitulo ſeptem vel octo Monaſteriorum anno 1402. decretum eſt, quod omnia dicta Monaſteria „ dicta ſtatuta ad unguem ſervare & ſecundum ea profeſſionem ſuam „ facere deberent. „ Ex his patet, in Monaſterio Agnetiano jam anno 1402, quo V. Thomas in illud ſuſceptus eſt, tria Vota, Regulam S. Auguſtini, & Conſtitutiones Windesheimenſes viguiſſe. Idem patet ex pluribus locis Chronici Agnetiani ab ipſomet V. Thoma ſcripti. Sic C. 6. ſcribitur: „ Anno 1398. Fredericus Præſul Trajectenſis dedit Presbyteris necnon cæteris Clericis ac Laicis habitatoribus Montis S. Agnetis prope Swollis, ut Monaſterium Canonicorum Regularium, ubi „ Deo ſecundùm Regulam S. Auguſtini, in ordine regulari devotè Deo „ militarent. „ Ita ipſemet V. Thomas. Quousque Gerſeniſtæ pergent per ejusmodi ineptias nobis ſuffurari bonas horas, dudum ſacratas Deo & Eccleſiæ?

Ad 22. *circa* 1. V. Thomas ſe tempore quinquennalis duriſſimæ probationis voto obſtrinxit ſimplici non exeundi ex Novitiatu. Vel textus poteſt ſic intelligi; ne redeundo ad ſæculum redirem in priora vitia, me votis religioſis obſtrinxi. *Circa* 2. repono, quod Windesheimenſes quoad diſciplinam ſilentii, &c. in variis aliis obſervantiis rigorem Carthuſienſium ſectati ſint, eorumque conſtitutiones ſuis intulerint, prout patet ex Reſponſione *ad* 21. Idem patet ex Conſtitutionibus Windesheimenſibus approbatis à Martino V. quas edidi in meo Opere, cui titulus: *Diſquiſitiones de Ordine Canonicorum Regularium.* Denique V. Thomas in ſuis ſermonibus ad Novitios & Fratres conſtanter vitam Monachorum illis in exemplum proponit, prout in *Deduct. Crit.* fol. 34. §. 58. fusè oſtendi. Cur ad iſta non reſpondit Gerſeniſta Ratisb.? Quia ea vel non legit, vel non potuit reſpondere: prout certum eſt, non poſſe reſponderi. *Circa* 3. Author libri de Imitatione, dum ſolos Carthuſienſes, & Ciſtercienſes, & paucos alios à relaxatione eximit, certè longè verius ad ſtatum Sæculi XV. quàm XIII. reſpicere NB. NB. POTUIT. In Sæculo enim XV. omnes religiones, præſertim Canonicorum Regularium in Provincia Colonienſi & Moguntina teſte Buſchio in *Reſp. ad* 21. erant relaxatæ, quod non contigit Sæculo XIII. Si autem ad hanc circumſtantiam temporum convenienter reſpicere POTUIT, eo ipſo non habetur argumentum ex iſto fundamento convincens eum non reſpexiſſe ad hanc circumſtantiam. Quamdiu autem non habetur tale argumentum moraliter certum in oppoſitum, eoipſo moralis certitudo Kempiſiana ex conteſſeratione 70. coævorum teſtium, & ex identitate ſtyli ſingulari in ſuo robore perſtat, cui ut omnes præſumptiones merè probabiles cedant, ſana ratio, Jus, & *Ars Critica* jubent.

XLIX.
EXCEPTIONES ULTIMÆ
Per Documenta Hiſtorica.

§.CXIV. 1. AMortius falsò ſupponit, in libro de Imitatione aſſeri generalem corruptionem monachorum. Sed hoc verum non eſt. Dum enim author libri de Imitat. *Carthuſienſes*, *Ciſtercienſes*, &

& *diverſi generis Monachos* in exemplum proponit, *Benedictinos* intelligit, quorum diſciplina Sæculo XIII. floruit ad *delicias Superum* (r).

2. Thomas Kempenſis in ſuis Operibus ſollicitè diſtinguit Canonicos Regulares à Monachis. Ergo, cum liber de Imitatione nullam faciat mentionem Canonicorum Regularium ſed tantùm Monachorum; non eſt ſcriptus à V. Thoma ſed à Monacho (s).

3. *Inprimis* videtur imperceptibile, quod Thomas K. adhuc juvenis ea ſcribere potuerit, vel auſus ſit, quæ non niſi à cana ſenecta vel ab amplitudine dignitatis è ſuperiore loco, vel à longa annorum experientia exſpectes. v.g. hanc expreſſionem, l. 1. c. 11. *Nos ſentimus ſæpius poſt multos annos profeſſionis à primo fervore receſſiſſe* (t). *Secundò* videtur ipſi incredibile, quod V. Thomas anno 1415. adhuc juvenis, adhuc in ſpiritu Tyro, adhuc *Tyrunculus*, adhuc *adoleſcens*, auſus eſſet, confratribus primo Ordinis ſpiritu adhuc ferventibus, viventibus adhuc primîs Patribus Congregationis Windesheimenſis, Joanne de Kempis ſuo Germano, & Joanne de Huesden Generali primo, viris zelo & ſcriptione Opuſculorum Aſceticorum claris, ad ſuos Sodales ſcribere admonitiones ad ſpiritualem vitam, ad interna trahentes, de interna locutione Chriſti ad animam fidelem (u).

4. Joannes de Huesden ſuam Epiſtolam aſceticam, non librum de Imitatione Thomæ K. ſuis commendavit; & in ea Epiſtola teſtatur, ſe ea ſcribere, quæ ſancti viri & bene exercitati ſibi reliquerant (x).

5. V. Thomas non potuit colligere dicta D. Florentii, utpote defuncti anno 1400, quo tempore V. Thomas adhuc adoleſcentulus Daventriâ diſceſſit (y).

6. Gerſeniſta aſſerit, ſibi *probabile* videri, quod Joannes de Huesden ſua dicta ex antiquiori Codice *de Imitatione* acceperit (z).

7. Non conſtat, V. Thomam præſentem fuiſſe in morte Joannis Huesden (a). Id in Buſchii Chronico Windesheimenſi ex editione Rosweidi ſe non inveniſſe aſſeverat Gerſeniſta Ratisb. Hinc affirmat, teſtimonium illud textui aſſutum fuiſſe, poſtquam jam nata erat controverſia (b). Dubitat tandem, an non ipſe Buſchius, authographo Antverpienſi de anno 1441. deceptus hanc annotationem addiderit (c).

 8. Per-

(r) Document. Hiſtor. fol. 1. usque ad 20. (s) fol. 20 — 44. (t) fol. 44. — 49. (u) fol. 44. — 51. (x) 56 61. (y) fol. 53. — 57. (z) fol. 62. 63. (a) fol. 63. — 67. (b) fol. 56. — 68. (c) fol. 68. 69.

8. Permittitur Kempiſianis, etiam eorum cauſam eſſe probabilem, dummodo Gerſeniſtarum prætenſio agnoſcatur eſſe probabilior (d).

RESPONSIO
ad Exceptiones ultimas.

§.CXV. *AD* 1. Si inſpiciatur textus integer, planè patebit, ſtatum monaſticum eo tempore, quo author ſcripſit, ex multò majore parte fuiſſe corruptum. In L. 1. C. 3. n. 4 & 5. ſic ſcribit: *Plures magis ſtudent ſcire, quam bene vivere: ideo ſæpe errant, & pæne nullum vel modicum fructum ferunt. O ſi tantam adhiberent diligentiam, ad extirpanda vitia, & virtutes inſerendas, ſicuti ad movendas quæſtiones: non fierent tanta mala & ſcandala in populo, nec tanta diſſolutio in cœnobiis. - - Dic mihi, ubi ſunt modò omnes illi Domini & Magiſtri, quos bene noviſti, dum adhuc viverent, & ſtudiis florerent? Jam eorum præbendas alii poſſident; & neſcio utrum de eis recogitant. In vita ſua aliquid eſſe videbantur, & modo de illis tacetur.* Et C. 18. n. 1. 4. 5. 6. *Intuere ſanctorum Patrum vivida exempla in quibus vera perfectio refulſit & religio, & videbis, quàm modicum ſit, & pæne nihil, quod nos agimus. Heu, quid eſt vita noſtra, ſi illis fuerit comparata? - - Dati ſunt in exemplum omnibus religioſis: & plus provocare nos debent ad bene proficiendum, quàm tepidorum numerus ad relaxandum. O quantus fervor omnium religioſorum, in principio ſuæ ſanctæ inſtitutionis fuit! O quanta devotio orationis! quanta æmulatio virtutis! quam magna diſciplina viguit! quanta reverentia & obedientia, ſub regula Magiſtri, in omnibus effloruit! Teſtantur adhuc veſtigia derelicta, quod verè Viri ſancti, & perfecti fuerunt: quia tam ſtrenuè militantes, mundum ſuppeditaverunt. Jam magnus putatur, ſi quis tranſgreſſor non fuerit: ſi quis, quod accepit, cum patientia tolerare potuerit. Ah! tepor & negligentia ſtatus noſtri, quòd tam cito declinamus è priſtino fervore; & jam tædet vivere, præ laſſitudine & tepore! Utinam in te penitus non dormitet profectus virtutum, qui multa ſæpius exempla vidiſti devotorum!* Gerſeniſta quidem pro ſe adducit textum L. 1. C. 25. n. 7. 8., putatque ſub termino *multi alii religioſi* intelligi etiam *Benedictinos* Sæculi XIII. Errat tamen: Monachi enim profitentes Regulam S. Benedicti, ex

(d) fol. 81. 82.

ex ſuo genere ſpectati, Sæculo XIII. & XIV. & initio Sæculi XV. tales non erant, ut de iis dici poſſet generatim ac indefinite: *Satis arctati ſunt ſub diſciplina clauſtrali; rarò exeunt, abſtractè vivunt, pauperrimè comedunt, groſſè veſtiuntur, multum laborant, parum loquuntur, diu vigilant, maturè ſurgunt, orationes prolongant, frequenter legunt, & ſe in omni diſciplina cuſtodiunt* &c. Ex ipſo etiam textu manifeſtum eſt, authorem loqui de religioſis alterius Ordinis, quam ſui. Pro incitamento enim religioſorum ſui Ordinis alios aliorum ordinum in exemplum adducit. In probationem adduco teſtimonia Conciliorum Sæculi XIII. & XIV. In Concilio Trevirenſi apud P. Hartzheimium Tom. III. Concil. German. Can. 12. anno 1227. circa quæ tempora author ſcripſiſſe fingitur, ſic habetur: *Statuimus, ut Monaſteria Ordinum Sanctorum, videlicet Benedicti & Auguſtini, ad obſervationem Regulæ & Ordinis ſui reformentur.* Et Can. 13. *Præcipimus diſtrictè, ut omnes Monachi & Moniales omnibus proprietatibus ſuis mobilibus & immobilibus, quas hactenus habuerunt, renuntient, qui verò renuntiare renuerint, excommunicentur. — Item præcipimus, ne Monachi Denarios, quos in Miſſis recipiunt, ſibi reſervare præſumant, ſed Abbati, vel cui ipſe præcipit, aſſignentur. De Denariis Anniverſariorum, vel Triceſimorum, & omnium, quæ ad manus eorum devolvuntur, nemo ſibi quidquam appropriare præſumat, nec per Monachos, nec per Moniales dividantur de cætero, ſicut hactenus per abuſionem fieri conſuevit. Item præbendæ, quæ per abuſionem hactenus diviſæ fuerant, in communitatem redigantur.* Apud eundem P. Hartzheim Tom. IV. fol. 576. in Concilio Moguntino, celebrato anno 1259. dicitur: *Statuimus, ut Monaſteria Ordinis S. Benedicti & S. Auguſtini juxta obſervantiam ſuæ Regulæ efficacius reformentur.* Item in Concilio Viennenſi in Auſtria, celebrato anno 1267. Can. 13. ſcribitur: *Cum clamoſa inſinuatio noſtrum percuſſerit animum & auditum; Abbates & Monachos Ordinis S. Benedicti in quampluriimis locis ab obſervatione S. Regulæ temerè recedentes vitam nimis diſſolutam ducere in ſuarum periculum animarum & ſcandalum plurimorum, univerſis Epiſcopis Saltzburgenſis Provinciæ, & Epiſcopo Pragenſi diſtrictè præcipimus, ut aſſumptis ſecum duobus Abbatibus Ciſtercienſis Ordinis omnia clauſtra nigrorum monachorum ſuæ diœceſis viſitent, corrigant & emendent tam in capite quam in membris.* In Concilio Trevirenſi 1310. C. 28. *Sub pœna excommunicationis inhibemus, ne Monachi extra clauſtrum per civitatem,*

caſtra, ſeu villas incedere, ſeu diſcurrere de cætero præſumant, niſi ratione adminiſtrationis, ſi quam habent. Intentatio excommunicationis præſupponit magnos exceſſus. Ibidem C. 40. *Præcipimus diſtrictè, ut Monachi & Moniales omnibus proprietatibus, quas hactenus habuerunt, renuntient. Qui renuntiare renuerit, excommunicetur.* Et C. 41. *Diſtrictè prohibemus, ne Monachi denarios, quos in oblationibus Miſſarum recipiunt, ſibi reſervare præſumant* &c. prout ſupra in Conc. Trev. anno 1227. niſi quod illi termini indefiniti, *ſicut hactenus fieri conſuevit*, nunc, ſecuta intra octoginta annos quoad hoc aliqua emendatione, ponatur limitatè, *ſicut ab* ALIQUIBUS *[illegible] conſuevit.* In Concilio Moguntino 1316. C. 22. dicitur: *Item plerique religioſi, maximè Ordinis S. Benedicti, non verentur Convivia celebrare, ſæculares etiam perſonas ad ipſa cœnobia pro commeſſationibus invitantes, ex quo non ſolùm ſcandalizantur extranei & confratres; immo eorum religio diſſolvitur, & modeſtia monaſtica deformatur.* Et in Concilio Colonienſi anno 1327. ad Abbates & Monachos ſuæ Diœceſis ſic ſcribit: *Licet ſuper cunctum nobis commiſſum gregem invigilare teneamur, ſpecialius tamen nobis incumbere non ambigimus, ut ibi figamus conſiderationis aciem vigilantius, ubi majora diſponuntur pericula animarum. Sane in Monaſteriis veſtris aliqui ex vobis curtes veſtras ſub certa ſolvenda penſione de facto frequenter à longis temporibus conduxerunt, & adhuc conducunt, & ſe ad ſolvendas hujusmodi penſiones, ac ſi poſſint habere propria, & contractuum commercia nomine proprio exercere, vobis obligant, & in hujusmodi curtibus ſic conductis manſiones ſibi facientes, ſoli moram trahere continuè non formidant, non attendentes improvide, qualiter monachum non habere proprium & nomine proprio civiles exercere contractus jura abhorreant, & deteſtentur. — Item Monachos & Moniales recipitis ſub certis pretiis, aut ſub ſpe pretii ſub prætextu paupertatis hoc vitium palliantes non timentes pœnas contra hoc per Concilium Lateranenſe promulgatas. Præterea in nonnullis veſtris Monaſteriis aliqui ex vobis impetratâ ad abeſſendum Superioris licentia, dum revertuntur, fructus ſuæ exigunt abſentia, ac ſi eſſent Canonici ſæculares, & ipſis Monachis æqualiter habere redditus ſit indultum, & ſub hujusmodi abuſus modo vos eis tales fructus eſtis ſoliti aſſignare. Quæ omnia & ſingula omnino obviant Canonicis Inſtitutis, ſcandalum in Clero & populo generant, & diſſolutionem monaſticæ pariunt diſciplinæ.* In alio Concilio Trevirenſi anno 1338. Baldewinus Archiepiſcopus ad Abbates Ordinis S. Benedicti

ſic ſcribit: *Nonnulli ex vobis in obſervatione regularis diſciplinæ ſe exhibuerunt, ut intelleximus, hactenus negligentes. Aliqui enim, contra ſtatum monachatûs, proprium ſeu peculium, ſine Superioris ſui licentia habere, tenere, & etiam de ipſo pro ſuo libitu diſponere non formidant. Aliqui etiam laxatis honeſtatis habenis in caligis diverſorum colorum, & calceis baſſis ad modum laicorum, nec non in habitu dictæ religioni minimè congruenti incedere præſumunt, & clauſtra abhorrentes per vicos & plateas, ac ad loca alia inhoneſta & ſuſpecta diſcurrere non verentur. Aliqui etiam abjecta monachali modeſtia, cum ipſos itinerare contingit, ornamentis ſuperfluis, nec non pileis altis & ſtrictis diverſorum colorum uti præſumunt ad inſtar ſæcularium, aliaque plura & varia inhoneſta, ipſis, ac eorum ſtatui, & prædicto ipſorum Ordini non modicè derogantia, contra obſervantiam regularis diſciplinæ dicti Ordinis, ac ſacrorum Canonum Inſtituta committere non paveſcunt in divinæ Majeſtatis offenſam, religionis opprobrium, & ſcandalum plurimorum.* In Synodo Colonienſi anno 1354. Wilhelmus Archiepiſcopus hæc mandat: *Cum bonæ memoriæ Sifridus olim Colonienſis Archiepiſcopus Monachorum nigrorum, qui nominantur Ordinis S. Benedicti & Monialium ejusdem ſtatum ſentiens in pluribus declinare, & ob hoc volens eos in debitum ſtatum reponere, ſtatutum ediderit, quod incipit: Statuimus, ut nullus Monachus vel Monialis, clauſtrum ſuum exeat, per civitates, villas, vel oppida diſcurrendo, &c. Licet Prædeceſſor noſter hoc mandaverit; nos pœnam adjicimus, & non ſervantes excommunicamus &c.* Hoc non obſtante idem Wilhelmus anno 1357. legem in Synodo Can. XI. renovat his verbis: *Vergit in totius religionis opprobrium; grave quoque & nimium deteſtabile ſcandalum parit in populo, actibusque nefariis aditum præbet, immo in pernitiem multorum audivimus redundare, quod quamplures Religioſi de ſuorum inconſulta licentia Prælatorum per Diœceſin Colonienſem vagantur; — præſentibus litteris Univerſitati veſtræ intimamus, hos Religioſos cujuscunque Ordinis ſint, contra id, quod ſonat verbum Monachus, quod ſolitarium ſignificat, in ſtatu peccati mortalis verſari &c.* Fridericus Archiepiſcopus Colonienſis anno 1371. Can. 5. hæc de Benedictinis ſcribit: *Conſtitutionem Clementis V. editam in Concilio Viennenſi* (anno 1312.) *quæ inter cætera Monachis nigris Ordinis S. Benedicti omnem in veſtibus inordinatum ſeu exquiſitum ornatum & cultum, nec non in equitaturis & lectiſterniis, quemvis notabilem interdicit exceſſum, obſervari mandamus. Necnon Wilhelmi*

(Præ-

(Prædeceſſoris) *mandatum, quod incipit:* Vergit, *in quo Monachos, inconſultè, indebitè, & indiſcretè licentia ſuorum Abbatum utentes, & pro libitu vagantes, ad ſua Monaſteria redire præcepit; nec non ſtatutum Sifridi, Wilhelmi, prædeceſſorum noſtrorum innovantes mandamus quoad Religioſos dicti Ordinis præcipimus obſervari.* In Concilio Andegavenſi anno 1365. Can. 19. dicitur; *Licet ſecundùm Canonicas Sanctiones fuerit ſalubriter ordinatum, quod Monachi Ordinis S. Benedicti pro habitu Cappas clauſas, cucullas, vel floccum honeſtum longum & amplum deferant, & veſtes ſuperiores proximo habitui largas, longas & clauſas per circuitum deferant, & quod bottis vel ſotularibus corrigiatis, altis & honeſtis utantur, tamen nonnulli Monachi dicti Ordinis in noſtra provincia in ſe quaſi nihil de regulari obſervantia oſtendentes clamydes ſive rotundellos, veſtes fixas decurtatas cum botonibus, in publico deferre non verentur in Religioſorum opprobrium, & ſcandalum plurimorum.* In Concilio Colonienſi 1360. *Monemus Monachos, cujuscunque Ordinis exiſtant, ne cætero veſtes botenatas vel nodatas, aut ſæculares, vel calceos infra talum baſſos, aut veſtes vel zonas, ſeu cingulos auro, argento, vel gemmis ornatas publicè deferant; ſed veſtes hujusmodi ſæculares & corrigias ornatas vendant absque ulla fictione ſine fraude. Neve Tabbardis utantur, quia Tabardus eis permiſſus non exiſtit, ſed per abuſum uſurpatus per eosdem.* Baldewinus Archiepiſcopus Colonienſis anno 1338. ſcribit: *Licet pro felici & ſalubri veſtri Ordinis* (S Benedicti) *ſtatu diverſa & quamplura non ſine magna maturitate digeſta emanarunt ſtatuta, nonnulli tamen ex vobis, quod dolenter referimus, in obſervatione regularis diſciplinæ ac ſtatutorum hujusmodi ſe exhibuerunt, ut intelleximus, hactenus negligentes. Aliqui enim contra ſtatum monachatûs proprium ſeu peculium ſine Superioris ſui licentia habere, tenere, & etiam de ipſo pro ſuo libitu diſponere non formidant. Aliqui etiam, laxatis honeſtatis habenis, in caligis diverſorum colorum, & calceis baſſis ad modum laicorum; nec non in habitu dictæ religioni minimè congruenti incedere præſumunt; & qui cum deberent in clauſtris juxta regularia Inſtituta divinis invigilare obſequiis, hujusmodi clauſtra abhorrentes, per vicos & plateas ac ad loca alia inhoneſta & ſuſpecta diſcurrere non verentur. Aliqui etiam abjecta monachali modeſtia, cum ipſos extra eorum Monaſteria itinerare contingit, ornamentis ſuperfluis, necnon pileis altis & ſtrictis diverſorum colorum*

uti præſumunt ad inſtar ſæcularium perſonarum, aliaque plura & varia inhoneſta, ipſis, ac eorum ſtatui, & prædicto ipſorum Ordini non modicè derogantia committere non paveſcunt, in divinæ Majeſtatis offenſam, religionis opprobrium & ſcandalum plurimorum. In additionibus ad Concilium Paiiſienſe à Roberto Cardinali celebratum anno 1212. apud Manſium ex MS. Aquicinctienſi, Titulo de Regularibus & Monachis, poſt C. 8. ubi reperiuntur hæc verba: *Quia multa ſcandala & enormia contingunt ex crapula quorundam Monachorum, ante carniprivium per tres ſeptimanas vel per menſem ſe delicatis carnibus, & exquiſitis ſalſamentis ſeſe ingurgitantium, ſtatuimus ſub pœna excommunicationis, ne amodo talibus intendant commeſſationibus, ſed ſicut in aliis temporibus monaſticæ vitæ & ordinationi religioſæ ſe conforment.*

En libella formularia Diſciplinæ Monaſticæ Benedictinæ Sæculo XIII. & XIV. *ad delicias Superum*, in quæ author libri de Imitatione meritò his verbis reſpiciat: *Quomodo faciunt tam multi alii religioſi, qui ſatis arctati ſunt ſub diſciplina clauſtrali, raro exeunt: abſtractè vivunt: pauperrimè comedunt, groſsè veſtiuntur, multum laborant, parum loquuntur, diu vigilant, mature ſurgunt, orationes prolongant, frequenter legunt, & ſe in omni diſciplina cuſtodiunt.* Quibus verbis non Monachi Sæculi XIII. ſed primi Windesheimenſes Sæculi XV. ad vivum deſcribuntur. Haud equidem veroſimile eſt; omnes aut pleroſque Monachos, his vitiis fuiſſe infectos, immo nec dimidiam aut tertiam partem. Nemo tamen ignorat; noſtris temporibus nullum Ordinem, nullum Monaſterium, nullum ſtatum laudari, & in exemplum proponi, in quo tot multorum conſpiciuntur, & impunè committuntur ſcandala. Ex his omnibus patet, librum de Imitatione non fuiſſe ſcriptum Sæculo XIII. ab aliquo Benedictino vivente S. Franciſco & S. Dominico, de quorum ſancto Inſtituto & ſanctis exemplis profundè ſilet.

Ad 2. Tria ſunt certa; 1.mo à V. Thoma K. in iisdem locis, in quibus ſuorum Canonicorum meminit, eosque à Monachorum ſtatu diſtinguit, nihilominus ſuis Canonicis epithetum Monachi in latiore acceptione tribui. 2.do Ipſos Summos Pontifices in iisdem locis, in quibus Canonicos Regulares à Monachis diſtinguunt, tribuere tamen Canonicis Regularibus in ſenſu generico Epithetum Monachi. 3.tio V. Thomam K. habere potuiſſe prudens motivum, non ſolùm lectoribus celan-

di ſuum nomen, ſed etiam conditionem ſtatûs. Cum enim vellet, ſuum opuſculum fieri utile omni generi hominum & ſtatuum; experientia verò jam etiam tunc monſtraret, à quibusvis Religioſis libentius, imo ferme unicè, legi ac commendari Scriptores Aſceticos ſui Ordinis, prudentiæ, moderationi, & humilitati Chriſtianæ conſentaneum erat, librum edi Anonymum. Circa primum habemus exemplum in ejus ſermonibus ad Novitios. In ſermone primo, poſtquàm diſtinctè explicaverat exercitia Clericalia Canonicorum Regularium; addit: *Cænobium Monachorum eſt ſicut ſalſum mare, quod ad littus putrida projicit.* In ſermone tertio ad eosdem Novitios ſcribit: *O quam ſancta anima, quæ nititur totam vitam ſuam moribus Chriſti conformare! Ipſe* (eſt) *liber & regula Religioſorum; ipſe commentum Monachorum, ipſe forma vitæ Clericorum.* In parte ſecunda Sermonum Serm. 5. Novitios alloquens dicit: *Onus Ordinis diurnum & nocturnum collo Monachi impoſitum oſtendit cito, quantum portare poteſt pro amore Dei.* Et Serm. 9. ad Novitios ſcribit: *Nil perfectius, quàm ut Religioſus Deo devotus & profeſſus Monachus prompte Prælato ſuo obediat. — Quis Monachum trahit ad ſæculum? Diabolus, Clericorum inſidiator, Monachorum tentator.* In tertia parte Sermonum ad Novitios Serm. 1. cui Titulus: *De Cruce quotidie tollenda*, Novitios ſuos ad ferendam Crucem ſic animat: *Væ vagis & diſſolutis Monachis, qui crucem ſuam cum murmure portant! — Eja! dilecti Fratres! amplectimini deſideranter crucem! — Hæc eſt via ſanctæ Crucis; hæc ſapientia Sanctorum; hæc regula Monachorum; hæc lectio Clericorum. — O religioſe monache & ſectator arctioris vitæ, noli ab aſſumpta Cruce in ordine recedere.* Plures ejusmodi textus Kempiſii vide in *Deduct. Crit.* §. 57. fol. 33. Nunc oſtendam, quod etiam Epiſcopi & Summi Pontifices in iisdem locis, ubi Canonicos Regulares à Monachis diſtinguunt, iisdem tamen in latiori ſenſu denominationem Monachi tribuant. Sic Wilhelmus Archiepiſcopus Colonienſis in Synodo Colon. dicit: *Monemus univerſos Monachos & Canonicos Regulares, ne Tabbardis utantur.* En! diſtinctio. Idem in Colonienſi Synodo anno 1357. C. 11. dicit: *Intimamus, Religioſos cujuscunque Ordinis, contra ſui Ordinis ſubſtantiam, & contra id, quod ſonat verbum hoc,* MONACHUS, *facientes in peccato mortali verſari.* FRIDERICUS Archiepiſcopus Colonienſis anno 1370. in Synodo C. 5. dicit: *Conſtitutionem Bonifacii VIII. & Clementis V. quæ Monachis nigris Ordinis S. Benedicti omnem in veſtibus inordinatum ornatum* (inhibet) *quod Statutum*

Siſri-

Wifridus Prædeceſſor ad Canonicos Regulares S. Auguſtini & Præmonſtratenſes extendebat, extendimus, in quantum ipſorum Ordinum patitur inſtitutio Regularis, cui, ut clarum eſt, dicti Monachi inſerviunt laxiori. En! etiam Canonici Regulares vocantur *Monachi*, haud dubie in ſenſu latiore, cum in ſenſu obvio ac ſimpliciter contradiſtinguantur à Monachis, ita ut in odioſis legibus à Monachis ſimpliciter dictis ſpecifica fieri debeat ad eos extenſio & expreſſio; quod etiam in Jure Eccleſiaſtico L. III. Tit. 35. cautum, & prout oſtenſum eſt, usque ad tempora Kempiſianis contiqua obſervatum eſt. Hinc etiam benevolo Lectori obſervare licebit, quàm parum iſte Gerſeniſta exercitatus ſit in Dialecticis, more eorum, qui Critica tentant ſine primis Philoſophiæ Scholaſticæ Elementis, non ſolùm tranſeunte velociter terminorum ſonitu per modum inſpectionis momentaneæ in Lexico, ſed per exercitationem ſolertem menti impreſſis. Perpetuò enim per duodecim folia tranſit à *dictis ſimpliciter* ad *dicta ſecundum quid*, & à *dictis ſecundum quid* ad *dicta ſimpliciter*. Quotiescunque enim reperit terminum Monachi in Religioſo, infert, eum fuiſſe ac eſſe Monachum ſimpliciter dictum ſub regula S. Benedicti vel alterius Patris Monachorum; & viciſſim, ubicunque reperit, Religioſum vel Scriptorem non aſſeri Ordini S. Benedicti vel alterius Patriarchæ Monachorum, negat, illi convenire terminum Monachi. Abſurditas ejusmodi ratiocinii declarari poſſet variis exemplis. Sic terminus *fratris* ac *ſororis* in Scripturis *aliquando* ſumitur in ſenſu latiori pro conſanguinea perſona in ſecundo gradu; ordinariè verò in ſenſu reſtrictiore, ac ſimpliciter pro perſona conjuncta in primo gradu. Terminus *Sacramenti* millies occurrit in Scriptura & Patribus. Frequentiſſimè in Scriptura terminus, *Sacramentum* ſumitur pro *ſigno ſpeculativo* collatæ, vel conferendæ humano generi generalis, aut perſonis particularibus particularis, qualiscunque demum, gratiæ: aliàs verò nunc ſumitur pro *ſigno practico* collativo perſonis particularibus ſanctificantis gratiæ. Quàm ergo foret abſurdus, & eximie ineptus, qui ex nudo termino Sacramenti non inſpecta capacitate ac exigentia ſubjectæ materiæ ſtatim definitivè concluderet pro uno vel altero ſignificato ad ſuum libitum! Hanc abſurditatem Gerſeniſta Ratisbon. ſuomet in ſe ipſo præſenti inſigni Documento comprobat.

Ad 3. *circa* 1. dico, V. Thomam K. anno 1415. jam compleſſe annum ætatis trigeſimum quintum. In hac ætate non vocari ſolent

amplius *Juvenes*. Alioquin quot reperiremus in Univerſitatibus, Academiis, Lycæis, Studiis generalibus Regularium &c. docere *Juvenes ex cathedra*? Solane Aſceſis, pauciſſimis comprehenſa ex Evangelio principiis, quæ Magiſtro quotidie intus docente diſcitur, ubicunque auditores benevolos reperit, etiam ab iis, qui jam virilem ætatem Chriſti transgreſſi ſunt, junioribus explicari, vel in uſus proprios pro incitamento annotari non poterit? Certe non multorum annorum experientia, ſed paucorum ſolùm requiritur, ut quilibet Religioſus ſua vel coæqualium ex Novitiatu fervoris incrementa vel decrementa advertere poſſit. Quod ſi etiam ad experientiam circa vias internas reſpiciendum ſit, nulla via luminis & gratiæ, nullum genus reciprocæ converſationis internæ inter Deum & animam, nulla conſolationum, derelictionum, illuſtrationum, obſcurationum &c. Variatio, latere poteſt eos, qui in collationibus Caſſiani, libris Moralium D. Gregorii in Job, in Opuſculis D. Bernardi & D. Bonaventuræ Aſceticis &c. verſati ſunt. *Quoad* 2. negari poteſt; V. Thomam K. ſuos quatuor libros de Imitatione ſcripſiſſe pro ſuorum Confratrum inſtructione. Id enim à Gerſeniſta probari nequit. Totum opus coaluit ex quotidiana annotatione luminum, quæ partim ex meditatione, partim ex lectione piorum Opuſculorum, partim ex publicis exhortationibus ſuorum Superiorum, præſertim Joannis de Kempis ſui germani fratris, hauſerat.

AD 4. Imprudenter egiſſet *Joannes de Huesden*, ſi ſuis Religioſis librum Neoſacerdotis præ ſuo Opuſculo aſcetico, in omnium manibus verſante, commendaſſet, quod per modum teſtamenti ac compendioſæ regulæ in articulo etiam mortis adhuc commendare voluerat; præpræſertim, cùm liber *de Imitatione* à V. Thoma K. magna ex parte excerptus ſit ex iſto Opuſculo *Joannis de Huesden* prout in *Appendice* monſtrabitur *Num. I.* Si autem liber de Imitatione jam præcedentibus ſæculis notus fuiſſet, ſine dubio fuiſſet à Magiſtris Aſceſeos lectus & junioribus commendatus. Econtra in Concilio Conſtantienſi Religioſis aliisque eò convenientibus maximè *Joanni Gerſoni*, & *Joanni Vincellenſi* commendare potius aliena quàm ſua, lex prudentiæ & ratio honeſti poſtulabat.

AD 5. V. Thomam collegiſſe eas gnomas, quæ à *D. Florentio* poſt annum 1400. dictæ vel ſcriptæ ſunt, nemo ſomniavit unquam. Collegiſſe autem V Thomam poſt annum 1400. breves ſententias, admonitiones, ac Inſtitutiones à ſuo dilectiſſimo Patrono *D. Florentio* ante annum

num 1400. dictas, patet ex vita hujus viri Apoſtolici ac Presbyteri ſæcularis à V. Thoma per triginta Capita fusè deſcriptâ, & inſerta editioni omnium Operum Kempiſianorum, etiam noviſſimæ Colonienſi 1728. Videtur, Gerſeniſtam Ratisb. aut non vidiſſe hanc vitam, aut eam generoſe tranſiliiſſe.

Ad 6. Hæc conjectura fundamento & inſignis Regulæ Criticæ principio de textibus aliorum Scriptorum aſſutis caret. Prout enim P. Coustant Benedictinus in ſuis Animadverſionibus *prolegomenis* ad Epiſtolas Decretales Summorum Pontificum rectè advertit, aſſutamenta integrorum longiorum textuum intexta alienis Scripturis ordinariè nec connaturali nexu (addo; nec eodem ſapore nec eodem ſpiritu nec eodem ſtylo) cum antecedentibus & conſequentibus cohærent. Econtra illa Epiſtola Paſtoralis, ſeu potius Regula, *Joannis de Huesden*, Chronico Windesheimenſi inſerta, continuo naturali nexu, eodem ſtylo, eodem ſpiritu, eodem ſapore per modum Epiſtolæ, ad uſum fratrum Laicorum duntaxat idiomate germanico ſcriptæ, liberrimè decurrit. Ejusmodi autem Epiſtolis idiomate vulgari ſcriptis, ſi aliquando inſeruntur doctrinæ ſcriptorum latinorum ſine allegatione Scriptoris, non ſolent ſcrupulosè verba verbis reddi, ſed solùm ſenſus retineri. Cum ergo verſio latina Chronico Windesheimenſi inſerta cum textu latino libri *de Imitatione* exactè reſpondeat, potius præſumendum, Joannem de Huesden non ex libro de Imitatione ſuam Epiſtolam texuiſſe, ſed interpretem latinum fuiſſe ipſum authorem libri de Imitatione ſuomet ſenſu liberrimè reddentem verba germanica ſui Generalis, quam verſionem Buſchius retinuit.

Ad 7. Gerſeniſta Ratisb. hoc loco prodit miram incuriam ac feſtinationem in inquirendo, & temeritatem in aſſerendo ac negando. Textus, quem fatetur ſe non inveniſſe, reperitur in Chronico Windesheimenſi, Lib. II. Capite 21. in editione Antverpienſi de anno 1621. quæ extat unica. En! feſtinationem & incuriam Gerſeniſtæ! *Aſſerit*; textum textui per manum falſarii adjectum, *negat*que textum eſſe genuinum. An profert aliud Manuſcriptum incorruptum? *Nullum.* An profert aliam editionem Chronici Windesheimenſis? *Nullam.* An ſaltem affert rationem probabilem corruptionis? Reipſa *nullam.* Rationem enim ſuſpicandi corruptionem hanc unicam adducit, quia Thomas Kempenſis in Chronico Montis S. Agnetis de ſui præſentia in obitu ſui Generalis nullam injicit mentionem, ſed solùm dicit; quod *duo Fratres de Monte S. Agnetis* advenerint,

rint, nulla facta mentione ſuiipſius. Verùm hæcne dicuntur ſincero amore veritatis, an ſtudio fallendi Lectores? Buschius teſtatur, unum horum duorum Fratrum fuiſſe Thomam Kempenſem, eumque habuiſſe in ſomno viſionem de inſtante beata morte Huesdenii. V. Thomas in ſuo Chronico rem geſtam terminis generalibus confirmat; de ſuo autem nomine ſilet. *Contigit*, inquit C. 19., *ut ante paucos dies obitûs duo Fratres ex monte S. Agnetis venirent. Tunc unus illorum eadem nocte tale ſomnium habuit, præſagum futurorum.* Ita textus Kempiſii. Quæſo! an V. Thomas de ſeipſo nominetenus ſalvâ modeſtiâ ſcribere potuiſſet vel debuiſſet: *Ego interſui: Ego habui ſomnium præſagum futurorum?* Ubi prudentia? Itaque reticentia proprii nominis in hac re nequidem probabile fundamentum præbet expreſſum teſtimonium Buſchii de V. Thomæ præſentia ejusque ſomnio præſago futurorum, eſſe confictum, & malitiosè textui aſſutum.

Ad 8. Conteſtor, me nolle dividere infantem. Abſit, ut ullum unquam vitæ reſiduæ momentum perdam per conflictationem inutilem circa quæſtiones hiſtoricas nullius certi exitûs. Certitudinem moralem noſtro V. Thomæ non gloriâ Ordinis ductus, ſed pro complananda ad ejus Beatificationem viâ, ſicque pro inſtillanda in ſalutem plurium ex ejus Operibus pura ſine fuco eloquentiæ ſuperementienti doctrinâ adſtruo. Hanc meorum Votorum metam judiciô Sapientum teneo.

APPEN-

APPENDIX.

PRÆMONITIO.

IN Appendicem rejeci *fuſiora* quædam Documenta, partim *confirmatoria* eorum, quæ prius in DEDUCTIONE CRITICA, & in præſenti ejus SUPPLEMENTO ſcripſeram; partim etiam *correctoria*. Ad primum genus pertinet DOCUMENTUM I. & II. quæ ex *Vindiciis Kempenſibus* teſte MABILLONIO (a), à R. P. TESTELLETO, Canonico Regulari Congregationis Gallicanæ anno 1677. editis, cujus libri Exemplar primum anno præterito per amicum Pariſiis obtinuimus. Ad poſterioris generis claſſem pertinet DOCUMENTUM III. & IV. Ex horum priori conſtat, *Henricum Kalkar* non anno 1448, ſed jam 1408 obiiſſe; Authographum tamen, id eſt, propria ejus manu ſcriptum, *Librum de Imitatione*, extare nullum. DOCUMENTO IV. nobis per A. R. D. ALBERTUM LAUBSCHER, Canonicum Regularem Windesheimenſem, & Bibliothecarium in Rebdorf, virum eximie eruditum & doctum, edocemur, non *omnia* Manuſcripta Bibliothecæ Rebdorfenſis in Bibliothecam Em.[mi] Cardinalis Schönborn, Archiepiſcopi Moguntini, ſed *paucula* solùm tranſiiſſe, interque ea etiam opuſculum NUMANI, teſtis Synchroni, in hac re plane deciſivum, remanſiſſe.

In claſſem Documentorum ſuppletoriorum etiam adjungi poſſet 1.[mo] Biblia à *Joanne Fauſt* Moguntino impreſſa ſine nota anni

(a) In *Animadverſionibus*, quas Gerſeniſta Ratisb. fol. 142. recudit.

anni in duobus Tomis in folio; quam tamen aliunde conſtat fuiſſe impreſſam circa annum 1460. in ea editione Joannes Fauſtius ſeu Fuſtius quoad formam characterum fuſorum tam exactè & eleganter imitatus eſt formam Manuſcriptorum, ut prima Exemplaria hujus editionis Pariſiis pro veris Manuſcriptis habita & ingenti pretio comparata fuerint (b). Quisquis hanc Bibliam, cujus etiam nos in noſtra Bibliotheca exemplar habemus, cum Manuſcripto Gerſeniſtarum *Aronenſi* conferre voluerit, videbit, formam ſcribendi non multò diverſam eſſe.

2.do Reperi his diebus in noſtris Manuſcriptis tria Manuſcripta in uno eodemque Codice compacta, quorum unum anno 1447. exaratum eſt. Quoad formam ſcribendi ſimile eſt Libro de Imitatione Manuſcripto Carthuſienſium in Flandria, ut proin Jll.ma Scriptrix *de* LUSSAN in ſuo libro, cui titulus: *Hiſtoire de Charle* VI. Tom. IV. pag. 162. &c. non habuerit fundamentum ſolidum, libros de Imitatione adſcribendi *Henrico Kalkar*.

3.tio Ante tres Septimanas obtinuimus Verſionem Gallicam Librorum de Imitatione, impreſſam, anno 1500. in qua ordo librorum eſt ſequens. 1.mo De l' interiore Converſation. *Regnum &c.* 2.do De l' interiore Collocution. *Audiam &c.* 3.tio De l' Imitacion. Ultimus hic liber (qui aliàs 25. continet Capitula) continet Capitula 26. quorum ultimum eſt excerptum Gallicum ex eleganti Hymno JACOPONI; *De vanitate mundi*, absque mentione hujus viri. An ergo propterea Jacoponus trium priorum librorum de Imitatione author erit? Si conjecturis ſolis res ageretur: fluctuarent omnia. Verùm conjecturæ cedant morali certitudini demonſtratæ.

Docu-

(b) Vide Lexicon Melini, & Univerſale.

non deſiſtas : clama in cœlum pro adjutorio ; quære, pete, pulſa. pag. 234.

IX. Conſidera, ubi ſunt, qui Domini & Principes terræ extiterunt; ubi eſt omnis delectatio eorum? pag. 236.

X. Ad externa officia nullatenus, frater dilecte, aſpires, nec aliquam prælaturam affectes. pag. 237.

XI. Libenter, cùm poteſt fieri, ſolus ſis. pag. 238.

XII. Nihil penitùs agas ſine conſilio; & plus ſemper expertis, quàm tibi ipſi credas. pag. 239.

XIII. Humilis corde ſis, & apparatu, & nimis multùm non teneas de te ipſo. pag. 241.

XIV. Multò enim aliter ſæpè eſt, quàm nos putamus de nobis; ſed cùm parùm tangunt adverſitates, tunc nos & alii, quales ſumus, experimur. ibid.

XV. Ama neſciri, & ab aliis contemni opta. pag. 242.

XVI. Iſtud ultimum noli negligere, quia cùm cognoveris, quantum in notitia defectuum tuorum profeceris, tantum in Dei cognitione proficies. pag. 243.

XVII. Quamvis autem tibi, dilecte frater, regulam ad ſancta qui-

tuo. Fulgura coruſcationem, & diſſipa eas; emitte ſagittas tuas, & conturbentur omnes inimici; recollige ſenſus. L. 3. c. 48.

IX. Dic mihi, ubi ſunt modò omnes illi Domini, quos benè noſti, dum adhuc viverent, & ſtudiis florerent in vita ſua? aliquid videbantur, & modò de illis tacetur. O quàm citò tranſit gloria mundi! L. 1. c. 3.

X. Multo tutius eſt ſtare in ſubjectione, quàm in prælatura. L. 1. cap. 9.

XI. Pete Secretum tibi; ama ſolus habitare tecum. Lib. 3. c. 53.

XII. Cum Sapiente & conſcientioſo conſilium habe, & quære potiùs à meliori inſtrui, quàm tuas adinventiones ſequi. L. 1. c. 4.

XIII. Hæc eſt altiſſima & utiliſſima lectio, ſui ipſius vera cognitio, & deſpectio, de ſe ipſo nihil tenere. L. 1. c. 2.

XIV. Quantæ virtutis quiſque fuerit, melius patet occaſione adverſitatis: occaſiones namque hominem fragilem non faciunt, ſed qualis ſit, oſtendunt. L. 1. c. 16.

XV. Ama neſciri, & pro nihilo reputari. L. 1. c. 2.

XVI. Quantò aliquis magis ſibi ſimplificatus fuerit, tantò plura & altiora ſine labore intelliget. L. 1. cap. 3.

XVII. Aliis loquor communia, aliis ſpecialia, aliquibus in ſignis

&

dem Exercitia citiùs perveniendi ſignavi, noveris tamen, quòd omnibus hominibus non æqualiter iſta conveniunt, quia Dona S. Spiritus ſecundùm ſuam qualitatem hominibus conceſſa multiformia ſunt: uni autem ſic, alteri verò aliter. pag. 245.

& figuris dulciter appareo, quibusdam verò in multo lumine revelo myſteria: una vox Librorum, ſed non omnes æquè informat, quia intus ſum doctor veritatis, ſcrutator cordium, diſtribuens ſingulis ſicut dignum judicavero. L. 3. c. 47.

XVIII. Deus noſter, cùm magnus ſit, & potens, diverſis modis vult ſibi ſerviri: unus enim in Chriſti vulneribus requieſcit, quod eſt ſecurius, alter in ineffabilibus & mirabilibus operibus ejus jubilat & exultat. Proba autem, frater chariſſime, an hæc internæ inſpirationi tuæ conveniunt. pag. 245.

XVIII. Non poſſunt omnes unum habere exercitium, ſed aliud iſti, aliud illi magis deſervit. L. 1. c. 19. Et, ſi neſcis ſpeculari alta & cæleſtia, requieſce in Paſſione Chriſti, & in ſacris vulneribus ejus libenter habita. L. 2. c. 1.

XIX. Hinc eſt, quòd oportet hominem ſtrenuè cum David clamare, & ad quid vocetur, conſiderare dicendo. Audiam quid loquatur in me Dominus Deus. ibid.

XIX. Audiam, quid in me loquatur Dominus Deus. L. 3. c. 1.

XX. Si quis tamen in his defecerit, hoc Spiritus ſanctus perfectiùs te docebit, quàm aliquis id te poſſet edocere. ibid.

XX. Ego ſum, qui doceo hominem ſcientiam, & clariorem intelligentiam parvulis tribuo, quàm ab homine poſſit edoceri. L. 3. c. 47. & infra: Ego ſum, qui humilem in puncto elevo mentem, ut plures æternæ veritatis capiat rationes, quàm ſiquis decem annis ſtuduiſſet in Scholis.

XXI. Prandio facto, cùm tibi vacaverit, alia aſſumes exercitia tibi timorem incutientia. Meditare de omnibus Dei beneficiis, de extremo judicio, de morte, de pœ-

XXI. Quære aptum tempus vacandi tibi, & de beneficiis Dei frequenter cogita; tales perlege materias, quæ compunctionem præſtant. L. 1. c. 20. & ſeqq. Agit de morte,

nis inferni, de Paſſione Domini, de peccatis, de regno cœlorum. pag. 246.

XXII. Præter hæc præcepta, Frater chariſſime, à me tibi hactenùs tradita, interdiu ſemper memineris, ex Divinis & Eccleſiaſticis Officiis aliquid, aut Hymnum videlicet, aut Antiphonam, aut orationem animo revolvere, quoniam hæc omnia cor hominis mirabiliter illuminant, vanasque & noxias cogitationes ſæpè multùm interturbantes ſenſim amovent & expellunt. pag. 246.

XXIII. Juxta hunc modum Fratres devotarum Congregationum & Fratres in Vindeſem ſe ſolent exercere. ibid.

de extremo judicio, de pœnis inferni, de Paſſione Domini, de peccatis, & de regno cœlorum.

XXII. O quàm ſuavis eſt, Domine, ſpiritus tuus, qui ut dulcedinem tuam in filios demonſtrares, pane ſuaviſſimo de cœlo deſcendente illos reficere dignaris! *L. 4. c. 13. n. 2.* Ex Officio Divino.

O mira circa nos pietatis tuæ dignatio. *L. 4. c. 3. n. 4.*

Tua me Domine, gratia ſemper præveniat, & ſequatur, ac bonis operibus jugiter præſtet eſſe intentum. Per JEſum Chriſtum Filium tuum. Amen. *L. 3. c. 55. n. 6.* Ex Officio Divino.

XXIII. Utinam in te non dormiret profectus virtutum, qui multa ſæpiùs vidiſti exempla Devotorum. *L. 1. c. 18. n. 6.*

In veritate confiteor, Domine, quod non decet me inter Devotos tuos commorari. *L. 3. c. 52. n. 4.*

Quando recordor Devotorum aliquorum, tunc ſæpius in me ipſo confundor & erubeſco. *L. 4. c. 14.*

DOCUMENTUM II.

INter alias præſumptiones, quod author libri de Imitatione fuerit Clericus Congregationis Windesheimenſis, à R. P. *Teſtelleto* Canonico Regulari Pariſienſi adhibetur etiam hoc argumentum. Quod uſus Epitheti *Devotorum*, & prorſus *conſimilia exercitia devotionis* nullis aliis ſcriptoribus tam familiaria fuerint, quàm Windesheimenſibus, quod probatur ab inductione ſimilium Textuum in Libro de Imitatione, & in aliis opuſculis V. Thomæ, aliorumque Windesheimenſium.

I. De

I. De quorúndam *Devotorum* ad Corpus Chriſti ardenti deſiderio. O quàm magna, inquit, multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abſcondiſti timentibus te? Quando recordor *Devotorum* aliquorum ad Sacramentum tuum, Domine, cum maxima devotione & affectu accedentium, tunc ſæpiùs in me ipſo confundor & erubeſco. Quod non ita vehementer ſum attractus, & affectus, ſicut multi *Devoti* fuerunt, qui præ nimio deſiderio comunionis & ſenſibili cordis amore à fletu ſe non poterant continere; ſed ore cordis & corporis pariter ad te Deum fontem vivum medullitùs inhiabant, ſuam eſuriem non valentes aliter temperare & ſatiare, niſi corpus tuum cum omni jucunditate & ſpirituali aviditate accepiſſent. L. 4. c. 14.

I. Devotus *Pater* Florentius, *dum Divina Myſteria celebraret, Chriſtus cor ejus & animam ſpiritualis lætitiæ vino potiſſimum replevit, ut omnia interiora ejus divini amoris incendio ferverent, atque in voce exultationis cum Propheta jubilaret dicens:* Cor meum & caro mea exultaverunt in Deum vivum. *V. Thom. in Vita* Florentii *c.* 3.

II. Licèt tanto deſiderio tam *ſpecialium Devotorum* tuorum non ardeo, tamen de gratia tua illius magni inflammati deſiderii deſiderium habeo. ibid. n. 3.

II. Devotus *Frater* Joannes de Huesden *juſſus eſt ad altiora conſcendere, & ad ſacros Ordines promoveri. Sed, ô Deus, quot ſuſpiria, ſingultus & lamenta tam humilis & verecundi fratris! factus Presbyter, Frater* devotus, *omnem animæ ſuæ profectum in hoc ſciens conſiſtere, ſi rem tantam, prout eſt in veritate, dignè ponderaret. Chron. Windesh. Buſchius in L.* 2. *c.* 12.

III. Utinam in te non dormiret profectus virtutum, qui multa ſæpiùs vidiſti exempla *Devotorum*. L. 1. c. 18. n. 6.

III. Devotus *Pater Willelmus Wornecken circa Eucharistiæ venerabile Sacramentum valde fuit timoratus. Buſchius L.* 2. *c.* 49.

Item.

IV. Offero tibi omnia pia deſideria *Devotorum.* L. 4. c. 9. n. 5.

V. Poteſt quilibet *devotus* omni die ad ſpiritualem Chriſti communionem & ſine prohibitione accedere, & tamen certis diebus & ſtatuto tempore Corpus ſui Redemptoris cum affectuoſa reverentia ſacramentaliter debet ſuſcipere: nam toties myſticè communicat, quoties Incarnationis Chriſti Myſterium, Paſſionemque *devotè* recolit, & in amore ejus accenditur. L. 4. c. 10.

VI. Multi *devoti* fuerunt, qui præ nimio deſiderio comunionis & ſenſibili cordis amore à fletu ſe non poterant continere; ſed ore cordis & corporis pariter ad te Deum fontem vivum medullitùs inhiabant, ſuam eſuriem non valentes aliter temperare & ſatiare, niſi corpus

Item. Devotus *Pater Willelmus Wornecken omni modo, & admodum reverenter & devotè afficiebatur ad venerabile Sacramentum, maximè quando celebrabat. Idem L. 1. c.* 33.

IV. Devotus *Pater Arnoldus Kalkar frequenter ſic afficiebatur, ut futuræ vitæ gaudia præ dulcedine Dei & decore Domus ejus, quem dilexit in hac valle miſeriæ, ſæpiùs prægustare, eumque devotiſſimè à longè ſalutare cerneretur, ita ut ejus deſiderio fruibilique præſentia & longâ dilationis ejus expectatione inter Miſſarum ſolemnia, multarum lacbrymarum gratiâ eum ſæpè perfuſum videremus. Chron. Wind. L. 2. c.* 23.

V. Vidimus in Windesheim devotum *Fratrem Petrum de Gouda, qui, dum penè quotidie celebrabat, à Priore ſuo modeſtè increparetur, humiliter & jucundè in noſtra, & Fratrum præſentia reſpondit: Pater mi, ego quidem in nulla re mundi amplius condelector in hac mortali vita, niſi in Deo ſolo, vivo, æterno, & in hac ſanctiſſimi Corporis & Sanguinis ejus communicatione. Buſchius L. 2. c.* 42.

VI. Devotus *Henricus Mandè ſæpè ſpiritu raptus gloriam Filii Dei & Sanctorum ejus aſpexit in cœlo, crebrâque revelatione cœleſtia contemplatus, gloriam cœli & inhabitantium in eo deſcripſit. Magnæ enim fuit* devotionis *& extática contemplationis, ut nunquam à la-*

cry-

tuum cum omni jucunditate & ſpirituali aviditate accepiſſent. L. 4. cap. 14.

crymis Miſſam audiendo ſe contineret. Flebat autem uberrimè, Dei liquefactus amore, & offenſionis ſuæ timore, præſertim cùm ad Eucharistiæ venerabile Sacramentum erat acceſſurus, tum totus in lacrymas videbatur reſolutus, ut chori pavimentum & corporis indumenta inundaret. Buſchius in Chronic. Windesb. L. 2. c. 43.

VII. Omnium *Devotorum* jubilationes, ardentes affectus, mentales exceſſus, & ſupernaturales illuminationes, ac cælicas viſiones tibi offero & exhibeo. L. 4. c. 17. num. 3.

VII. Devotiſſimi *Fratris Gerlaci deſcribere vitam aggredimur, cujus interna* devotio, *veritatisque cognitio externis indiciis frequenter reſultare videbantur. Inter Miſſarum ſolemnia, Officiaque divina ſancta illa gaudebat anima de ſponſi ſui præſentia, fervebat deſiderio, ardebat amore, flagrabat affectu, & per mentales exceſſus etiam corpus ſuum videbatur ſuſtollere. Gaudens gaudebat in Domino capere ſe non valens præ gaudio de divinæ bonitatis influentia, qua ſpiritus abundavit, dicens cum Pſalmiſta:* Concaluit cor meum intra me. *Item:* Cor meum & caro mea exultaverunt in Deum vivum. *O quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abſcondiſti timentibus te. Buſchius in Chron. L. 2. c. 55.*

VIII. Charitas Chriſti nunquam minuitur, & magnitudo propitiationis ejus nunquam exhauritur: ideo ſemper nova mentis renovatione ad hæc te diſponere debes, & magnum ſalutis myſterium attenta

VIII. Addebat Devotus *Gerlacus Petri, ideo ſemper nova mentis renovatione ad hæc ſacramenta debere quemlibet* Devotum *ſeſe diſponere, propterea quòd attentè conſiderandum eſſet charitatem Chriſti nunquam*

conſideratione penſare, ita magnum, novum & jucundum tibi videri debet, cùm celebras, aut Miſſam audis, ut ſi eodem die Chriſtus primùm in uterum Virginis deſcendens, homo factus eſſet, aut in cruce pendens pro ſalute hominum pateretur & moreretur. L. 4. c. 2. num. 6.

quam minui, quali affectu & charitate Dominus Noſter JEſus Chriſtus incarnari propter nos voluit, quali incomprehenſibili affectu ſeipſum obtulit æterno Patri, in Cruce pro nobis Hoſtiam ſanctam & immaculatam tali affectu & non minori offerret quotidie ſe ipſum pro nobis, præcipue in altari, & quamvis prædicta ſemel exhibita ſunt ad extra; tamen quotidie ita recenter fiunt, ſicut quando ad extra oſtendebatur, & tali nihilominus affectu à nobis quotidie ſuſcipi deberent, ac ſi jam in inſtanti fierent, quæ Dominus noſter JEſus ad ſalutem noſtram tempore ſuo exhibere dignatus eſt. V. Teſtelletum *fol.* 92.

IX. Quòd utile ſit ſæpius communicare. L. 4. c. 3.

Quòd multa bona præſtantur *devotè* communicantibus. Eod. c. 14. Item: frequenter recurrendum eſt ad fontem gratiæ & divinæ miſericordiæ, quatenus contra univerſas tentationes, & fallacias Diaboli fortior atque vigilantior effici merearis. Eod. c. 10.

IX. Vellem, ſi eſſet poſſibile, ut poſt hujusmodi exercitia, cum Superiorum tuorum conſenſu ſemper ad octo dies communicares, quia ſic mirabilem gratiam & ſpecialem acciperes fortitudinem contra omnes inimici tentationes, & ego ſperarem id Deo valdè acceptum. Joan. de Huesden.

X. Quàm felix ille eſſet, & Deo acceptus, qui ſic vivit, & in tali puritate conſcientiam cuſtodit, ut ètiam omni die communicare paratus ſit, & benè affectatus eſſet, ſi ei liceret, & ſine nota agere poſſet: ſi quis tamen interdum abſtinet, humilitatis gratiâ, aut legi-

X. Licèt ita ſæpè aliquando celebraret, ut hinc mirarentur ſui, quòd ſæpiùs reverentiæ causâ non abſtineret, per humilem tamen aliquando vel ſemel in hebdomada ab hujusmodi Myſteriis Divinis ſubſtractionem quaſi mente renovatus vehementiori deſiderio ad eorum celebrationem

tionem

timâ impediente cauſa, laudandus eſt de reverentia. L. 4. c. 10. n. 5.

XI. Non decet me inter *Devotos* tuos commorari. L. 3. c. 52.

Utinam in te non dormiret profectus virtutum, qui multa ſæpè vidiſti Exempla *Devotorum*. L. 1. cap. 18. num. 6.

Quando recordor *Devotorum*, tunc in me erubeſco. L. 4. c. 14.

tionem peragendam ardentiùs iterum inflammabatur. Buſchius L. 2. c. 14. de Joan. de Huesden.

Item: Licet omnium Religioſorum exercitiorum finem eſſe ſæpiùs diceret. Guſtare & videre in Sacramento Altaris quàm ſuavis eſt Dominus, tamen ipſe nunquam continuè celebrare præſumpſit, nec Fratres ſuos in hoc eſſe quotidianos unquam ſibi complacuit, quin & eos propterea notabat. Idem L. 2. c. 49. de Willelmo Worneken.

XI. Cùm igitur, inquit, ſtudii causâ, in annis adoleſcentiæ Daventriam perveniſſem, quæſivi iter pergendi ad Regulares in Vindeſem, ibique inventis Fratribus Canonicis Regularibus cum Germano meo, hortatu illius inductus ſum adire ſumma reverentiæ virum Magiſtrum Florentium. Adjunctus tam devoto *Viro &* devotis *ejus Fratribus, quotidie devotam eorum converſationem attendi; nunquam priùs tales homines vidi tam* devotos. *Ven. Thom. In Vita Joan. Gronde Cap. 1.*

DOCUMENTUM III.

De prætenſo Libro de Imitatione HENRICI KALKAR *Carthuſiani, antiquioris V. Thomâ.*

1. CERTUM EST, *Henricum Kalkar* Carthuſianum, pietate & doctrina præſtantem jam obiiſſe anno 1408; erraſſe proin *Gundlingium*, *Morerium*, *Swertium*, *Foppenium &c.* qui ejus mortem ad añum 1448. refe-

referunt, quorum errorem in *Deduct. Crit.* §. 245. fol. 294 ipſemet indiſcuſſum reliqui.

2. Certum est. Adeo non conſtare, Librum de Imitatione manu *Henrici Kalkar* ſcriptum vel deſcriptum eſſe, ut potius conſtet de oppoſito.

3. Utraque aſſertionis pars ex Documentis diligentiſſima mea perveſtigatione noviter retectis liquidè probatur.

4. Pars prima, quod Henricus Kalkar jam obierit anno 1408. ſatis convincenter oſtendit modernus Bibliothecarius Bibliothecæ Equitum Melitenſium Argentorati vir eruditiſſimus æquè ac humaniſſimus (c) quem per RR. Superiorem Canonicorum Regularium ad *S. Ludovicum* rogaveram, ut ex Epiſtolis Manuſcriptis *Henrici Kalkar* in ea Bibliotheca aſſervatis certiora perquireret. En! Ejus Reſcriptum de anno obitus Henrici Kalkar.

(c) Franciſcus Joſephus Mel. Menvvecq, Ordinis S. Joannis Hyeroſol. Presbyter, Commendæ Argentinenſis & Seleſtadienſis Capitularis, per Allemaniam Superiorem Vicarius Generalis.

RESCRI-

RESCRIPTUM

RR.mi BIBLIOTHECARII ARGENTORATENSIS.

Licet DICTIONARIUM de *Moreri*, *Andream* in Bibl. Belg. & *Petreium* in Bibl. Carth. citans, *Henricum Kalkar* anno Domini 1448. mortuum eſſe teſtificetur: tamen ex Libro MS. qui in noſtra Bibliotheca ſub Lit *D*. N. 108. extat, in quo numeri annorum, quibus epiſtolæ ſcriptæ ſunt, adjiciuntur, eum non anno 1448, ſed potius 1408 mortuum eſſe, apparet; ſiquidem ejus epiſtolæ in hoc MS. contentæ non ulterius quàm usque ad annum 1408. progrediuntur. Nunc epiſtolas ea ſerie, qua ab *Henrico Kalkar* datæ ſunt, recenſebo, quia mutatus eſt Ordo in MS.

1. Incipiunt Epiſtolæ M. *Henricj Kalkar* de Ordine Carthuſienſi. Primo ad *Petrum Novitium* de *quotidiano holocauſto* orationis ſpiritualis Exercitii domus Confluentiæ, cui circa annum Domini 1370. iſtam miſit Epiſtolam. 1370
2. Epiſt. ſecunda ejusdem, ad eundem *de Regimine ordinato & morali*, eodem tempore.
3. Epiſt. ejusdem ad Joh. *Bacherach*. Monachum Confluentiæ.
4. Item ejusdem ad eundem ſed longo tempore ante præcedentem miſſa *de patientia & modo orandi*; anno Domini 1377. 1377
8. Epiſt. ejusdem ad Dominum *Johannem* militem *de Cervicorno* commorantem apud Carth. prope Moguntiam anno 1380. 1380
9. Item ad eundem Johannem Militem.
10. Epiſtola KALKAR ad Fratrem *Johannem Capis* Monachum Confluentiæ.
11. Item Epiſtola ejusdem ad eundem Fratrem multum ædificatoria.
12. Item Epiſt. M. Henrici KALKAR ad Dominum *Johannem Stock* quidem Procuratorem Domus Confl. & eſt Libellus Repudii ad mores ſæculares animæ religioſæ prius adulteræ denuo autem JEſu Chriſto per gratiam deſponſatæ.
13. Epiſt. Kalkar ad quemdam Fratrem
5. Epiſt. ejusdem ad Conradum *Winckel* abſolutum ab officio procurationis informans eum quomodo poſtea ſe regat. 1384. 1384
7. Epiſt. ejusden reſponſiva, ſcilicet M. Henrici Kalkar pro Priore Colon. de modo obſervando in Miſſa & de abſtinentiis faciendis circa annum Domini 1384. ad 1384 Priorem Moguntiæ.
17. Item Epiſt. ad Joh. Kes Vicar ad Carth. Mogunt. datum in Epiſtola ipſa eſt 1390. 1390
18. Epiſt Kalkar ad Johannem Kes noviter factum priorem datum in ipſa Epiſtola eſt 1392. 1392
16. Epiſt. Domini Gerlaci Carth. Confl. ad Kalkar interrogativa 1394. 1394
  Epiſt. reſponſialis Kalkar ad eundem Gerlacum.
4. Epiſt. ejusdem ad novum Priorem Domus 1404. 1404
14. Epiſt reſponſiva M. Henrici Kalkar ad prædictum, circa annum Domini 1405. 1405
19. Epiſt. Kalkar ad quemdam priorem invitum exiſtentem in officio ſuo miſſa ei anno 1405. 1405
20. Tractat. de diſtinctione ſcientiarum H. Kalkar ad Petrum Monachum Confl

1406 25. Item Epiſt. Interrogativa Fratri Joanni Dolz anno Domini 1406.
Epiſtola reſponſiva Kalkar.
21. Item Epiſt. Kalkar quare & quomodo compoſiti fuerint iſti libri ſcilicet Summarum, Decretum, Decretalis Sextus - Clementis & cætera plura ad Fratrem Johannem Dolz.
1407 Epiſtola Fratris Jo. Dolz ad Kalkar in utrisque epiſtolis ipſis datum 1407. eſt.
22. Reſponſio Kalkar ad prædicta.
23. Incipit exhortatio Domini H. Kalkar ad Petrum Monachum de perfectione mentis.
1370 24. Explicit exhortatio Kalkar infra annos 1370. 1480. Itaque diverſis temporibus & in diverſis litteris miſit ad eum prædicta.
1408 NB. Auctor, qui hunc librum *deſcripſit*, in eo peccavit, quod numerum 8. antepoſuit o, quum ſcribere voluerit 1408.
25. Item Epiſtola ejusdem.
26. Item ejusdem exhortatio.
28. Item ejusdem ad eundem.
29. Item ejusdem ad eundem.
Epiſtola interrogativa Domini Gerlaci Monachi Conſl. ad Kalkar, in hac iterum
1407 Epiſtola datum eſt anno Domini 1407.
30. Epiſtola Kalkar reſponſiva ad prædictam Epiſt. Fratris Joannis Dolz interrogans quædam dubia de præſcripta Epiſtola, in ipſa Epiſtola datum eſt anno Domini
1407 1407. in vigilia Nativitatis Mariæ Virg. Epiſtola Kalkar reſponſialis ad prædicta.

Hæ ſunt omnes Epiſtolæ M. Henrici Kalkar, quæ ferè annum 1408. attingunt, hinc quia plures Epiſtolæ ab Hen. Kalkar non extant, & ipſe anno 1370. ſcribere incepit, colligo anno 1408. mortuum eſſe. Si enim vitam usque ad 1448 prorogaſſet, ſequeretur, eum jam ſecundo ætatis anno litteras dediſſe, quod non credibile, nemo enim ignorat, puerum duorum annorum nec legere, multo minus ſcribere poſſe. *Jœcherus* quoque vir clariſſimus, qui de hiſtoria litteraria optimè meritus eſt, & omni ſtudio maximâque diligentia ex optimis auctoribus vitam, annum emortualem, atque ſcripta omnium Doctorum collegit, in Lexico ſuo Eruditorum dicit Henricum Kalkar anno 1408. mortuum eſſe, Andream Bibl. Belg. Svvertin. Athen. Belg. Trithemium de Script. Eccleſ. Tabricii Biblioth. Lat. med. ævi teſtes adhibens.

Hucusque Reſcriptum moderni RR.mi Bibliothecarii Argentoratenſis, ex quo ſequitur; Henricum Kalkar anno 1408 mortuum eſſe. Cui Reſcripto addo Obſervationem notatu dignam. Si liber de Imitatione jam exſtitiſſet tempore Henrici Kalkar, Aſcetæ celeberrimi, non potuiſſet facile effugere ejus notitiam, æſtimationem, & commendationem. Ideo nomine publico convenio RR. Bibliothecarium pro curanda editione commercii Epiſtolaris aliorumque MSS. Henrici Kalkar. Sic enim aliquando habebitur Epocha ſatis certa libri de Imitatione intra annum 1408 & 1416.

ALTERA

Altera Pars. Quod *Libri de Imitatione* ab Henrico Kalkar ſcripti non ſint, oſtenditur ex eo, quia eodem charactere ibi ſcriptum invenitur num. 10. Opuſculum S. Ephrem, ſcriptum 1419. & Opuſculum Joannis Delf ſcriptum 1428. Quod verò Libellus *de Imitatione* dicatur *copulatus à quodam devoto Carthuſienſi* nil prohibet, hunc terminum *copulatus* ſumi in ſenſu ſuo obvio, ac proprio, ita ut idem ſignificet, ac *adjunctus* prioribus *Bernardi*, *Rusbrochii*, *Hieronymi*, *Petri Delf* expoſitioni Orationis Dominicæ ſcriptæ anno 1428. Accedit, quod RR.mus Bibliothecarius Argentoratenſis teſtetur, totam illam Epiſtolarum ab Henrico Kalkar exaratarum collectionem non ab ipſomet Kalkar, ſed ab alio juniore, eoque imperito Copiſta ſcriptam eſſe. Idem proin ſentiendum de eo, qui ſcripſit, & in unum Codicem *copulavit* alios Tractatus cum libris *de Imitatione*.

Recens Epiſtola RR.mi P. Brunonis Pede *Prioris Carthuſienſium in Flandria ad RR.DD.* Bosman *Priorem Lovanienſem* Can.Reg. ad D.Martinum idem monſtrat. Sic habet:

Reverende admodum Domine.

Petitioni tuæ libentiſſimè ſatisfacio in quantum poſſum, ſed non in quantum Dominatio veſtra indigere videtur. Ad primum punctum ergo: Invenio hic in libro in 12.mo in quo varii Tractatus MS. in pergameno ſcripti, circa finem Tractatum unum, qui habet pro titulo: Quidam utilis Tractatus proficere volentibus, compoſitus à quodam Carthuſienſe nomine Kalkar. primo de exercitio Compunctionis Caput primum, & habet Capitula undecim. Tractatus ille valde ſimplici ſtylo ſcriptus eſt, & habet interdum illam exclamationem: Och mi Domine, och ay mi Domine! in fine habet: Explicit Monachale Exercitium.

In eodem Libro *compactus eſt* ſequens, qui pro titulo habet: *Ammonitiones de Sacramento. Cum quantâ reverentiâ Chriſtus ſit ſuſcipiendus.* Et incipit: *Venite ad me omnes, qui laboratis*, hic eſt Liber 4 tus, quem videmus in Libello *de Imitatione Chriſti*, & *eſt hic ſolus*. Et habet in fine: explicit hoc Opuſculum devotiſſimum de venerabili Sacramento.

Alter Liber etiam in 12 mo ligatus & ſcriptus in pergameno & nitido charactere, continet 4.or *Libros de Imitatione Chriſti*. Pro Titulo habet *Liber primus*: *Incipiunt ammonitiones ad ſpiritualem vitam valde utiles & notabiles, & primò de Imitatione Chriſti & contemptu omnium vanitatum mundi*, & incipit: *qui ſequitur me &c.* & continet capitula 25. & habet in fine: *Expliciunt ammonitiones &c.* 2.dus Liber habet pro titulo: *Incipiunt ammonitiones ad interna trahentes*, & primò *de interna converſatione.* Capitulum 1.um *Regnum Dei intra vos eſt &c.* & continet 12. capitula.

tula. in fine habet: *Expliciunt ammonitiones ad interna trahentes.* 3.tius Liber habet pro titulo: *De interna Chriſti locutione ad animam fidelem.* & incipit: *Audiam, quid loquatur in me Dominus Deus &c.* Et habet 59. capitula. in fine habet: *Explicit Liber internæ conſolationis.* 4.tus Liber pro titulo habet: *Cum quanta reverentia ſit Chriſtus ſuſcipiendus.* & incipit: *Venite ad me omnes &c.* & habet capitula 18. & in fine ſcribitur: *Explicit hoc Opuſculum devotiſſimum de venerabili Sacramento. Deo gratias.*

Liber item alter in 12.mo ſed impreſſus, in cujus initio videtur Imago viri & fœminæ Sylveſtrium, ſcutum tenentium, in quo duæ litteræ P ſimul junctæ, cum parva Cruce illis ſuperpoſita, nomen indicantes Impreſſoris *Philippi Pigouchet.* Altera facies habet imaginem Salvatoris noſtri in Cruce pendentis & Judæorum adſtantium &c. Continet Libellus hic 4.*or Libros de Imitatione Chriſti*, quorum primus habet pro titulo: *Incipit Liber primus Joannis Gerſon Cancellarii Pariſienſis de Imitatione Chriſti & de contemptu omnium vanitatum mundi.* Capitulum primum quod incipit: *qui ſequitur me &c.* Et habet capitula 25. & in fine: *Explicit Liber primus.* Liber 2.dus habet pro titulo: *Incipit Liber ſecundus, de interna converſatione.* Capitulum primum: *Regnum Dei intra vos eſt, dicit Dominus &c.* & continet 12. capitula, & habetur in fine. *Explicit Liber ſecundus.* Liber 3.tius habet pro titulo: *Incipit Liber tertius de interna Chriſti locutione ad animam fidelem.* Capitulum primum: *Audiam, quid loquatur in me Dominus Deus.* & habet capitula 64. & in fine: *explicit Liber tertius.* Nota, quod habeat plura capitula, quia omnes Orationes ad Deum in hoc Libro occurrentes numerat pro capitulis. Liber 4.tus habet pro titulo: *Incipit Liber quartus: Devota exhortatio ad ſanctam Corporis Chriſti Communionem. Vox Chriſti: Venite ad me omnes &c.* & habet capitula 18. & in fine: *Explicit Liber quartus & ultimus de Sacramento Altaris.* Hic immediatè præcedenti alligatus ſequitur impreſſus alter, qui habet pro titulo: *Joannis Gerſon Cancellarii Pariſienſis, Tractatus de meditatione Cordis.* & in fine ejus: *Completum eſt Opuſculum exaratumque Pariſiis per Philippum Pygouchet in vico Cythare in Locagiis Collegii vulgariter nuncupati de Dainville anno Domini milleſimo quadringenteſimo nonageſimo ſecundo, die verò quindecima menſis Julii.*

Eſt & Liber unus in Quarto in dorſo habens Litteram A, qui varia comprehendit diverſo charactere ſcripta MS. illáque antiquiſſima & ſine ullo dubio ſcripta Sæculo 15 to

Primus Tractatus ſine nomine auctoris habet in fine: *Explicit Libellus per pulchra Exempla excitans & inflammans ad devotam & ſtrenuam divinarum horarum perſolutionem Deo gratias.*

2. Tractatus eſt explicatio devota Orationis Dominicæ, Ave Maria ſalutationis, & ſymboli, & habet in fine: *Expliciunt expoſitiones Alphabeti, ſcripta per manus Joannis Petri Seinſite.* Hic, qui me ſcripſit, cum Chriſto vivere gliſcit Lauda ſcriptorem, donec videris meliorem. Laus eſt finire, pudor eſt incœpta perire, Laus in fine datur, quia is à fine probatur, ſine anno. *Nota*, quod habuimus in Carthuſia Monachum hujus domus profeſſum, qui vocabatur *Joannes Petri de Delft*, qui obiit 13 Junii 1449., & fuerat Prior Carthuſiæ de Liriqu.

3. Tra-

3. Tractatus continet verſus de vel in 12· *Abuſiones Clauſtrales.* ſine nomine auctoris vel anno.

4. *Dictamen de Laude vitæ regularis & deſpectu vitæ ſæcularis.* Item *Inſtructio S. Bernardi ad Monachos.* Item *Verſus de excellentia Ordinis Carthuſienſis*, & *de prærogativis Cellæ, Laudeque ſolitariæ vitæ.* Sine auctore vel anno.

5. Tractatus qui habet pro titulo : *Incipiunt expoſitiones diverſorum auctorum ſuper* Pater noſter *: Expliciunt diverſæ Expoſitiones diverſorum Doctorum ſuper Oratione Dominica valde utiles, quia totam Orationem Dominicam enucleant verbotenus & egregie &c. Scripta autem & finita per manus Joannis Petri Delf anno Domini* 1428. *In Vigilia Joannis Baptiſtæ. De quo laudetur, qui nos ſine fine tuetur. Amen.*

6. Tractatus ejuſdem omnino characteris, habet pro titulo : *Incipiunt Expoſitiones trium Symbolorum.* & in fine: *Explicit Symbolum beati Hieronymi.*

7. Libellus hic ſubſcriptus de quorumdam Virtutum exercitiis olim editus eſt in vulgari Lingua Brabantiæ à venerabili viro Domino *Joanne de Ruisbroec* primo Priore Monaſterii vallis viridis, Ordinis beati Auguſtini juxta Bruxellam in Brabantia, ſed poſtea ut plures homines aliarum provinciarum & etiam alterius linguæ poſſent legere & intelligere, atque ex eo in virtutibus proficere, per quemdam alium, cujus nomen ſit in Libro vitæ ad honorem Dei & ædificationem animarum ſimplici & rudi ſtylo in latinum eſt translatus, & continet 12. Capitula. *De Humilitate* Capitulum 1 um *De Obedientia* 2 dum &c. in fine habetur : *Explicit hic Libellus &c. Deo gratias.* Sine nomine ſcriptoris nec anno.

8 Tractatus habens pro titulo : *Incipit Lamentatio glorioſæ Virginis Mariæ juxta Crucem JEſu, beati Auguſtini vel ſancti Bernardi.* In cujus fine habetur: *Explicit Lamentatio Mariæ.*

9. Hic ſequitur immediatè eodem charactere ſcriptus Liber habens pro titulo ſequentia, minio ſcripta : *Incipit Libellus quidam devotus copulatus à quodam devoto Carthuſienſe domus Geliæ.* & habet tres partes principales Quarum prima ſic intitulatur : *Incipiunt ammonitiones ad ſpiritualem vitam valde utiles, & habent Capitula* 25 *Capitulum primum de Imitatione Chriſti & contemptu mundanorum. Qui ſequitur me &c.* Ultima atramento ſcripta in fine ait: *Tantum proficies, quantum tibi vim intuleris. Deo gratias.* Sequitur litteris in minio : *Explicit prima pars iſtius, incipit ſecunda, & intitulatur ſic: Incipiunt ammonitiones ad interna trahentes. Capitulum primum de interna Converſatione.* Deinde atramento: *Regnum Dei intra vos eſt &c.* Capitulum duodecimum ſic finit: *Quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare regnum Dei.* Sic finitur : *Deo gratias.* Sequitur. *Explicit 2.da pars* Incipit tertia intitulata : *Liber internæ Conſolationis & habet* 59. *Capitula. Capitulum primum de interna Chriſti Locutione ad animam fidelem.* Hæc in minio, ſequentia atramento præter diſtinctionem Capitulorum ut ante quæ ſunt ſimiliter in minio *Audiam, quid loquatur in me Dominus &c.* in fine autem ultimi Capituli habet: *Protege & conſerva animam ſervuli tui inter tot diſcrimina vitæ corruptibilis; ac comitante gratia tua, dirige per viam pacis ad propriam perpetuæ claritatis. Amen* Deinde explicit devotiſſimus Tractatulus internæ Conſolationis. Hujus libri folia partim ſunt papyracea, & partim membranea.

10. In eodem ſemper Libro A. Tractatus intitulatus : *Incipit Liber S. Effrem Diaconi atque Abbatis de Compunctione Cordis : &c.* & habet in fine : *Scriptum Daventriæ anno Domini M. CCCC. XIX. ydus Januarii* (id eſt, M. 419. Idus) *Feria 2da poſt Epiphaniam Domini horâ 4 ta vel quinta de nocte per manus Ægidii de Atrebat alias Huette. oretis pro eo unum Ave Maria propter Deum. Hic Liber eſt ſimilis characteris ut præcedens vel* equidem *parum differentis* ſicut & *ſequens.*

11. Hic habet pro titulo : *Chronica Priorum Domûs majoris Carthuſiæ.* & incipit: *quoniam atteſtante ſcriptura &c.* Hic Liber videtur quaſi *variis manibus* ſcriptus licèt omnibus antiquis, veruntamen character initii & finis videtur idem. In fine autem habet : *Compilata ſunt hæc à Domino Henrico de Kalkar ſub anno Domini ejuſdem JEſu Chriſti milleſimo tricenteſimo nonageſimo octavo , circa Feſtum B Joannis Baptiſtæ, durationis verò Ordinis Carthuſienſis anno CCC. XIIII* (id eſt 314) *Hujus Scriptoris requieſcat in omnibus horis ſpiritus in Chriſto dum mundo tranſit ab iſto.*

In eodem Libro ſunt adhuc ſex tales Tractatus MS ſpirituales ſermones &c. penultimus verò ſic incipit : *Egregio viro Joanni de Gonans , qui olim in ſæculo miles inſignis , nunc in Chriſti ſervitute cum præclara Carthuſienſi Familia illuſtrius ; ſuus Joannes Cancellarius indignus Eccleſiæ Pariſienſis &c.* & in fine : *Explicit Tractatus de non eſu carnium à Rev. Domino Magiſtro Joanne de Jarſonio* Cancellario &c. compoſitus. Ex præcedentibus facilè judicare poteſt Dominatio veſtra ; quod etiam Ordo noſter, ſi vellet, aliquid juris ſibi vendicare poſſet in lite veſtra quoad Auctorem Libri de Imitatione Chriſti : ſed in hac re me refero ad Bullam Benedicti XIV. Pontificis de Beatificatione beati Nicolai de Albergato Epiſcopi Bononienſis Cardinalis &c. de 25. Septembris 1744 in qua habet ſequentia : *At verò præclari quoque Carthuſiani Ordinis , quem nos peculiari ſtudio proſequimur , merita apud nos pondus habent , ut hac Apoſtolica Liberalitate concedamus ? eoque magis, quod ipſe Ordo non tam ſollicitus fuit* MULTOS SANCTOS SUOS PATEFACERE , QUAM MULTOS SANCTOS FACERE , ut rectè fuit adnotatum. Maxime miror , quod cùm in omnibus Codicibus de Imitatione Chriſti MS. in initio cujuſque libri ponatur : *Incipit vel incipiunt* : & in fine : *Explicit vel expliciunt* ; illa verba in Impreſſionibus hujus libri non inveniantur , ſicut verbum illud *Capitulum tale* , in cujus loco impreſſi libri habent *Caput tale.* illa verba *Incipit Liber talis* & *explicit* , & illa nominatio *Capituli* ab initio Ordinis Carthuſiani noſtri nobis in uſu fuit, & in hanc diem in Lectionibus omnibus , in ſcriptis &c. ſtrictiſſimè eſt obſervatus

Ad jus veſtrum redeo chariſſime Confrater: eſt in noſtra Bibliotheca Liber unus impreſſus in 4 to anno 1518. intitulatur ſic : *Gregoriana ſuper novum Teſtamentum,* ad finem hujus Libri compactus eſt MS. Catalogus , vel ut vocat Repertorium Librorum Domus Carthuſiæ S. Sophiæ , tunc prope Buſcum Ducis ſecundum ordinem , quo ſinguli Libri poſiti ac ſignati fuerunt, in litteris ac locis in Libraria dictæ Domûs anno 1528. ſub Litera K habet : *Thomas de Kempis de contemptu mundi & Imitatione Chriſti 1mo.*

Folio Verſo item : *Thomas Kempis de contemptu mundi & Imitatione Chriſti , cum 2. aliis.*

Loco ſignato O, num. 92. *Quartus Liber Inſtitutionis Patrum & Thomas Kempis de contemptu mundi & Imitatione Chriſti.*

Num.

Num. 101. *Thomas Kempis de contemptu mundi, & Imitatione Chriſti* 3.tio cum aliis.

Litera P. num. 47. *Ammonitiones Fratris Thomæ Kempis.* cum aliis.

Cæterum non invenio hic teſtimonium mei Conventus neceſſarium. Reſpondiſſem citius, ſed ſupervenere negotia, quæ me rebus magis urgentibus occuparunt. Maneo ad omnia alia paratiſſimus

Reverendæ Dominationis veſtræ

Ex Carthuſia in Herne propè Angiam
11. *Octobris* 1762.

Humillimus in Chriſto ſervus
F. Bruno Pede Prior.

Epiſtola recentior RR. P. Brunonis Pede, *ad RR.* DD. Bosman *Priorem Lovanienſem.*

Reverende Confrater.

Crede mihi, non capio, quo fundamento Benedictini & præſertim Galli, authorem Imitationis prætendant facere Gallum vel Italum; Flandro ſemper certiſſimum erit, Authorem aurei illius Libelli eſſe vel Flandrum vel Germanum & quidem inferioris Germaniæ; nec invideo vobis aut Ordini veſtro hanc gloriam, ſed econtrà ſicut ſuſtinui, ſic ſuſtinebo, quoad alter certiſſimus author non appareat, Thomam veſtrum eſſe vel dici veroſimiliter poſſe authorem hujus libri, ex conformitate ſtyli hujus cum ſtylo aliorum opuſculorum ejus. Mitto Procuratori noſtro Domino Franciſco van den Herrevveghe Lovanium m. ſ. Libros tres, ut ex inſpectione oculis propriis, dubiis veſtris plenè ſatisfaciam, ſi quid magis poſſem: revera facerem. Poterit D. veſtra illos examinare in illa Carthuſia ad libitum. Sum & maneo ad alia quæcunque obſequia

Dominationis Veſtræ

Herne 1. *Novembris* 1762.

Paratiſſimus famulus
F. Bruno Pede Prior.

Inſtrumentum ſolenne de manu ſcriptis Carthuſianorum de Capella *in Flandria.*

O Bemmel.

Locus Chartæ ſignatæ.

PEr hoc publicum Inſtrumentum cunctis pateat evidenter, & ſit notum, quod, cùm Reverendus Adm. & eximius Dominus Euſebius Amort Eccleſiæ Pollingenſis Canonicorum Regularium in ſuperiori Bavaria Decanus, miſſivis ſuis 8 va Septembris currentis anni 1762. datis, ac Adm Reverendo Domino Jacobo Thomæ Boſmans Priori Martiniano Lovanii inſcriptis apud fatum Priorem Martinianum inſtare dignatus ſit, dignaretur ille officia ſua interponere apud Adm. Rev Dominum Brunonem Pede Domus B M. V. de Capella apud Angiam Ordinis Carthuſienſis Priorem, quatenùs fatus Dominus Bruno Prior non gravaretur ad tempus extradere, ſi quæ habet opuſcula Domini Henrici de Kalkar, quæ in fata domo de Capella aſſervari dicuntur: fatus Rev. Adm. Dominus de Capella Prior, iteratis votis Domini Prioris Martiniani annuens, tres libros manu-ſcriptos ad Carthuſiam Lovanienſem miſit: qui quidem libri, cùm per Adm Rev. Dominum Martinum Melaert dictæ Carthuſiæ Priorem & per Belgium fati Ordinis Viſitatorem, & Rev. Dominum Franciſcum Van Hervveghen fatæ domus Procuratorem, ad manus præfati Domini Martiniani 9na Decembris 1792 extraditi fuiſſent: ſæpè dictus Adm. Rev & Ampliſſimus Dominus Jac. Thomas Boſmans Prior Martinianus & p. t. Capituli Windeſemenſis Secretarius, mihi Notario publico infra ſcripto Lovanii reſidenti, eos tres libros examinandos, revolvendos & inſpiciendos dedit, quatenùs veridicum obtineat teſtimonium.

Primus Liber in 4.to oblongo charta partim papyracea, partim pergamena conſcriptus & coreo involutus ſub fuſco ſequentes continet libellos.

1. Libellum per pulchra exempla trahentem. Sine nomine authoris & anno
2. Alphabetum ſuper Pater noſter & Ave. Conſcriptum per manus Johannis Petri Scinfich. ſine anno.
3. Libellum carmine conſcriptum de duodecim abuſibus Clauſtralibus. Sine nomine authoris & anno.
4. Dictamen de laude vitæ regularis & deſpectu vitæ ſæcularis. Sine nomine authoris & anno.
5. Sequitur inſtructio beati Bernardi ad Monachos. ſine anno.
6. Verſus de excellentia Ordinis Carthuſienſis. Sine nomine authoris & anno.
7. Expoſitiones diverſorum auctorum ſuper Pater noſter. Scriptæ per manus Petri Delf. Anno Domini 1424.
8. Expoſitiones trium ſymbolorum. Sine nomine authoris & anno.
9. Exercitium virtutum Johannis Ruisbroec. ſine anno.

10. La-

10. Lamentatio Virginis Mariæ juxta crucem ſtantis. Sine nomine authoris & anno.
11. Tres Libri primi de Imitatione Chriſti. Sine nomine authoris & anno.

Sub Charactere, quem exhibet Schematiſmus 17. n. 15.

Sed notandum, quod Liber primus ſolummodo habeat Capitula ſequentia. 1. 2. 3 . . . 14 15. 16 17 18. & 19. Cætera deſunt.

12. Liber beati Ephrem. Conſcriptus Daventriæ anno 1400. XIX Ydus Januarii per manus Ægidii de Atrebato, aliàs Hüette.
13. Chronica Priorum majoris domûs Carthuſiæ. *Characterem vide in Schematiſmo* num. XVII In fine eodem charactere: compilata ſunt hæc à Domino Henrico de Kalkar. Sub anno Domini ejusdem JEſu Chriſti milleſimo tricenteſimo nonageſimo octavo Circa Feſtum B. Johannis Baptiſtæ. Durationis verò Ordinis Carthuſienſis anno CCCXIIII.
14. Quædam verba aurea Ægydii Ordinis Fratrum Minorum ſcripta per manus Ægydii Atrebato . . cum quodam ſocio nomine Johannes Wert.
15. Epiſtola cujusdam viri approbati de Fuga mundi. Sine nomine authoris & anno.
16. Epiſtola Petri Damiani ad Blancam Comitiſſam. ſine anno
17. Tractatus de immaculata Conceptione. Sine nomine authoris, & anno.
18. Tractatus Domini Johannis Gerſon de non eſu carnium. Inſcriptus egregio Viro Johanni de Gouaſolim in ſæculo militi modo Carthuſiano. ſine anno,
19. Tractatus de pœnitentia. Sine nomine authoris & anno.

Finit Liber primus in 4.to oblongo conſcriptus.

Liber ſecundus in duodecimo & pergameno conſcriptus habet Tractatus ſequentes.

1. Soliloquium animæ continet Capitula 24. ſine nomine authoris & anno.
2. Sermo beati Bernardi Abbatis de triplici genere Cogitationum. ſine anno.
3. Ammonitiones de Sacramento, cùm quanta reverentia Chriſtus ſit ſuſcipiendus. Continet Capitula 18. ſine nomine authoris & anno. *Vide Schematiſ. num.* 17.
4. Gladius compaſſionis Beatæ Mariæ Virginis. ſine nomine authoris & anno
5. Quidam utilis Tractatus proficere volentibus compoſitus à quodam Carthuſienſi nomine Kalkar primo de Exercitio compunctionis Caput 1mum. Sed ſine anno. Num. 3. *Venite. Vide Schematiſmum* Num. 5. *Volere.*
6. Locutio cujusdam Senis, è vitis Patrum. ſine nomine authoris & anno.
7. Sententia S. Antonii Abbatis. ſine anno.

Finit Liber ſecundus in duodecimo & pergameno conſcriptus.

Liber tertius etiam in duodecimo & pergameno eadem manu & charactere, (uti exhibet Schematiſmus num. 19.) Conſcriptus, continet Libros quatuor de Imitatione Chriſti ſine nomine authoris & anno.

Primus Liber continet Capitula 25.
Secundus Liber continet Capitula 12.

Tertius Liber continet Capitula 59.
Quartus Liber continet Capitula 18.

Præſens publicum Inſtrumentum cum libris originalibus debitè collationatum per omnia etiam quoad formam characteris concordat, quod atteſtor.

J. Eyckermans, Notarius mppr.

NOs Conſules, Scabini, cæterique de conſilio oppidi Lovanienſis, teſtamur & fidem facimus Magiſtrum Jodocum Evchermans, qui præfatum inſtrumentum autenticavit, & ſignavit, eſſe Notarium Lovanii reſidentem boni nominis ac famæ, ejusque inſtrumentis publicis, plenam & indubiam fidem adhiberi, tam in, quàm extra judicium, in ſignum fidei haſce ſigillo noſtro ad cauſas muniri & ſignari per unum ex noſtris Secretariis curavimus.

Datum Lovanii hac 17. Decemb. 1762.

(L. S.) J. P. J. Van Bemmel.
1762. Scrit.

DOCUMENTUM IV.

Teſtimonium teſtis Synchroni omni exceptione majoris, ab omni ſuſpicione liberatum.

ADmodum R. P. Georgius Heſerus S. J. in Libello, cui Titulus: *Vita & Syllabus* OPERUM OMNIUM THOMÆ A KEMPIS &c. Ingolſtadii 1650. in præfatione ſic ſcribit:

LECTORI BENEVOLO.

VIta Religioſiſſimi Thomæ Kempenſis ab Auctore Anonymo, ſed Coævo, viro gravi conſcripta, ſub exitum anni 1494. Norimbergæ typis excuſa primum eſt, recuſa Venetiis 1568. Antverpiæ 1617. rurſum Venetiis 1637. Omnes hæ mutilæ ſunt editiones, deſideraturque Catalogus ille Librorum à Thoma compoſitorum, quem auctor ait ſe feciſſe, mox ſubjungendum vitæ. Quare perditus iſte Syllabus credebatur, qui nuſpiam repertus. Poſt vulgatam meam Dioptram Kempenſem, admodum nuper ex nobili in primis, & MSS libris inſtructiſſima Bibliothoca Monaſterii Rebdorffenſis Canonicorum Regularium Ord. S. Auguſtini, quod non procul

Aurea-

Aureato (Eyſtadium hodie dicitur) tres oblati ſunt mihi Codices, quorum duo ſunt achroni, tertius autem anno Domini 1488. exaratus eſt à Librario. Singuli præter alia Thomæ Opuſcula, vitam iſtius eam ipſam ab Auctore coævo conſcriptam, atque illum Librorum Syllabum, qui Auctorem habeant Thomam vitæ mox ſubjunctum repræſentant. In lucem igitur proferendum cenſui tam antiquæ veritatis pretioſum Cimelium, ut eo plurimorum deſiderium diutiùs ne defraudaretur. Atque me, quod ſit è re Kempenſi, ſine fuco, ſine palpo, in cujusquam partis ſive fraudem ſive ſtudium tranſcripſiſſe, deinceps hæc loquatur Atteſtatio.

Teſtimonium Adm. Rev. Nob. Clariſſimi & Magnifici Domini Procancellarii Academiæ Ingolſtadianæ.

HAnc Vitam Thomæ à Kempis Canonici Regularis Ordinis S. Auguſtini, ab Auctore Anonymo, ſed uti colligitur, Coævo, conſcriptam: item tabulam omnium Operum ejus, numero triginta octo, in tribus antiquis manuſcriptis Codicibus Monaſterii S. Joannis Bapt. in Rebdorff, Canonicorum Regularium Ord. S. Auguſtini, Diœceſis Eyſtettenſis: quorum duo non habent annum adſcriptum, tertius verò exaratus eſt à Librario ibidem nominato anno Chriſti 1488. contineri vidi, & ex eisdem tam vitam, quam operum tabulam prædicta, cæteraque hic adſcripta, videlicet verſus de S. Cruce, & ſubſcriptionem Librarii fideliter à verbo ad verbum à Rev. P. Georgio Heſero S. J. tranſcripta eſſe teſtor. Ingolſtadii die 15. Auguſti Anno 1650.

JOANNES OSWALDUS à ZIMMERN,
S. Theologiæ Doctor & Profeſſor Ordinarius,
J. U. L. Reverendiſſ. & Illuſtriſſimi Principis
atque Epiſc. Eyſtadiani Conſiliarius, & in
hac Electorali Univerſitate Vicecancellarius,
atque nunc Decanus Theologicus, &c.

VITA

VITA
THOMÆ A KEMPIS
CANONICI REGULARIS
ORDINIS S. AUGUSTINI
AUCTORE INCERTO SED COÆVO.

Hic Thomas, cognomento Heymergyn, id eſt, Malleus, *qui verè Malleus exiſtens in ſuis dictis & tractatibus, devotis, & indevotis: devotos per ſuos tractatus excitando, & percutiendo corda eorum ad majorem devotionem, & profectum virtutum & gratiarum actiones: ſed indevotis exiſtens Malleus, videlicet corda eorum excitando ad compunctionem & recognitionem propriæ infirmitatis & imperfectionis & ad emendationem vitæ compellendo: tentatos & tribulatos conſolando & roborando: & omnibus viam incipiendi, proficiendi, ac perficiendi oſtendendo, ut meritò ſibi adſcribendum ſit jam illud;* Qui erudiunt multos, quaſi in perpetuas æternitates (d). *Multùm affabilis & conſolatorius fuit infirmis & tentatis iſte bonus & devotus Pater, & valdè zeloſus pro ſalute animarum, & omnes cupiebat ſalvos fieri ſicut ſeipſum, ideo ſcriptis & admonitionibus, inſtructionibus, modis quibuscunque potuit, alios etiam ſecum trahere ad regnum cælorum nitebatur, ſicut S. Gregorius hortatur in quadam Homilia &c. Et quia in juventute incepit congregare divitias ſcilicet virtutum, ideo ſortitus eſt nomen bonum: & illud Threnorum impletum eſt in eo, ſcilicet;* Beatus vir, qui portaverit jugum Domini ab adoleſcentia ſua: ſedebit ſolitarius, & tacebit, quia levavit ſe ſuper ſe (e). *Quòd hoc ſit impletum in eo, conſideratur omnino*

(d) Dan. 12. 3. (e) Thren. 3. v. 27. & 28.

omnino in Tractatibus ſuis, & præcipuè in ſoliloquio animæ, quod compoſuit, ubi Chriſtus ſponſus ejus loquitur cum anima ejus, ſcilicet ſponſa ſua. Ibi conſideratur, quomodo ſedebat ſolitarius & tacebat, & levavit ſe ſuper ſe &c. Iſte bonus Pater ſolitus erat dicere, quando fuit cum Conventu ſpatiando, vel cum aliis, quando ſenſit inſpirationem divinam, quando ſponſus ejus ſcilicet JEſus Chriſtus voluit cum ſponſa loqui, tum humiliter petiit licentiam, dicendo: Dilecti Fratres, oportet me ire; unus me expectat in Cella; & Fratres piè annuentes petitioni ejus multùm ædificati fuerunt. Et ſic impletum fuit in eo illud; Ducam eum in ſolitudinem, & ibi loquar cum eo (f). Et ipſe Thomas ad Dominum illud; Loquere Domine, quia audit ſervus tuus (g). Quid tunc loquebatur Domino, & quid loquebantur ad invicem, habemus in Tractatu ejus: de interna Chriſti locutione ad animam fidelem (h): qui Tractatus habet hoc idem pro Themate in ſecundo Capitulo: Loquere Domine, quia audit ſervus tuus. Quod Samuel Propheta etiam dixerat ad Dominum, quando Dominus eum vocaverat, &c. Item adhuc multo alia plura de ejus vita & converſatione audivi à Fratribus illius Conventus, qui adhuc vivunt, quod vix milleſimam partem enarravi ſcribendo. Sed quid dicam amplius? ſicut alios docuit & inſtruxit dictando & ſcribendo, ſic ipſe fecit vivendo: opere implevit, quod ſermonibus dixit faciendum.

Hic Thomas Kempis, cognomen habens Malleus, natus fuit de civitate, cui nomen Kempis, Diœceſis Colonienſis, qui ſtuduit Daventriæ in Domo Fratrum, ſcilicet Clericorum, qui ingenioſus & docilis fuit, & tractabilis, & ideo multùm fuit amabilis Domino & ejus Fratribus: qui poſtea vocatus à Deo per inſpirationem divinam ad ſerviendum Deo viventi, acquievit citò inſpirationibus divinis, ne ſibi Dominus improperaret illud; Vocavi & renuiſti (i), & illud ſibi contingeret: Vocabis tu me in orationibus, ſed non exaudiam te, quia renuiſti vocem meam audire (k). Sed fecit iſte Thomas Kempis, ſicut ſcriptum eſt de ſancto Andrea, mox ut audivit vocem Domini vocantis ſe, relictis omnibus, quæ hujus mundi ſunt, intravit Ordinem Canonicorum Regularium, qui tunc temporis in brevi fuerat reformatus, in Domum ſcilicet in monte ſanctæ

(f) Oſee 2. ℣. 14. (g) 1. Reg. 3. ℣. 9. (h) Lib. 3. de Imit. Chr. cap. 2.
(i) Prov. 1. ℣. 24. (k) ibid. ℣. 28.

ſanctæ Agnetis propè Zwollis, anno Domini ſcilicet milleſimo quadringenteſimo. & fuit inveſtitus ibidem anno Domini milleſimo quadringenteſimo ſexto: & ſic fuit per ſex annos probatus antequam inveſtitus; quia tunc temporis fuit conſuetudinis, quod ſic probabantur priùs, antequam inveſtiebantur, tanquam aurum in fornace (l): *ideo aurum probatum fuit; quia* qui non eſt probatus & tentatus, qualia ſcit (m)? *Et quia acceptus erat Deo, ideo neceſſe fuit, ut multis tentationibus & exercitationibus & humiliationibus probaretur, ut poſtea ſciret aliis dare remedium, ſicut in ſe & in aliis fuit expertus ſæpè: ſicut & fecit in ſuis Sermonibus & Tractatibus.*

Hic Thomas multùm profecit in virtutibus de die in diem proficiens, addens ſemper fervorem fervori, devotionem devotioni, virtutem virtuti, ita ut omnes mirabantur de ejus fervore & devotione. Et quia multum humilis fuit, ideo à Deo magnam & ſingularem gratiam meruit habere, ſicut patet ex dictis ejus. Item bis Supprior fuit & ſemel Procurator: & quia multùm fuit internus & devotus, & ideo ſimplex in temporalibus rebus, ideo depoſitus fuit ab officio Procuratoris, & in Suppriorem iterum electus: quia ſic majorem fructum dictando, contemplando, orationibus inſiſtendo fecit. Quod Fratres conſiderantes fecerunt ſibi miſericordiam, eum ſublevando ab occupationibus. Anno Domini milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo primo obiit ille devotus Pater Thomas Kempis: & ſic ſervierat Domino in Ordine Canonicorum Regularium ſeptuaginta annis in magna auſteritate vitæ & fervore ſpiritus. Et quia multos Tractatus ſcripſit, & dictavit in vita, & pauci ſciunt, quomodo intitulantur, vel vocantur, ideo tabulam de ejus Tractatibus & Libris hic intitulare & ſcribere intendo, ut omnes, qui legunt, vel audiunt, poſſunt ſcire, quot ſunt.

Incipiunt Tituli Librorum & Tractatuum Fratris Thomæ Kempis.

1. Liber de tribus Tabernaculis, qui incipit: *Eſt ſcriptum in Propheta.* aliàs vocatur Tractatus de Paupertate, Humilitate, & Obedientia.
2. De vera Compunctione. *Flete mecum.*

3. De

(l) Sap. 3. ℣. 6. (m) Eccli. 34. ℣. 11.

3. De Renunciatione Sæculi. *Qui non renunciaverit.* Liber Sermonum devotus & utilis.
4. Epiſtola de Maria & Martha cum aliis Epiſtolis.
5. Libellus ſententiarum & verborum humilis JEſu. Aliàs vocatur de Imitatione Chriſti, ſcilicet; *Qui ſequitur me.*
6. Secundus Tractatus. *Regnum Dei intra vos eſt.*
7. Tertius Tractatus de Sacramento : *Venite ad me.*
8. Quartus Tractatus de interna Chriſti locutione ad animam fidelem, ſcilicet: *Audiam, quid loquatur in me.*
9. Tractatus de Diſciplina Clauſtralium incipit ſic: *Apprehendite Diſciplinam.*
10. Epiſtola ad quemdam Regularem incipit: *Iſta ſunt præcipuè.*
11. Libellus ſpiritualis exercitii. *Renovamini ſpiritu mentis &c.*
12. De recognitione propriæ fragilitatis, ſcilicet; *Cognovi Domine &c.*
13. De recomendatione humilitatis, ſcilicet; *Diſcite à me, quia mitis ſum &c.*
14. De mortificata vita, ſcilicet; *Glorioſus Apoſtolus Paulus &c.*
15. De bona & pacifica vita. *Si vis Deo dignè &c.*
16. De elevatione mentis in Deum. *Vacate & videte &c.*
17. Brevis admonitio Monachi. incipit: *Ab Exterioribus, &c.*
18. Item Dialogus Novitiorum in quatuor partes diſtinctus. incipit; *Colligite &c.*
19 Soliloquium animæ. incipit; *Conſolationis gratia, &c.*
20. Sermones de Incarnatione Domini, ſcilicet; *Scrutamini Scripturas, &c.*
21. Sermones de Vita & Paſſione Domini, ſcilicet ab Adventu Domini.
22. Orationes de Paſſione Domini, & B Virgine & aliis Sanctis.
23. Sermones ad Novitios incipiunt: *Ecce quàm bonum*: numero viginti novem.
24. Vita Lydevvigis in duas partes diſtincta &c.
25. Hortulus roſarum, ſcilicet; *Cum Sancto ſanctus eris, &c.*
26. Vallis Liliorum, *Juſtus germinabit.*
27 Alphabetum Monachi, ſcilicet; *Vias tuas Domine demonſtra, &c.*
28 Conſolatio pauperum. *Conſolamini.*
29. Epitaphium Monachorum *Vita Juſtorum.*
30. Vita boni Monachi. *Audi Religioſe &c.*
31. Manuale parvulorum. *Sinite parvulos &c.*
32. Doctrinale Juvenum.
33. Hoſpitale pauperum. *Dominus regit me, &c.*
34 Liber Orationum de Vita Domini. *Domine Deus meus, laudare te deſidero.*
35 De Reſurrectione orationes in duas partes ſectæ.
36 Chronica Monaſterii ſui, ſcilicet Montis S. Agnetis, propè Zvvolis extra muros.
37. Liber Cantualis Major.
38. Liber Cantualis Minor.

Expliciunt Tituli Libellorum & Tractatuum, Sermonum & Epiſtolarum, numero 38. *Fratris Thomæ Kempis.*

In Calce tertii Codicis habentur verſus illi de S. Cruce.
Vita boni Monachi crux eſt, ſed dux Paradiſi &c.

Tum Librarii nomen, & annus peracti laboris rubricâ notatur hanc in modum.

Explicit totus Liber iſte. Scriptus per Fratrem Nicolaum Numan de Franckfordia, Profeſſum in majori Franckentael: Anno Domini milleſimo quadringenteſimo octuageſimo octavo; ipſo die S. Gertrudis Virginis.

Hucusque teſtimonium NUMANI, teſtis Synchroni. Hoc verò teſtimonium etiamnum aſſervari in Bibliotheca Rebdorffenſi, ſequens teſtimonium A. R. D. Alberti Laubſcher, moderni Bibliothecarii in Rebdorff, viri admodum eruditi, docet. Sic habet:

In Bibliotheca Canoniæ S. Joannis Baptiſtæ in Rebdorff habentur adhuc ſex MS. Codices in 4.to, qui Thomæ à Kempis Librum de Imitatione Chriſti adſcribunt.

1. Sub Littera D. num. 5.
2. Sub eadem littera. num. 74.
3. Sub litt. M. num. 17. Primus non habet nomen librarii, nec annum, adſcriptum.

2.dus habet annum, ſed non certum nomen, niſi hoc: Fol. 61. hæc opuſcula ſcripta ſunt anno Domini 1492. à quodam Novitio hujus Domûs.

3 tius habet nomen & annum, ùt ſequitur - - Fol 203 Explicit Soliloquium animæ. ſcriptum anno Domini 1488. in die ſanctæ Dorotheæ Virginis. Ex libro, qui ſcriptus eſt per manus Fratris Thomæ Kempis Tunc immediatè folio 204. incipit Tractatus ejusdem Fratris Thomæ Kempis de Diſciplina Clauſtralium.

Fol. 228. Incipiunt vel ſequuntur aliqua notabilia de Converſatione ejusdem. - -

Fol. 230. Incipiunt Tituli Librorum, & Tractatuum Fr Thomæ Kempis. Nota in hoc, & in illis duobus Codicibus, ſub numeris V. VI. VII & VIII. recenſetur Libellus Sententiarum & verborum humilis JEſu. Aliàs notatur de Imitatione Chriſti, ſcilicet qui ſequitur me.

2.dus Tractatus: Regnum Dei intra vos eſt.

3 tius Tractatus: De Sacramento: Venite. . .

Quartus Tractatus: de interna locutione ad animam fidelem.

Fol. 234 Explicit totus Liber iſte ſcriptus per Fratrem Numan de Franckfordia profeſſum in majori Franckentael. Anno Domini milleſimo quadringenteſimo octogeſimo octavo. Ipſo die ſanctæ Gertrudis Virginis.

4.tus Codex MS. ſub litt L. num. 27.

5.tus ſub litt. M. num. 21. Hi duo continent libros de Imitatione, quos & Thomæ attribuunt.

6.tus ſub littera H num 72 hic continet Chronicon Joannis Buſchii: in ultima pagina hæc leguntur: finit feliciter per me Fratrem Johannem Offenburg in Kiersgarten Profeſſum. Feria tertia ante Dionyſii. Anno ætatis meæ inter ſeptuageſimum: anno verò Incarnationis M. CCCC. LXXVII.

NB. I.

NB. 1. In Capite 21. de Viris Illuſtribus habentur hæc verba, non in margine, neque per parentheſin, ſed in ipſo contextu, eadem manu ſcripta. . . . . *Quorum unus Frater Thomas de Kempis, vir probatæ vitæ, qui plures devotos Libellos compoſuit, videlicet, qui ſequitur me, de Imitatione Chriſti, cum quibusdam aliis.*

NB. 2. Contigit hoc anno 1424. - - - Si dubium moveatur, an verba mea veritate nitantur, Publici Notarii manu poterunt facili negotio roborari.

Albertus Laubscher
Canon. Reg. & Bibliothecarius
in Rebdorff.

Documentum V.

RR.mus Pater Bruno Pede, Prior in Carthuſia B. M. V. *de Capella*, ſitâ in Flandria, in ſua Epiſtola ad RR. *Jacobum Thomam* Bosmans, Priorem Canon. Reg. ad D. Martinum Lovanii, datâ 11. Octobris 1762., teſtatur; in ſua Bibliotheca reperiri Catalogum Manuſcriptum omnium Manuſcriptorum aſſervatorum in ea Bibliotheca. Catalogum illum pariter teſtatur ſcriptum fuiſſe anno 1528. Jam verò in eo Catalogo annotantur quinque Exemplaria *de contemptu mundi* ſub inſcriptione Thomæ Kempenſis. Teſtimonium integrum RR.mi Prioris vide ſuperiùs Documento III. in Epiſtola RR.mi Prioris prima ſub Dato 11. Oct. prope finem.

Documentum VI.

De Manuſcripto Chronico Buſchii de anno 1477., aſſervato in Rebdorff.

TESTIMONIUM.

Ego infra scriptus Proto - Notarius ac Notarius Apostolicus Joannes Laurentius Wekerle fidem facio & atteſtor, quòd prævia Requiſitione Reverendissimi Perillustris ac amplissimi D. D. Wunibaldi hujus nominis II. Prælati infulati celeberrimæ Canoniæ Rebdorffenſis, hac die 27. Julii 1763. mihi ibidem copia facta fuerit videndi, perſcrutandi, & quoad paſſus quosdam mihi fideliter per plurimùm Reverendum, Eximium ac Clariſſimum D. Albertum Laubscher ejusdem Canoniæ profeſſum & Bibliothecarium propo-

 ſitos

ſitos vidimandi aliquod antiquum manuſcriptum, non quidem Authographum ipſius Authoris, ſed ab alio Librario Coævo (cujus nota Nominis, & temporis in fine expreſſa eſt) deſcriptum in quarto, corio obductum fuit.

1.mo Porro in hoc Mſcripto codice obſervavi à prima linea usque ad ultimam characteres eſſe, ejusdem manus pervetuſtos, & ob continuas verborum abbreviationes valde difficilis lectionis, quam imitari ſculptoris ærarii potius, quàm Notarii munus eſt.

2.do In frontiſpicio unica eſt membrana habens hanc inſcriptionem iſte Libellus eſt Monaſterii ſanctiſſimi Johannis Baptiſtæ in Rebdorff Canonicor. Regularium Eyſtetenſis Diœceſis:

Hic habet9 vita prm norum pimitiuorum.

3tio. Folio 1. Incipit Prologus in Librum *de Pat'bus pmitiuis magnum virtutum Ordinis Canoicor. reglrium monſtij in Windeshem Diœceſ. trajecten.* Poſt Prologum ſequuntur Capitula numero lxxii. Quibus annexus eſt Titulus Epiſtolæ de vita & paſſione Dñi Jeſu Xſti, & aliis devotis exercitiis, ſecundum quæ Fratres & Laici in Windesheim ſingulis diebus ſe exercere ſolent, è Teutonico in Latinum per libri hujus editorem translata. Complectitur hic Liber 1.mus cum prologo 116. folia papyracea.

4to. Quoniam ſpecialiter requiſitus fui, ut ea, quæ in Capitulo XXI. ejusdem Libri 1 mi ſcripta ſunt, iterum iterúmque perlegerem, & fideliter in ſcriptis referrem, præſertim circa ea, quæ ibi habentur poſt verba: Contigit enim ante paucos dies &c. hinc abſque curioſa in cauſam indagatione dictum Capitulum iteratò perlegi, quod ſic incipit: felicem animam devoti Patris Johannis de Huesden (Prioris in Windesheim, de hoc enim præcedentia tria capitula tractant) per manus ſanctorum Angelorum, Fratrúmque noſtrorum defunctorum in præparata habitacula beatorum jam eſſe perducta præmiſimus, cujus teſtimonia credibilia facta ſunt nimis authoritate Evangelica, revelationibúsque ſanctis certiſſimè comprobanda &c. - - - Poſt 33 lineas ſequuntur hæc formalia) „ Contigit enim ante paucos dies obitus „ ſui (Joannis de Huesden) ut duo Fratres notabiles de monte S. Agnetis propè „ Svvollis Ordinis noſtri, dictum Priorem noſtrum ſuper certis rebus conſulturi in „ Windesheim advenirent, *quorum unus Frater Thomas de Kempis Vir probata vita,* „ *qui plures devotos libellos compoſuit, videlicet, qui ſequitur me, de Imitatione Chriſti,* „ *cum quibusdam aliis &c.* Hic, inquam, tale nocte inſecuta ſomnium vidit præ„ ſagium futurorum &c. &c.

Poſtquam hæc legeram, & de verbo ad verbum, prout legeram in ſcriptis pro formando teſtimonio adnotaveram, dictum eſt mihi, eſſe quosdam homines, qui credere nolunt, formalia illa: *videlicet, qui ſequitur me, de Imitatione Chriſti* contineri in contextu ejusdem Capituli: alios criticare narratiunculam hanc aliena manu authographo Buſchii adjectam eſſe; item alios divinare quaſi eadem verba alterius cujusdam charactere, vel ſupra lineam, vel in margine eſſent affictа, & ſi quæ alia aliorum dicteria ſunt.

Verùm enim verò ut veritatem profitear, prout publici officii mei juramentum exigit, fidem facio, & profiteor firmiter & conſtanter, abſque omni partium quorum-

quacunque ſtudio, aut reſpectu, quòd verba illa, *videlicet, qui ſequitur me, de Imitatione Chriſti* immediate ſcripta habeantur in eodem capitulo poſt verba: *quorum unus frater Thomas de Kempis Vir probatæ vitæ, qui plures devotos libellos compoſuit &c.* & quidem in eodem contextu, in eisdem lineis, non ſupra aliquam lineam, multò minùs in margine, & quod caput rei eſt, ſcripta ſunt illa verba eâdem manu, eodem charactere, eodem atramento, eâdem abbreviandi methodo, abſque litura, abſque parentheſi, aut quacunque alia interpolatione, &, ut paucis dicam, nihil aliud ibidem expreſſum inveniri poteſt etiam cum lucerna Diogenis, niſi quod jam ſupra atteſtatus fui, & infra adhuc manu mea & ſigillo Notariatûs atteſtando roborabitur.

5to. In fine hujus Capituli XXI Author hujus libri ſic ſcribit: omnia & ſingula præmiſſa ſuperius ab ipſo, & in ipſo vidimus & audivimus, quæ ad utilitatem legentium brevibus explicavimus, majoribus majora reſervantes. Sequitur Epitaphium Ejus.

* Quadringentis, millenis, bis Duodenis Altera Lux annis ſub menſe Decembre (id eſt
Joannis Fuhs corpus tumulat, & lachrymas cumulat, Primus honore Patrum, Pater 1424.)
hic, & gloria Fratrum Huesden, quem genuit, ùt jubar emicuit &c. &c.

6to. Notavi, quòd Editor hujus Libri in Prologo Partis 2dæ in Librum de Origine modernæ Devotionis, & de Origine Monaſterii in Windesheim Ordinis Canonicorum Regularium S. Aug. atque de ortu Capituli generalis, & ejus conſummatione, ſequentem in modum peroret: „ Ego in virtutibus omnium noviſſimus, licèt corde „ tepido, aggrediar conſcribere ea, quæ coram poſitus oculis ipſe conſpexi, aut à „ meis Majoribus frequentius audivi, aut à Generali noſtro Capitulo determinata „ cognovi, & ea ſic ſcribere divinitùs inſpiratus ſum, &c. & in fine ſic ait: à me autem in Windeſem pro tunc ſimplici Fratre, poſt aliquorum Monaſteriorum Reformationem, & Prælaturarum tranſactionem iſta ſunt inchoata, ſed in Sultenſi Prælatura Ordinis & Capituli noſtri in Saxonia Anno Domini M. CCCCLXIIII. (1464)

7mo. Ulteriùs requiſitus fui, ut nomen Librarii, & Notam temporis annotarem; in ultimo folio ſic legi: Laus Sanctæ Trinitati, finit feliciter per me F. Johannem Offenburg in Kresgartem (NB. alibi Kirsgartem legitur) profeſſum, Feria tertia ante Dionyſii. Anno ætatis meæ circa ſeptuageſimum, anno verò Incarnationis Dominicæ
M. cccc. lxxvii (ſine ſpeculo & oculari ſcriptum) & poſt intervallum alia manu ad- (1477)
ſcriptum eſt: & anno Incarnationis Dñcæ M. cccc. lxxix. obiit idem Fr. Johannes (1479)
Offenburg. Cujus anima requieſcat in pace. Amen.

Poſtquam hæc abſolveram, facta eſt mihi copia perſcrutandi alium codicem in octavo impreſſum Antvverpiæ anno M. DCXXI ſub hoc titulo: Chronicon Canonicorum Regularium Ordinis S Auguſtini Capituli Windeſemenſis Auctore Joanne Buſchio Can. Reg. accedit Chronicon Montis S. Agnetis Auctore Thoma à Kempis Can. Reg. nunc primùm in lucem editum, unà cum Vindiciis Kempenſibus Heriberti Roſvveydi Soc. Jeſu pro libro de Imitatione Chriſti.

In hac Editione Liber de Origine Monaſterii Windeſemenſis habet Capitula XLVII, in illo verò Manuſcripto Codice per Joannem Offenburg in Kirsgarten Profeſſum tantummodo numeraveram XX. Capitula, cum illis tamen quoad rubrum & nigrum con-

fons,

ſone, ut adeo Heribertum alio exemplari auctiore uſum fuiſſe arbitrandum ſit. Hoc unum ex illo impreſſo addere requiſitus fui, quòd nimirum in ejus Capite XXXV. author operis hujus manifeſtetur, his verbis: Frater Joannes Buch in Windeſen tunc Sacriſta, *horum editor librorum*, cum Hermano Cæmentario fratre noſtro donato hujusmodi opus (videlicet curam conſtructionis domorum circa ambitum Monaſterii Windeſemenſis) ſuſcepit celerius inchoandum.

Hæc ſunt, quæ Ego ad initium nominatus Proto-Notarius & Notarius Apoſtolicus in celeberrima Canonia Rebdorffenſi audivi, vidi, legi, omniaque ſic, ut præmiſſa ſunt, fideliter extracta, & de verbo ad verbum conſona inveni. Super quibus hoc publicum teſtimonium confeci, & per Amanuenſem meum deſcriptum propria manu ſubſcripſi, ſigilloque Notariatûs mei ſolito & conſueto munivi ac roboravi. Anno, menſe, die & loco, quibus ſupra.

In fidem præmiſſorum

(L. S.) Joannes Laurentius Wekerle J.U.C.
Eccl. Cathedr. Eyſtettenſ. Vicarius Chori & Cæremoniarius, Proto-Notarius & Notarius Apoſtolicus publicus & juratus, debitè requiſitus mppria.

Documentum VII.

De novo teſte Synchrono pro Ven. Thoma Kempenſi ex Carthuſia Buxhaimenſi in Suevia.

In hoc Documento Buxhaimenſi habemus novum teſtem Synchronum, Amanuenſem videlicet, qui, ſicut aliis Opuſculis in eodem Codice à ſe deſcriptis, v. g. S. Thomæ Aquinatis, annum ſuæ Scriptionis 1471, ita etiam Libro *de Imitatione* à ſe deſcripto, quem Thomæ Kempenſi adſcribit, annum ſuæ Scriptionis 1471 adſcribit. Hoc teſtimonium ex eo majorem attentionem meretur, quia eodem anno Ven. Thomas Kempenſis obiit; ut proin hoc teſtimonium, à membro Ordinis Carthuſienſium, cum Windesheimenſibus familiarium, calente adhuc funere V. Thomæ editum, magni ponderis, & conjunctim cum aliis ejusdem Congregationis, immo ejusdem Monaſterii teſtibus coætaneis, omni exceptione majoribus, nullo in contrarium comparente teſtimonio vel argumento, niſi frequenter in caſu conſimili deceptioni obnoxio, deciſivum ſit apud eos, in quorum cerebro non nutat omnis fides hiſtorica.

Teſti-

Teſtimonium ſuper Codice manuſcripto in Carthuſiæ Buxhaimenſis Bibliotheca aſſervato.

Primo. Forma Codicis ?
Codex eſt in folio.
Secundo. Materia Codicis ?
Eſt Codex manuſcriptus per totum papyraceus, in quo nullum folium ziffris eſt notatum
Tertio. Character Codicis ?
Unus, idemque Character à principio, usque ad finem.
Quarto. Contenta Codicis ? Hæc continentur
Paſſio beati Narciſſi Epiſcopi Gerundenſis in principio Libri.
Item iſtud volumen continet in ſe libros ſequentes
Sermones de B. Virgine cum ſpeculo ejusdem, qui leguntur Sabbatinis diebus ad hiſtoriam Gaude in Matutinis.
Item Sermones, ac Homiliæ de Aſſumptione ejusdem,
Ac etiam de Nativitate Ejus, & etiam de Purificatione, & Annuntiatione, & Viſitatione Ejus.
Item Meditationes in Vitam Chriſti.
Item Summa pœnitentiæ utilis, & brevis.
Item Tractatus videlicet Summa Confeſſionum edita ab Antonino Archiepiſcopo Florentino.
Authoritates de Paſſione Domini.
Item Liber Bonaventuræ, qui vocatur imago vitæ æternæ.
Item ſpeculum, ſive itinerarium mentis in Deum.
Item Liber de imitatione Chriſti, qui continet in ſe quatuor libros.
Item Liber brevis de Creatione Mundi, & aliis multis.
Item Summa brevis, & utilis ſuper diverſis compoſita.
Item litigatio Sathanæ contra genus humanum.
Item Summa edita à ſancto Thoma Aquino, de articulis fidei, & Eccleſiæ Sacramentis.
Quinto. Quænam ſit inſcriptio Librorum de Imitatione ?

Liber primus ſic inſcribitur:

Incipit libellus cõſolatorius ad inſtructõnẽ devotorum, cujus pmum capitulum ẽ de *Ymitacõe X & qtẽptu oĩm vanitatum mdĩ, & quidam totum librum ſic appellãt Sig. Liber dᵉ ymitacõe Xſti ſii Evnm Mathei appellat ? Liber Gnãcõl ibũm Xſti eo q ĩ pmo capitlo' ſit mentio de Gnãcõe Xſti ſdm̃ carnem*

Sequitur dein Regiſtrum, in quo continentur primi Libri de imitatione.
Inſcriptiones Libri ſecundi, tertii, & quarti ſpecialiter nihil continent.
Capita ſingula habent ab initio primam litteram Majuſculam Minio expreſſam.
Sexto. Quænam ſubſcriptio horum librorum ?

Hæc : Explicit Liber quartus de Imitatione Chriſti, in quo ſpecialiter tractatur de venerabili Sacramento Altaris.

Item Compilator *h9 opuſculi fuit quidã Frat. Thomas noie Ordĩs Canoicor Regularium Sc̃ti Auguſtini mõte Sc̃te Agnet. Trajectẽſis Anno Dñi* 1441.

Hæc omnia eodem charactere, ac atramento ſcripta ſunt, quo charactere ſcriptus eſt totus, ac integer Codex. Additur tamen nigriori atramento, ſed aliena manu à priori tamen charactere haud multùm abſimili hoc.

Item ſecundum alios intitulantur iſti q'tuor Libri videlicet *Mgri Jo̅his Gerſon* Cancellarii Pariſienſis de contemptu mdi, & NB. Verbum *Item* in poſteriori hac notula non eſt minio diſtincta, ſicut notula ſuperior de fratre Thoma.

Septimo. Ætas hujus Codicis?

Certum eſt, totum Codicem ſcriptum eſſe Sæculo decimo quinto, & quidem *anno* 1440, qui annus ſubſcribitur Meditationibus vitæ Domini noſtri Jeſu Chriſti, ac *anno* 1441. qui ſubſcribitur Summæ pœnitentiæ brevis, & utilis.

Item poſt quatuor Libros de Imitatione.

Item Summæ ſancti Thomæ de Aquino

Lit. *i.* per totum Codicem nulla virgula notatur, ſed conſtanter eſt punctata.

Octavo. Compactura Codicis?

Compactus eſt Codex in Corio vitulino, coloris badii, cornua libri parergis ex auricalco ornantur, uti & medium ſimili ornamento gaudet. Geminas habuit clauſuras, una tamen nunc deficit. Tergum libri inſcriptionem quidem habuit, ſed legi non amplius poteſt ob fugiens atramentum.

Nono. Poſſeſſor Libri?

Eſt Carthuſia in Buxhaim. Primò enim foliò legitur FF. Carthuſianorũ in Buxhaim.

Decimo. Quis Reverendiſſimo D. Prælato Wengenſi ad inſpiciendum cõmunicaverit hunc Codicem?

Reverendiſſimus S. R. I. Præſul D. D. Mauritius Abbas Rothenſis die 24. Auguſti anno 1763. cujus originales litteras vidi, ac legi.

Hæc omnia ita ſe habere, meque hunc ipſum Codicem oculis propriis inſpexiſſe, & prætallegatos locos cum Originali collationâſſe de verbo ad verbum fide publica debitô modô requiſitus teſtor appoſito Notariatûs mei ſigno & ſigillo proprio. Ulmæ in Exempto Collegio Canon. Regul. S. Auguſtini ad Inſulas Wengenſes die 27. Auguſti anno 1763. in Profeſto S. Auguſtini.

(Sig. Not.)

(L. S.) Josephus Henricus Hamm
J. U. C. Notarius Cæſ. & Apoſtolicus publ. juratus mppria.

Docu-

Documentum VIII.

De Manuſcripto Libri quarti de Imitatione exarato jam anno 1407, prout prætendebat R. P. Boudet in Novellis litterariis Gallicis, editis ſub titulo: Mercure de France. menſe Januario 1743. pag. 103.

R. P. Boudet Canon. Reg. S. Antonii, recenſet quoddam Manuſcriptum librorum de Imitatione, quod jam anno milleſimo quadringenteſimo ſeptimo fuiſſe ſcriptum judicat „ Manuſcriptum, inquit, plura opuſcu-
„ la continet, ut, Dialogum Bonaventuræ; ſpeculum peccatoris; Me-
„ ditationes S. Bernardi; libros de Imitatione Chriſti hoc interrupto or-
„ dine. Dialogus cœleſtis Magiſtri & Diſcipuli de interna locutione ad
„ animam fidelem. (eſt Liber 3. de Imit.) opuſculum, quod incipit:
„ Conſolationis gratia aliquas ſententias devotas in unum coacervavi
„ libellum. Capitis 1. titulus eſt: De deſiderio animæ quærentis Deum
„ (eſt ipſiſſimum opuſculum, quod inter opera Thomæ Kempenſis in-
„ ſcribitur: ſoliloquium animæ) ſequitur Liber II. Incipiunt quædam
„ ammonitiones ſpiritualis vitæ. Tertio loco ponitur Liber quartus de
„ Imitatione J. C. de Eucharistia. & tandem Liber aliàs primus de Imi-
„ tatione hic quarto loco reperitur; *Incipiunt ammonitiones ad vitam*
„ *ſpiritualem valde utiles.* Ultimum, quod in MS.to hoc continetur,
„ Opuſculum eſt: Meditationes Reverendiſſimi Patris Domini Johannis
„ de Turrecremata Sacroſancte Romane Eccleſie Cardinalis, poſite &
„ depicte de ipſius mandato in Eccleſie ambitu ſanctę Marie de Minerva.
„ Romæ. Ad finem Manuſcripti leguntur hæc verba: *Finite ſunt con-*
„ *templationes ſupradicte, & continuate Romę per Ulricum Han anno*
„ *Domini milleſimo quadringenteſimo ſeptimo, die ultima menſis De-*
„ *cembris. J. R.*

Hanc clauſulam pertinere etiam ad alia in hoc Manuſcripto contenta; conſequenter etiam ad libros de Imitatione, contendit A. R. Boudet ex eo, quod eadem in ſingulis manus appareat.

Responsio.

Quanta in hac cauſa Kempiſiana Anti-Kempiſianorum vanitas! V. C. Boudeti, admodùm Eruditi, ac nobis præſertim venerandi, recipio teſtimonium; quod in eo Manuſcripto, ut vocat, *eadem appareat*

manus. Atqui Cardinalem TURRECREMATA Dominicanum ultimo vitæ ſuæ tempore, quod pientiſſimè clauſit anno 1468. *Meditationes* ſuas in Eccleſia Dominicanorum Romæ in picturis ad ædificationem populi perennare voluiſſe, & Ulricum Han, latine, *Gallus*, Germanum, primum Romæ Typographum, Meditationes illas Cardinalis ſui patroni anno 1470. typis commiſiſſe certum eſt. Error proin V. C Boudeti in eo conſiſtit; quod in Manuſcripto, *ut vocat*, ubi annum ſeptuageſimum legere debuerat, annum ſeptimum legerit. De Joanne *Turrecremata*, ferme decem annis juniore Thoma Kempenſi, exactam notitiam præbet vir immenſi laboris P. *Jacobus Echard* in Opere *de Scriptoribus Ordinis* Prædicatorum T. I. & Raynaldus. De ULRICO HAN ſcribunt in *Lexico univerſali* HOFMANNUS & *Maittaire* in Hiſtoria Typographiæ ab anno 1468. ad annum 1475. Hofmannus ſic ſcribit. *Ulricus Han, natione Germanus, unus ex inventæ artis typographicæ triumviris primus, formas librarias, rem inauditam, nec unquam Romanis viſam Romam attulit circa annum* 1471. MAITTAIRE verò oſtendit, quod jam anno 1468, quo Cardinalis Turrecremata Romæ obiit, Romæ quædam opera impreſſerit, dein verò primùm anno 1473. *Contemplationes* ſeu *Meditationes* JOANNIS TURRECREMATA typis vulgaverit *pictas*, hoc eſt, quoad litteras initiales variis coloribus illuminatas, prout id *Maittaire* Tom. I. fol. 272. columna 2. exponit. V. C. Boudetus ignoraſſe videtur, libros primitùs à *Fuſtio* & *Hanio* impreſſos quoad formam characterum adeo ſimiles fuiſſe libris Manuſcriptis, ut Fuſtius anno 1460. ſuam Bibliam impreſſam in duobus Tomis in folio, cujus editionis etiam nos Pollingæ habemus Exemplar, ingenti pretio Pariſienſibus tanquam Manuſcriptam vendiderit. Vide Lexicon Hofmanni V. *Joan. Fuſtius*. Videat proin V. C. *Boudetus* denuo librum, &, cum ipſomet teſte opuſculorum in illo Codice contentorum NB. *eadem manus* ſit; patebit, totum Codicem non Manuſcriptum, ſed impreſſum eſſe à *Hanio*, diſcipulo, mediato *Fuſtii*. Certè cum libri de Imitatione, & Meditationes Cardinalis Turrecremata *eandem manum* HANII Typographi referant, & Cardinalis obierit 1470, ferme eodem anno, quo obiit V. Thomas K., non potuit Opuſculum Cardinalis *eadem manu* ſcribi anno 1407; multo minus finiri per *Ulricum Han*, qui eo anno vix puer erat Ingolſtadii in Bavaria, & Romam necdum viderat.

Docu-

Documentum IX.

Retractationes & novi Conatus Gerſeniſtarum per RR. Petrum Faita *Abbatem.*

§ I. R.mus Petrus Faita Brescianus, Abbas Cassinensis anno 1762. edidit Brixiæ Opuſculum in *Quarto* ſub titulo: *Saggio dell' Operetta intitolata de Imitatione Chriſti Volgarmente attribuita a Tommaſſo da Kempis con una Diſſertazione ſopra l' Autore della medeſima ed altre aggiunte di Fra Sabiniano Bedaceta Cantore Piſtojeſe in Breſcia MDCCLXII dalle Stampe di Giambatiſta Boſſini con Licenza de' Superiori.* Præſente anno 1763 edidit aliud Opuſculum in *Octavo majori* ſub iſto titulo: *Saggio dell' Operetta intitolata de Imitatione Chriſti volgarmente attribuita a Tommaſſo da Kempis con una Diſſertazione ſopra l' Autore della medeſima ſin ora Sconoſciuto, ed altre Operette eſtranee di Don Pietro Faita Breſciano Abate Caſinenſe. Edizione ſeconda corretta, ed aureſciuta. in Breſcia. Dalle Stampe di Giammaria Rizzardi MDCCLXIII. con licenza de' Superiori.*

§. II. Nemo non videt, nomina illa: Don Pietro Faita Bresciano Abate Cassinense, & Fra Sabiniano Bedaceta Cantore Pistojese, per *anagramma* unam eandemque perſonam denotare. Mirum tamen eſt, in una eademque perſona non reperiri firmam, eandemque anno 1762. & anno 1763. animi ſententiam de eodem objecto. Videamus, quid non firmum, aut idem non ſit?

§. III. In priori editione de anno 1762. Fol. III. ſcribit; Librum de Imitatione, ſi impreſſiones ſpectentur, titulo prioris poſſeſſionis tribuendum eſſe Joanni Gerson Cancellario Parisiensi, utpote *prima vice* impreſſum Venetiis 1483 ſub titulo Joan. Gerſonis Cancellarii. Ita fol. III. edit. de anno 1762.

Responsio. Errat RR.mus *Prima vice* Liber de Imitatione impreſſus eſt ſub titulo *Thomæ Kempenſis* Auguſtæ anno 1472, hoc eſt, uno ſolùm anno poſt obitum Authoris, prout ad oculum demonſtravi *in mea Deductione Critica*, edita Auguſtæ jam anno 1761. fol. 135. §. 167. Itaque, ſi in hac re hiſtorica vim quamdam emendicare liceat à prima impreſſione, inverto argumentum in favorem Ven. Thomæ.

§. IV. RR.mus referendo acta circa præſentem controverſiam affirmat; ex ſeptima collatione S. Bonaventuræ demonſtrari, Authorem Libri de Imitatione longè antiquiorem eſſe Thoma Kempenſi. fol. IV. V. prioris editionis de anno 1762.

Responsio. RR.mus hunc ſuum errorem aperte revocat, dum in poſteriore libro, anno 1763. ſub eodem titulo: Saggio &c. Brixiæ edito authorem libri de Imitatione facit Joannem Gerſen, fratrem Joannis Gerſonis, centum fermè annis natum poſt obitum S. Bonaventuræ. Ipſas verò Collationes hujus Doctoris Seraphici eſſe ſuppoſititias, ad oculum demonſtravi *in mea Deductione Critica* fol. 18. §. 42. &c. &c.

§. V. RR.mus affirmat, quod Eruditi Pariſienſes Manuſcripta duo librorum de Imitatione judicaverint eſſe antiquiora anno 1387, quo Thomas Kempenſis vixdum numerabat annum ætatis octavum. fol. IX. Edit. de anno 1762.

Responsio. RR.mus in ſuo Opuſculo ſecundo anno 1763. Brixiæ edito etiam hoc revocat. In hoc enim opuſculo, prout videbimus, libros de Imitatione adſcribit Joanni Gerſen, Priori Cœleſtinorum, qui etiam ipſe anno 1387 vix numerabat annum ætatis circiter octavum, utpote quem ipſemet Joannes Gerſon Cancellarius germanus ejus frater, circa annum 1400. adhuc vocat *Juvenem verecundum*, prout infra num. 7. in Reſp. & Not. (c) oſtendam.

§. VI. RR.mus promittit; ſe non ſolùm monſtraturum, *cujus ſit cauſa melior* (Thomæ K. vel Gerſenis?) ſed etiam *demonſtraturum*, cui ceſſerit victoria? Fol. X. Edit. de anno 1762.

Responsio. RR.mus iterum in eodem Opuſculo hæc promiſſa revocat, aut ſibi ipſi contradicit, dum per modum hæſitantis in Appendice Spicilegii fol. 23. & 24. ſcribit: *Nec mihi moleſtum erit, ſi quis cum* Dupino *ex* Terentio *dixerit*:

Feciſti probe
Incertus ſum multo, quàm dudum.

§. VII. RR.mus Ex eo, quod Religioſus quidam ſui Monaſterii Brixienſis, nomine Gabriel, profeſſus anno 1476, intra annum 1476 & 1492, varias ſententias Aſcetarum & SS. Patrum in locos communes colligens, etiam ex libro de Imitatione non paucas depromens, nonnullas Gerſeni, alias Gerſoni adſcribat, infert; totum librum de Imitatione partim ex operibus Joannis Gerſonis Cancellarii, partim ex opuſculis

ſculis Aſceticis Joannis Gerſen, qui erat germanus frater Gerſonis Cancellarii, & Prior ſeu Abbas Cœleſtinorum Lugduni contextum fuiſſe. Ita in Opuſculo edito anno 1763. fol. 26. & 27.

Responsio. RR.mus Hoc ſuo Corollario denuo revocat, quæ anno præcedente 1762 in ſuo anteriore *Saggio* fol. IX. ſcripſerat. Ibi enim judicium Pariſienſium de ætate Codicis *Aronenſis*, & *Bobienſis*, quod ante annum 1387 ſcripti ſint, extollit, hic verò eosdem Codices ante annum 1387 ſcribi non potuiſſe fateri cogitur, dum librum de Imitatione Joanni Gerſen, fratri Gerſonis Cancellarii, anno 1387 adhuc vix Octenni puero adſcribit; Quid ergo ex iſto novo *Saggio* ſeu Specimine ac Tentamine RR.mi Brixiani inferam, niſi Retractationes Gerſeniſtarum, quarum attexo Catalogum?

Retractationes Gersenistarum.

§. VIII.

1. Argumentum ex collationibus D. Bonaventuræ contra Kempiſianos nil valet. Author enim libri de Imitatione Joannes Gerſen, frater Gerſonis Cancellarii vixit centum annis poſt D. Bonaventuram.

2. Argumentum ex allegatione S. Franciſci tanquam contemporanei cum authore libri de Imitatione nil valet. Joannes enim Gerſen, frater Gerſonis Cancellarii, vixit ducentis annis poſt S. Franciſcum.

3. Argumentum Applicationis, qua S. Thomas applicaſſe prætenditur, textum ex libro de Imitatione, jam nil valet, quia author libri de Imitatione, Joannes Gerſen, frater Joan. Gerſonis Cancellarii, vixit centum annis poſt D. Thomam.

4. Tituli *de Canabaco*, *Abbatis Vercellenſis ad S. Stephanum*, jam nil amplius valent, Author enim libri de Imitatione fuit Joannes Gerſen, religioſus Ordinis Cœleſtinorum Lugduni, natus in Gallia in vicu Gerſen.

5. Itaque etiam nil amplius valet Argumentum Gerſeniſtarum ductum ex Idiotiſmis Italicis. Author enim fuit *Gerſen* Gallus finitimus Belgio.

6. Nil amplius valet judicium Eruditorum Pariſienſium, judicantium, librum de Imitatione ante annum 1387. ſcriptum fuiſſe. Joannes enim Gerſen frater Cancellarii, & author libri de Imitatione eo tempore puer adhuc erat vix decem annorum.

§. IX.

§. IX. Venio tandem ad novos conatus Gerſeniſtarum. RR.mus Brixianus pro genuino authore libri de Imitatione tandem *Joannem Gerſen, Monachum Ordinis Cæleſtinorum*, ac *fratrem Joannis Gerſon Cancellarii*, primus effert & extollit in publicum (n) ſingularia Encomia, acta, & fata hujus præclari viri non affert. Ipſus, cui ſola amica veritas, cuive *Tros*, *Rutilusve* nullo diſcrimine habentur, nonnulla ipſis Gerſeniſtis ſuggeram. Fundamentum præcipuum RR.mi eſt, quia non ſolùm Manuſcripta aliqua Sæculi XV. pro authore libri de Imitatione Joannem Gerſen Abbatem referunt, ſed etiam in MS. codice quopiam Brixiano nonnulli textus ex libris tribus de Imitatione excerpti tribuuntur *Joanni Gerſen*, alii *Joanni Gerſon*. (o). Quid ad hoc fundamentum reponam, ſequens Reſponſio dabit.

RESPONSIO.

§ X. GRatulor inprimis RR.mo Brixiano de reperto tandem poſt tot Gerſeniſtarum fabulas Gerſene quodam, ſub Regula D. Benedicti Monacho, cui aptè congruerent conditiones & circumſtantiæ pro exſculpendo authore tam pretioſi libelli requiſitæ, ſi adforent argumenta poſitiva alicujus ponderis, eaque non vincerentur morali certitudine oppoſita ex conteſſeratione ſeptuaginta partim Synchronorum, partim coævorum idoneorum teſtium, partim ex complexo trecentorum Idiotiſmorum ſtyli, in duobus authoribus irreperibili, & contingenter initerabili.

Dixi 1. Joanni Gerſen, Monacho Cœleſtino Lugduni in Gallia, ac germano fratri Joannis Gerſonis Cancellarii, aptè congruere conditiones ac circumſtantias pro ſcribendo ejuſmodi pio libro requiſitas. Natus eſt circa annum 1380, (p) hoc eſt, uno ac altero circiter anno poſt vel ante

(n) In ſuo *Saggio* poſteriore, edito 1763. fol. 94. Coroll. VI: ſic ſcribit: *Joannem Gerſonem Priorem Cæleſtinorum Lugduni, & fratrem Cancellarii Pariſienſis Libelli authorem fuiſſe, cenſendum eſt.*

(o) Vide Spicilegium RR.mi Brixienſis, quod ne meis Lectoribus ad formandum ſolidum judicium quidquam deſit, noviter reimpreſſum integre ad calcem hujus reſponſionis meæ adjungo.

(p) Joannem Gerſen Cœleſtinum, fratrem Cancellarii natum eſſe *circa* annum 1380, hoc eſt, vel hoc ipſo anno, vel intra triennium præcedens, aut conſequens, manifeſtè colligitur ex pluribus teſtimoniis Gerſonis Cancellarii,

Inpri-

te nativitatem Thomæ Kempenſis. Studuit Pariſiis ſub directione ſui germani fratris Cancellarii, à quo tenerrimè amabatur. Jamque accinctus erat ad recipiendum Magiſterium, vel Licentiatum in Theologia, cùm inſpiratione divina & cohortatione ſuæ piæ Matris motus ſtatum Reli-

Inprimis enim teſtatur, eum in Novitiatu apud Cœleſtinos Lugdunenſes fuiſſe adhuc *Juvenem delicatum* ac *verecundum*. Secundo teſtatur, eum à ſe Lugdunum ad Cœleſtinos directum ac deductum fuiſſe ex inſtinctu Petri de Alliaco Epiſcopi Cameracenſis, quem aliunde conſtat Epiſcopatum Cameracenſem rexiſſe ab anno 1395 usque ad annum 1409. Ulterius affirmat, Joannem necdum recepiſſe Licentiam aut Magiſterium in Artibus Denique ſcribit, ſe jam habere ætatem *propinquam ſenectutis*. Epiſtola hæc Gerſonis extat Tom. III. Operum Gerſonis Edit. Pariſ. fol. 742. Cum ergo Gerſon Cancellarius natus ſit anno 1363, & ætas propinqua ſenectuti non incipiat ante annum ætatis quinquageſimum, aut quadrageſimum quintum, ille ingreſſus Joannis Gerſenis adhuc *delicati* ac *verecundi* Juvenis in Novitiatum ultra annum 1406, quo V. Thomas jam profeſſionem emiſit, & ejus Nativitas ultra annum 1380, quo V. Thomas primum ætatis annum agebat, notabiliter retrahi nequit. En! ipſa verba Gerſonis Cancellarii ad germanum fratrem ſuum Nicolaum, Cœleſtinum Lugduni & Magiſtrum junioris ſui fratris *Joannis Gerſen* in Novitiatu. . .

„ Dum placuit humili charitati RR.mi Patris ac Præceptoris mei præcipui Cameracenſis Epiſcopi ducere me ad viſitandum te, & domum tuam, tandem „ conveneram cum Priore veſtro, & tecum, ut mutuò ſuper ſtatu Germani „ noſtri ſcriberemus. Ego præterea jure meo mihi videbar rationabiliter uſurpare Magiſterium aliquod judicandi de ſtatu ſuo tam per experientias pro„ prias, quàm inſtructiones acquiſitum jam usque ad *propinquam ætatem ſe„ nectutis*. (NB Gerſon natus eſt 1363,) At forſan objicies? Turbant litteræ „ tuæ fratrem noſtrum Frater, volo, ſicut frater conſolari & velut ma„ gis expertus tentationum offendicula diſcutere, præſertim cùm adhuc eſt „ in bivio. Accipio, quod graviſſimis torquetur inſomniis. Hanc moleſtiam „ ſibi in ſæculo contigiſſe non memini. O Chriſte, quid ſibi futurum eſt ſe„ neſcenti, ſi adhuc *juveni* & vegeto talis cruciatus occurrit? Cruciatus, „ quo nullus magis poteſt ipſum reddere hebetem in ingenio, fluidum in „ memoria, turbatum in judicio, & ineptiſſimum ad omnia. Parum differt „ à mania, vel furia, talis turbatio Ecce! quid efficiet ſollicitudo tua, ſi de „ ſano & ingenioſo reddit ſtolidum & inſanum? Abſit, inquies: non ex reli„ gionis arctitudine vel conditione hæc illi acciderunt; ſed litterarum pulve„ res hanc ſtimulationem ſuis aculeis attulerunt: has volvit & revolvit invitus. „ Veruntamen attende frater, ſi ſolæ litteræ (meæ) ſufficerent, *verecundum* „ *Juvenem* in talem defectum inducere? — Hæc ſibi malui ſcribere, quàm „ alteri

Religioſum apud Cœleſtinos Lugdunenſes ſuſcipit circa annum 1405. (q) quo ipſiſſimo anno Thomas Kempenſis ſuum Novitiatum adierat (r). In Novitiatu graviſſimas perplexitates cerebri paſſus eſt, quæ ipſum fermè ad inſaniam redegerunt. Gerſon Cancellarius eas indiſcreto rigori primitùs adſcripſerat, ſed ſuperata tentatione rigorem in Novitiatu adhibitum collaudat (s). In Ordine ea ſpecimina virtutis & ſcientiæ præbuit, ut poſt mortem fratris ſui Nicolai, in eodem Monaſterio Lugdunenſi priori anno 1427 in Priorem electus ſit, vivente adhuc Gerſone Cancellario, ejusdem Monaſterii jam per ſeptem annos Convictore ſeu Alumno (t). De ſcriptis hujus Joannis Gerſenis nil certi conſtat. Veroſimile tamen eſt, ejus laborem eſſe exhortationem ad ſuos Religioſos ſub Regula S. Benedicti conſtitutos, piè & eloquenter ſcriptam (u), & à ſtylo librorum de Imitatione, progrediente per mera inciſa, valdè diverſam.

Dixi 2.do RR.mum Brixianum non afferre motiva ſatis ponderoſa, quibus moveamur ad aſſerendum, in Manuſcripto Brixiano per Compilatorem ſententiarum ſententias *Gerſenianas* & *Gerſonianas* potius ex diverſis operibus duorum Authorum, quàm ex diverſis exemplaribus partim Manuſcriptis partim impreſſis, unis Gerſenem, aliis Gerſonem pro Authore referentibus, deſumptas eſſe. Extitiſſe in Italia eo tempore, quo Compilator ſcripſit, videlicet ab anno 1478 usque ad annum 1491. (x), exemplaria Manuſcripta & Impreſſa, circa genuinum nomen

„ alteri germano noſtro, quatenus ſatisfacerem ſicut pater & frater *delicato* „ adhuc filio & fratri &c. Idem Cancellarius ſcribit ſuo germano fratri poſt „ ejus profeſſionem his verbis: Ille, qui à puero miſertus eſt tibi, dans tibi „ cor pium & timoratum, ſuperaddidit miſericordiam, ut te repelleret à ſæ- „ culo nequam, in quo demergendus eras irrevocabiliter, ſi Licentiam aut „ Magiſterium in Artibus adeptus fuiſſes.

(q) Patet ex Nota præcedente

(r) Patet ex ejus Chronotaxi inſerta Deductioni meæ Criticæ in Prolegomenis.

(s) Vide præfatam Gerſonis Epiſtolam ad Nicolaum fratrem in Nota (c).

(t) Vide Vitam Gerſonis inter ejus opera.

(u) Vide Tom. III Operum Gerſonis. fol 710. 728. 731. & 732.

(x) Libri de Imitatione ſub nomine Gerſonis prodierant Venetiis in 4to per Loslein 1483 & per Dionyſium ac Peregrinum 1585 Vide Maittaire Tom. V. Annal Typograph. fol. 437. Econtra Manuſcripta quædam Italiæ, v. g. Padelironenſe, Aronenſe ſeu potius Genuenſe, nomen Gerſenis exprimunt.

men authoris variantia, certum eſt (y). Compilatorem, qui nuperrimè, videlicet anno 1476. (y) religioſam profeſſionem emiſerat, necdum potuiſſe aut voluiſſe eſſe idoneum dirimendæ inter jura Gerſenis & Gerſonis controverſiæ judicem, religioſæ leges modeſtiæ & prudentiæ ſuadent & jubent. Quid ergo mirum, ſi vir Religioſus modeſtus ſervata fide duorum variantium Codicum pro opportunitate modo unius, modo alterius Inſcriptione in ſuis excerptionibus uſus ſit? Ex ea autem variatione nec Gerſeni nec Gerſoni quidpiam *certi* juris conſurgit, quod vinci nequeat morali certitudine oppſita.

Si dicatur; omnia Italiæ Exemplaria tam Manuſcripta quam impreſſa, ante annum 1490 exarata, nomen Gerſenis, vel Gerſonis referendo fundare præſumptionem de generali perſuaſione Italiæ pro alterutro ex duobus fratribus Gerſonibus, in qua alternatione disjunctiva veritas ex parte illius ſedet, cui ſoli exacte congruit.

Respondeo 1.mo Illa perſuaſio verſabatur circa objectum pauciſſimis cognitum intra obſcuros unius vel alterius cellulæ parietes; igitur non erat univerſalis. 2.do Non eſt continua ab ipſo Gerſonum obitu, ſed orta eſt primùm circiter quadraginta annis poſt eorum mortem. 3.tio Non dat rationem ſuæ ſcientiæ. Neque enim ſe refert ad teſtes Synchronos. 4.to Non refert eandem in Joanne Gerſen Lugdunenſi vultûs imaginem quoad ſtylum. 5.to Nec Lugduni, ubi obierunt ambo Gerſenes ſeu Gerſones, Cœleſtinus & Cancellarius, nec Avenione, ubi depoſita eſt tota ſuppellex Gerſonis Cancellarii libraria, reperitur ullum indicium. Hujusmodi proin præſumptiones in favorem unius ex duobus Gerſonianis fratribus facilè vincuntur ex morali ceritudine oppoſita per teſtes Synchronos & Familiares vita & ſcriptis celebres, qui teſtantur de viſu & auditu proprio in favorem Thomæ Kempenſis.

Restat, ut reſpondeam ad inexpectatum conceptum RR.mi Brixiani, quo adſtruit, Librum de Imitatione ex ſcriptis duorum fratrum, Joannis Gerſen Cœleſtini & Joannis Gerſon Cancellarii compoſitum fuiſſe (z). Fundamentum ipſius eſt, quia Compilator Brixianus anno 1490 quosdam textus in libro de Imitatione contentos tribuit Joanni Gerſen, alios Joanni Gerſon.

(y) Vide RR. Brixianum in ſuo *Saggio*, edito 1763. fol. 26 & 27.
(z) Ita RR.mus Brixianus in ſuo *Saggio ſecundo*, edito Brixiæ 1763. *Corol*

Respondeo 1.mo Compilatorem Brixianum aliquando non ſolùm ejuſdem libri, ſed etiam ejuſdem Capitis unos verſus tribuere Gerſeni, alios Gerſoni (a). Itaque non ſolùm libri de Imitatione, ſed etiam capitula forent conſarcinata per modum Centonis ex Opuſculis Gerſenis & Gerſonis nulli hominum, niſi Compilatori Brixiano anno 1490. notis. Ubi nunc latent? cui unquam fuerunt cognita illa Gerſenis & Gerſonis Opuſcula? Si nullibi? ſi nulli? quis prohibeat, ejuſmodi ſuppoſitiones gratuitas, dum alia cauſa, videlicet uſus duorum exemplarium unius *Gerſeni* alterius *Gerſoni* inſcriptorum, in promptu eſt, vocare *figmenta gratuita*? Secundò, ſi liber de Imitatione ex Opuſculis Gerſenis & Gerſonis conſarcinatus eſt, quandonam? & à quonam id factum? an circa annum 1420, quo jam dicuntur, ſeu putantur reperiri exemplaria de Imitatione? an ea facta ab alio Gerſene, vel à Joanne aut Thoma Malleolo? Quid prohibet, ipſummet Ven. Thomam, qui à Synchronis Scriptoribus dicitur *compilaſſe* librum de Imitatione, collegiſſe ex anteriorum Aſcetarum ſcriptis breves hinc inde inſperſas ſententias? Nonne fabulatorum eſt, bonas horas perdere ejuſmodi merarum *poſſibilitatum*, *conjecturarum*, vel etiam *probabilitatum ſeorſim ſpectatarum* ſomniis, ubi moralis certitudo pro Thoma K. in plena meridie illucet ex ſepuaginta coævis teſtibus & trecentis Idiotiſmis ſtyli contingenter inimitabilis demonſtrata? Quo tandem omnia paucis in tanta variatione Codicum & Scriptorum Gerſenianorum concludam? Oraculum Tertulliani ſubjungo: *Quod apud multos unum invenitur, non eſt erratum, ſed traditum.* Lib. de Præſcript. c. 28. Inverto ego: QUOD IN EADEM REGIONE AC NATIONE A SYNCHRONIS IN RE HISTORICA VARIATUM REPERITUR, NON EST TRADITUM, SED ERRATUM. (b).

(a) Sic enim L. 1. C. 25 Verſum 41. & 47. Tribuit Gerſeni; econtra eodem libro & capite verſum 16. & 49. Tribuit Gerſoni. Vide Spicileg. de anno 1762. fol. 2. & 15. item de anno 1763. fol. 67 & 84

(b) *Variaſſe debuerat*, inquit idem Tertullianus l. cc. *error Eccleſiarum* (puta Germaniæ) *Ecquid veroſimile eſt, ut tot ac tanta in unam fidem* (hiſtoricam de re recenti, ac patria ac ſcriptis publicis conſignata) *erraverint? nullus inter multos eventus eſt unus exitus.*

SPICI-

SPICILEGIUM
SIVE
COLLECTIO

Fragmentorum aliquot Joannis Gerſen, & Joannis Gerſon, quæ in Codice Bibliothecæ Monaſterii SS. Fauſtini & Jovitæ Majoris Brixiæ delituerant; & eorundem collatio cum Libello de Imitatione Chriſti Vulgatæ Editionis.

Editum à RR.^{mo} Brixiano anno 1762 & 1763.

Ex Codice Fauſtiniano.

Pag. 49. terg.

De Utilitate quietis, & quibus conveniat vita activa. Joan. Gerſen.

FAcilius eſt domi latere, quàm foris ſe ſufficienter cuſtodire. In ſilentio, & quiete proficit anima devota, & diſcit abſcondita Scripturarum. Ibi invenit fluenta lacrymarum, quibus ſingulis noctibus ſe lavet, ut conditori ſuo tanto familiarior fiat, quanto longius ab omni tumultu ſæculari degit.

Nemo ſecure apparet, niſi qui libenter latet. Nemo ſecure loquitur, niſi qui libenter tacet. Nemo ſecure præeſt, niſi qui libenter ſubeſt. Nemo ſecure præcipit, niſi qui libenter obedire didicit. Qui atten-

Ex Libello

De Imitatione Chriſti. Vulg. Edit.

L*Ib.* 1.*Cap.* 20. *verſ.* 7. *Facilius eſt domi latere, quàm foris ſe ſufficienter cuſtodire.*

. . . *Verſ.* 25. *In ſilentio & quiete proficit anima devota, & diſcit abſcondita Scripturarum.* (26.) *Ibi invenit fluenta lacrymarum, quibus ſingulis noctibus ſe lavet, & mundet, ut conditori ſuo tanto familiarior fiat; quanto longius ab omni ſæculari tumultu degit.*

. . . *Verſ.* 9. *Nemo ſecure apparet, niſi qui libenter latet.* (10.) *Nemo ſecure loquitur, niſi qui libenter tacet.* (11.) *Nemo ſecure præeſt, niſi qui libenter ſubeſt.* (12.) *Nemo ſecure præcipit, niſi qui libenter obedire*

dit ad interiora, & ſpiritualia pervenire, oportet eum cum Jesu declinare à turba. Nemo dignus eſt cœleſti conſolatione, niſi qui ſe diu exercuerit in ſancta compunctione. Diſcè exteriora contemnere, & ad interiora te dare, & videbis regnum Dei in te venire, quod eſt juſtitia, & pax, & gaudium in Spiritu ſancto. Si renuis conſolari exterius, poteris ſpeculari cœleſtia, & frequenter interius jubilare. Si neſcis alta ſpeculari, & cœleſtia, requieſce in paſſione Chriſti, & in vulneribus ejus inhabita. Gaudebis Veſpere, ſi diem expendas fructuoſe. Memento ſemper finis, & quod perditum nunquam redit tempus.

didicit. . . . Verſ. 8. Qui igitur intendit ad interiora, & ſpiritualia pervenire, oportet eum cum Jeſu à turba declinare. . . . Verſ. 22. Nemo dignus eſt cæleſti conſolatione, niſi diligenter ſe exercuerit in ſancta compunctione.

Lib. 2. Cap. 1. Verſ. 2. Diſce exteriora contemnere, & ad interiora te dare, & videbis Regnum Dei in te venire. (3.) Eſt enim Regnum Dei pax & gaudium in Spiritu ſancto. (39.) Si renuis conſolari exterius, poteris ſpeculari cæleſtia, & frequenter jubilare interius. . . Verſ. 20. Si neſcis ſpeculari alta, & cæleſtia, requieſce in Paſſione Chriſti, & in ſacris vulneribus ejus libenter habita. Lib. 1. Cap. 25. Verſ. 47. Gaudebis ſemper veſpere, ſi diem expendas fructuoſe. . . . Verſ. 41. Memento ſemper finis, & quod perditum non redit tempus.

Pag. 50. terg.

Ubi conſiſtat Sanctitas hominis.
Joan. Gerſen.

Merita non ſunt ex hoc exiſtimanda, ſi quis plures viſiones, aut conſolationes habeat; vel ſi peritus ſit in Scripturis, vel in altiori ponatur gradu. Sed ſi vera fuerit humilitate fundatus, & divina charitate repletus, ſi Dei honorem pure, & integre in omnibus ſemper quærat. & ſi ſe ipſum nihil reputet, & in veritate deſpiciat, atque ab aliis

etiam

Lib. 3. Cap. 7. Verſ. 23. Nam merita non ſunt ex hoc exiſtimanda, ſi quis plures viſiones, aut conſolationes habeat; vel ſi peritus ſit in Scripturis, aut in altiori ponatur gradu. (24.) Sed ſi vera fuerit humilitate fundatus, & divina charitate repletus. Si Dei honorem pure, & integre ſemper quærat. Si ſeipſum nihil reputet, & in veritate deſpiciat, atque ab aliis etiam

deſpi-

etiam deſpici, & humiliari, magis gaudeat; quàm honorari.

Ibidem.

De Difficultate Religionis. Jo. Ger.

Hic nemo poteſt ſtare, niſi ex toto corde voluerit ſe humiliare. Qui aliud in religione, quam pure Deum, & animæ ſuæ ſalutem, non inveniet, niſi tribulationem, & dolorem.

Major labor eſt reſiſtere vitiis, & paſſionibus, quam corporalibus inſudare laboribus. Multum, & diu oportet hominem in ſe ipſo certare, & totum affectum ſuum plene in Deum trahere. Si incipis tepeſcere, incipies male habere. Religioſus etiam negligens, & tepidus habet tribulationem ſuper tribulationem, quia ex omni parte patitur anguſtias, quia interiori conſolatione caret, & exteriorem quærere prohibetur. Qui laxiora quærit, & remiſſiora, ſemper in anguſtiis erit. Religioſus vivens extra diſciplinam, gravi patet ruinæ. Si dederis te ad fervorem, invenies magnam pacem, & ſenties leviorem laborem propter Dei gratiam, & virtutis amorem. Si pietatis, aut ſine utilitatis propoſito quandoque exercitium ſpirituale conſuetum intermittitur, facile poſtea recuperari poteſt. Si autem tædio animi, aut negligentia faciliter relinquitur, non

deſpici, & humiliari magis gaudeat, quam honorari.

Lib. 1. *Cap.* 17. *Verſ.* 11.

Hic nemo poteſt ſtare, niſi ex toto corde ſe voluerit propter Deum humiliare. (7.) *Qui aliud quærit, quam pure Deum, & animæ ſuæ ſalutem, non inveniet niſi tribulationem & dolorem.*

- - *Cap.* 25. ℣. 45. *Major labor eſt reſiſtere vitiis, & paſſionibus, quam corporalibus inſudare laboribus. Lib.* 2. *Cap.* 9. ℣. 11. *Multum, & diu oportet hominem in ſe ipſo certare ante quam diſcat ſe ipſum plene ſuperare & totum affectum ſuum in Deum trahere. Lib.* 1. *cap.* 25. ℣. 49. *Si incipis tepeſcere, incipies male habere.* - - - ℣. 29. *Religioſus negligens, & tepidus habet tribulationem ſuper tribulationem, & ex omni parte patitur anguſtiam, quia interiori conſolatione caret, exteriorem quærere prohibetur.*

- - - *Verſ.* 31. *Qui laxiora quærit, & remiſſiora, ſemper in anguſtiis erit.* - - - *Verſ.* 30. *Religioſus extra diſciplinam gravi patet ruinæ.*

- - - *Verſ.* 43. *Si autem dederis te ad fervorem, invenies magnam pacem, & ſenties leviorem laborem, propter Dei gratiam, & virtutis amorem.* - - *Cap.* 19. *Verſ.* 10. *Si pietatis cauſa, aut fraternæ utilitatis*

non modicum nocivum ſentietur. . . Vive Deo gratus toti mundo tumulatus. Crimine mundatus, ſemper tranſire paratus.

vis propoſito, quandoque conſuetum omittitur exercitium, facile poſtea poterit recuperari.

- - *Verſ.* 12. *Si autem tædio animi, aut negligentia faciliter relinquitur, ſatis culpabile eſt, & nocivũ ſentietur.*

- - *Cap.* 23. *Verſ.* 17. *Semper ergo paratus eſto, & taliter vive, ut nunquã te imparatum mors inveniat.*

Pag. 51. terg.

De Utilitate Lectionis. Iſidorus.

Omnis profectus ex lectione, * & meditatione procedit &c. Jo. Gerſen. Veritas in Scripturis ſanctis quærenda eſt, non eloquentia, quærere autẽ debemus magis utilitatem in Scripturis, quam ſublimitatem ſermonis. Non te offendat auctoritas ſcribentium, utrum parvæ, vel magnæ litteraturæ fuerint. Sine perſonarum acceptione variis modis loquitur nobis Deus.

Lib. 1. *Cap.* 5. *Verſ.* 1.

Veritas in Scripturis ſanctis quærenda, non eloquentia.

- - - *Verſ.* 3. *Quærere potius debemus utilitatem in Scripturis, quam ſublimitatem ſermonis.*

- - - *Verſ.* 5. *Non te offendat auctoritas ſcribentis, utrum parva vel magna litteraturæ fuerit.*

- - - *Verſ.* 7. . . . *Sine perſonarum acceptione loquitur nobis Deus.*

Pag. 52.

De nimia implicatione in Exterioribus. Joan. Ger.

Nos nimium occupamur propriis paſſionibus, & ſollicitamur nimis in tranſitoriis, & inutilibus rebus. O Domine, quouſque venimus? Quod parum, vel nihil prodeſt attenditur, & quod ſumme neceſſarium eſt negligenter prætceritur, quia

- - *Cap.* 11. ℣. 6. *Nos nimium occupamur propriis paſſionibus & tranſitoriis nimis ſollicitamur.*

Lib 3. *Cap.* 44. *Verſ.* 5. *O Domine quouſque venimus. . . . .* (6.) *Quod parum, vel nihil prodeſt, attenditur, & quod ſumme neceſſarium eſt negligenter*

* Edit. de anno 1763. omittit verba: & meditatione procedit.

totus homo ad exteriora defluit, & niſi cito reſipiſcat, libens in exterioribus jacet. Neſcio, quo ſpiritu ducimur, qui ſpirituales dici videmur, quod totum laborem, & ampliorem ſollicitudinem pro tranſitoriis, & vilibus rebus agimus, & de interioribus noſtris vix raro plene recollectis ſenſibus cogitamus, . . Gregorius, ... Tanto quisque à ſuperno amore . . . . &c. Johan. Ger. Hoc eſt, quod maxime impedit cœleſtem conſolationem, quia tardius convertis te ad orationem.

genter præteritur, quia totus homo ad exteriora defluit, & niſi cito reſipiſcat, libens in exterioribus jacet. - - Cap. 31. ℣. 13. Neſcio, quid eſt, quo ſpiritu ducimur, & quid prætendimus, qui ſpirituales dici videmur, quod tantum laborem, & ampliorem ſollicitudinem pro tranſitoriis, & vilibus rebus agimus, & de interioribus noſtris vix raro plene recollectis ſenſibus cogitamus.

- - Cap. 30. Ver. 3. Hoc eſt, *quod maximè conſolationem impedit cæleſtem, quia tardius te convertis ad orationem.*

Pag. 53.

De Damno Curioſitatis, & inquietudinis. Jo. Gerſen.

Ex quo nova delectat aliquando audire, oportet exinde tribulationem cordis tolerare. Si te ſubtraxeris ab otioſis circuitionibus, & ſuperfluis locutionibus, nec non à novitatibus, & rumoribus mundi audiendis, invenies tempus ſufficiens pro bonis meditationibus inſiſtendis.

Diſturbat pacem mentis in alienis factis, & dictis ſe occupare, & quærere forinſecus occaſiones. Tanto magis homo Deo appropinquat, quanto ab omni ſolatio terreno longius recedit. Tanto etiam aſcendit, quanto profundius ſibi

Lib. 1. Cap. 20. Verſ. 42.

- - - Ex quo nova delectat aliquando audire, oportet te exinde tribulationem cordis tolerare.

- - - Verſ. 2. Si te ſubtraxeris à ſuperfluis locutionibus, & otioſis circuitionibus, nec non à novitatibus, & rumoribus audiendis invenies tempus ſufficiens, & aptum, quo bonis meditationibus inſiſtas.

- - Cap. 11. ℣. 2. Quomodo poteſt ille diu in pace manere, qui alienis curis ſe intromiſcet, qui occaſiones forinſecus quærit?

Lib. 3. Cap 42. ℣. 6 Tanto homo *Deo magis appropinquat, quanto ab omni ſolatio terreno longius recedit.*

ipſi vileſcit. Quandocunque homo inordinate aliquid appetit, ſtatim in ſe ipſo inquietus fit.

Pag. 69.

De Utilitate meditandi paſſionem Chriſti. Jo. Gerſen.

Religioſus, qui ſe intenta mente, & devote in ſanctiſſimâ vita & paſſione Domini exercet, omnia neceſſaria, & utilia ad perfectionem abundanter inveniet. Ex omnibus tibi charis ſit Jesus Dilectus ſpecialis. Solus Jesus ſingulariter eſt amandus. Quando Jesus intus non loquitur, conſolatio vilis eſt. Solus Deus imenſus, & æternus implens omnia, ſolatium eſt animæ, & vera cordis lætitia.

Pag 71 terg.

De mortificatione propriæ voluntatis . . .

* *Apoſtolus.*

Si quis videtur inter vos ſapiens eſſe in hoc . . . &c. Gregorius. Ad veram ſapientiam pervenire. . . . . &c. Johan.Gerſo. Si Bonum eſt tuum ſentire, & hoc propter Deum dimittis, & aliud ſequeris, magis ex-

(7.) *Tanto etiam altius ad Deum aſcendit, quanto profundius in ſe deſcendit, & plus ſibi ipſi vileſcit.*

Lib. 1. Cap.6. ℣.1. Quandocunque homo aliquid inordinate appetit, ſtatim in ſe inquietus fit.

- - Cap. 25. Verſ. 26.

Religioſus, qui ſe intente, & devote in ſanctiſſima vita & paſſione Domini exercet: omnia utilia, & neceſſaria ibi abundanter inveniet.

Lib.2. Cap. 8. Verſ.21. Ex omnibus ergo charis ſit JEſus ſolus Dilectus ſpecialis.

- - - Verſ.23. Solus JEſus ſingulariter eſt amandus.

- - - Verſ. 2. Quando JEſus intus non loquitur, conſolatio vilis eſt.

- - Cap.5.℣.19. Solus Deus æternus, & imenſus, implens omnia, ſolatium eſt animæ, & vera cordis lætitia.

Lib. 1. Cap. 9. Verſ. 9.

Si Bonum eſt tuum ſentire, & hoc ipſum propter Deum dimittis, & alium ſequeris, magis exinde proficies.

- - Cap.

* In Edit. de 1762. deſunt: Apoſtolus. Si quis videtur inter vos ſapiens eſſe in hoc . . . &c.

exinde proficies. Si rationi tuæ magis inniteris, vel induſtriæ, quam virtuti ſubjectivæ Jeſu Chriſti, raro, & tarde eris homo illuminatus, quia Deus vult nos omnem rationem, per inflammatum amorem tranſcendere.

Ibidem.

De contemnenda temporali gloria, & ignominia; ſi quis hoc poteſt absque periculo, vel detrimento ſalutis. Johan. Gerſon.

Omnis quidem gloria humana, omnis honor temporalis, omnis altitudo mundana, æternæ gloriæ comparata, vanitas eſt, & ſtultitia.

Magnam habet tranquillitatem, qui laudes non quærit, nec vituperia timet. Non es ſanctior, ſi lauderis, nec vilior, ſi vitupereris.

Quanto perfectius infimis quis renunciat, & magis ſibi ipſi per contemptum moritur, tanto gratia celerius venit, copioſius intrat, & altius liberum cor elevat.

Quam tutum pro conſervatione cœleſtis gratiæ humanam fugere apparentiam, nec appetere, quæ foris admirationem videntur præbere. Quam multis nocuit vita ſcita, ac præpropere laudata. Quam ſane profuit gratia ſilentio ſervata in hac fragili vita. Bene ſemper agere, & modi,

- - *Cap.* 14. *Verſ.* 9. *Si rationi tuæ magis inniteris, vel induſtriæ, quam virtuti ſubjectivæ Jeſu Chriſti, raro, & tarde eris homo illuminatus, quia Deus vult nos ſibi perfecte ſubijci, & omnem rationem per inflammatum amorem tranſcendere.*

Lib. 3. *Cap.* 40. *Verſ.* 22.

Omnis quidem gloria humana, omnis honor temporalis, omnis altitudo mundana, æternæ gloriæ comparata, vanitas eſt, & ſtultitia.

Lib. 2. *Cap.* 6. *Verſ.* 15. *Magnam habet cordis tranquillitatem, qui nec laudes curat, nec vituperia.*

- - *Verſ.* 17. *Non es ſanctior, ſi laudaris, non vilior, ſi vituperaris.*

Lib. 4. *Cap.* 15. *Verſ.* 9. *Et quanto perfectius infimis quis renunciaverit, & magis ſibi ipſi per contemptum ſui moritur, tanto gratia celerius venit, copioſius intrat, & altius cor liberum elevat.*

Lib. 3. *Cap.* 45. *Verſ.* 28. *Quam tutum pro conſervatione cœleſtis gratiæ humanam fugere apparentiam, nec appetere, quæ foris admirationem videntur præbere.* - - *Verſ.* 29. *Quam multis nocuit virtus ſcita, ac præpropere laudata.* (30.) *Quam ſane profuit gratia ſilentio ſervata* in

modicum de ſe tenere humilis animæ indicium eſt. Ambulare cum Deo intus, nec aliqua affectione foris teneri, ſtatus eſt hominis interni. Qui cor vigilans intus non habet, nec Deum præ oculis, faciliter verbo movetur vituperationis.

in hac fragili vita. Lib. 2. Cap. 6. V. 22. Bene ſemper agere, & modicum de ſe tenere humilis animæ indiciũ eſt. - - Verſ. 26. Ambulare cum Deo intus, nec aliqua affectione teneri foris, ſtatus eſt interni hominis. Lib. 3. Cap. 45. Verſ. 11. Sed qui cor intus non habet, nec Deum præ oculis, faciliter verbo movetur vituperationis.

Si nihil aliud quam Dei beneplacitum, & proximi utilitatem intendis, & quæris, interna libertate inſueris. *

Lib. 2. Cap. 4. Verſ. 4. Si nihil aliud quam Dei beneplacitum & proximi utilitatem intendis, & quæris, interna libertate perfrueris.

Pag. 72. terg.

Quod homo non ſe debet alteri præferre etiam iniquo. Greg. in moralibus.

Nemo itaque de ſuis operibus &c. Johan. Gerſon.

Ille, qui majora accepit, non poteſt merito ſuo gloriari, nec ſuper alios extolli, nec minori inſultare, quia ille melior eſt, qui ſibi minus adſcribit, & in regratiando humilior eſt, atque devotior, & qui in omnibus ſe viliorem exiſtimat, & indigniorem ſe judicat, aptior eſt ad recipiendum majora. Qui extra beneplacitum Dei, in aliquo privato bono voluerit gloriari, non ſtabilietur in vero gaudio, neque in corde ſuo dilatabitur. Sed multipliciter impedietur, & in ſe anguſtiabitur. Multum contrariatur ſupernæ

Lib. 3. Cap. 21. Verſ. 7.

Ille, qui majora accepit, non poteſt merito ſuo gloriari, neque ſuper alios extolli, nec minori inſultare, quia ille major, & melior, qui ſibi minus adſcribit, & in regratiando humilior eſt, atque devotior.

- - (8.) Et qui omnibus viliorem ſe exiſtimat, & indigniorem ſe judicat, aptior eſt ad percipienda majora. - - Cap. 9. Verſ. 7. Qui autem extra me voluerit gloriari, vel in aliquo privato bono delectari, non ſtabilietur in vero gaudio, neque in corde ſuo dilatabitur, ſed multipliciter impedietur, & anguſtiabitur.

Lib. 2.

* Edit. de 1762. habet fruerís.

pernæ viſitationi falſa libertas animi, & magna confidentia ſui.

Lib. 2 Cap. 10. Verſ. 7. Multum autem contrariatur ſupernæ viſitationi falſa libertas animi, & magna confidentia ſui.

Pag. 78.

De gratitudine, & patientia exhortatio. Johannis Gerſon.

Eſto gratus in minimo, & eris dignus majora accipere. Sit tibi minimum etiam pro maximo, & magis contemptibile pro ſpeciali dono, non enim parvum eſt, quod à ſummo Deo donatur. Qui gratiam Dei bene retinere deſiderat, ſit gratus pro data, patiens pro arrepta; oret, ut redeat, cautus ſit & humilis, ne amittat. Vult Deus, ut tribulationem ſine conſolatione diſcas pati, ut illi te totaliter ſubijcias, & humilior ex tribulatione fias. Crux ubique te expectat, non potes eam fugere, quia ubicunque te ipſum tecum portas.

- - - *Verſ. 21. Eſto igitur gratus pro minimo, & eris dignus majora accipere. (22.) Sit tibi minimum etiam pro maximo, & magis contemptibile pro ſpeciali dono. (23.) Non enim parvum eſt, quod à ſummo Deo donatur.*

- - - *Verſ. 25. Qui gratiam Dei retinere deſiderat, ſit gratus pro gratia data, patiens pro ablata, oret, ut redeat, cautus ſit & humilis, ne amittat.*

- - - *Cap. 12. Verſ. 18. Vult enim Deus, ut tribulationem ſine conſolatione pati diſcas, & ut illi totaliter te ſubijcias, & humilior ex tribulatione fias.*

- - - *Verſ. 20. Crux ergo ſemper parata eſt, & ubique te expectat. (21.) Non potes effugere, ubicunque concurreris, quia ubicunque veneris, te ipſum portas, & ſemper te ipſum invenies.*

Neceſſe eſt ubique tenere patientiam, ſi internam vis pacem, & perpetuam mereri coronam. Si tempore adverſitatis patienter ſe ſuſtinet homo ſpes magni profectus erit. Nemo aptus eſt ad apprehen-

(22.) *Et neceſſe eſt te ubique tenere patientiam, ſi internam vis habere pacem, & perpetuam promereri coronam.*

Lib. 1. Cap. 13. Verſ. 30. Sed ſi tempore adverſitatis patienter ſe ſuſtinet,

hendendum cœleſtia, niſi ſe ſubmiſerit pro Chriſto ad toleranda adverſa. . . . .

Si libenter portas crucem, portabit te, & deducet ad deſideratum finem. Si invite portas, onus tibi facis, & tamen oportet, ut ſuſtineas. Tota iſta vita mortalis plena eſt miſeriis, & circumſignata crucibus. . . Munit parum locus, ſi deeſt ſpiritus fervoris. Niſi ſteteris in Deo, permutare te potes, ſed non meliorare . . . * Iſidorus dicit: Sæpe dum mutatur locus, mutantur & mentis affectiones.

Joh. Ger. Scribe, lege, canta, geme, tace, ora, ſuſtine viriliter contraria, digna eſt his, & majoribus præliis vita æterna. Fac, quod in te eſt, & Deus aderit bonæ voluntati tuæ, quia nil apud Deum, quantumlibet parvum, pro Deo tamen paſſum poterit ſine merito tranſire. . . ** Iſaias. Qui ablactati eſtis ab ubere, tribulationem ſuper tribulationem expectate, & ſpem ſuper ſpem &c. Pag. 75.

*** *Definitio Hieronymi, quid ſit patientia.* Pa-

ſtinet, ſpes magni profectus erit. *Lib.* 2. *Cap.* 11. *Verſ.* 55. *Nemo aptus eſt ad comprehendendum cœleſtia, niſi ſe ſubmiſerit ad portandum pro Chriſto adverſa.*

. . . *Verſ.* 23. *Si libenter crucem portas, portabit te, & ducet ad deſideratum finem.* (24.) *Si invite portas, onus tibi facis, & te ipſum magis gravas, & tamen oportet, ut ſuſtineas.*

. . . *Verſ.* 30. *Quia tota iſta vita mortalis plena eſt miſeriis, & circumſignata crucibus.*

Lib. 3. *Cap.* 27. *Verſ.* 12. *Munit parum locus, ſi deeſt ſpiritus fervoris. . . . Niſi ſteteris in me, permutare te potes, ſed non meliorare.*

. . *Cap.* 47. *Verſ.* 8. *Scribe, lege, canta, geme, tace, ora, ſuſtine viriliter contraria, digna eſt enim his omnibus, & majoribus prœliis, vita æterna.*

Lib. 1. *Cap.* 7. *Verſ.* 4. *Fac, quod in te eſt, & Deus aderit bonæ voluntati tuæ.*

Lib. 3. *Cap.* 19. *Verſ.* 14. *Quia nil apud Deum quantumlibet parvum, pro Deo tamen paſſum poterit ſine merito tranſire.*

Cap. 6.

* In Edit. de 1762 deſunt: Iſidorus dicit, ſæpe, dum mutatur locus, mutantur & mentis affectiones.

** In Edit. de 1762. omittuntur: Iſaias. Qui ablactati eſtis ab ubere, tribulationem ſuper tribulationem expectate, & ſpem ſuper ſpem &c. Itemque

*** Definitio Hieronymi, quid ſit patientia. Patientia eſt omnium injuriarum &c. Exhortatio ejus ad virtutes, & ad patiendum pro Chriſto. Omnium fere creaturarum &c.

Patientia eſt omnium injuriarum &c
Exhortatio ejus ad virtutes, & ad patiendum pro Chriſto.
Omnium fere creaturarum &c.

Johan. Gerſon. Scito, quod antiquus hoſtis omnino nititur impedire deſiderium tuum in bono, & ab omni exercitio bono evacuare, à Sanctorum ſcilicet cultu, à pia paſſionis Chriſti memoria, à peccatorum utili recordatione, à proprii cordis cuſtodia, & à firmo propoſito proficiendi in religione virtute.

Multas malas cogitationes ingerit, ut tædium tibi faciat, & horrorem, ut ab oratione revocet, & ſacra lectione.

Diſplicet ſibi humilis confeſſio, & ſi poſſet à ſacra Communione ceſſare faceret. Certa tanquam miles bonus, & ſi interdum ex fragilitate corruis, reſume vires fortiores prioribus, confidens de ampliori gratia Dei, & multum præcave à vana complacentia, & ſuperbia.

Nec eſt totus ſpiritualis vitæ profectus, cum conſolationis habueris gratiam, ſed cum humiliter & patienter gratiæ tuleris ſubtractionem, ita quod tunc ab orationis ſtudio non torpeas, nec aliqua opera tua ex uſu facienda omnino dilabi permittas; ſed ſicut melius potueris, & intellexeris, libenter, quod in te eſt,

- - *Cap.* 6. *Verſ.* 15. *Scito, quod antiquus inimicus, omnino nititur impedire deſiderium tuum in bono, & ab omni devoto exercitio evacuare, à Sanctorum ſcilicet cultu, à pia paſſionis meæ memoria, à peccatorum utili recordatione, à proprii cordis cuſtodia, & à firmo propoſito proficiendi in virtute.*

- - *Verſ.* 16. *Multas malas cogitationes ingerit, ut tædium tibi faciat, & horrorem, ut ab oratione revocet, & ſacra lectione.* (17.) *Diſplicet ſibi humilis confeſſio, & (ſi poſſet) à communione ceſſare faceret.*

- - - *Verſ.* 21. *Certa tanquam miles bonus, & ſi interdum ex fragilitate corrueris, reſume vires fortiores prioribus, confidens de ampliori gratia mea, & multum præcave à vana complacentia & ſuperbia.*

- - *Cap.* 7. *Verſ.* 4. *Nec eſt in eo tantum ſpiritualis vitæ profectus, cum conſolationis habueris gratiam, ſed cum humiliter, & abnegate, patienterque tuleris ejus ſubtractionem. Ita quod tunc ab orationis ſtudio non torpeas, nec aliqua opera tua ex uſu facienda, omnino dilabi permittas.* (5.) *Sed ſicut melius potueris,*

eſt, facias, nec propter ariditatem, ſeu anxietatem mentis, quam ſentis, te totaliter negligas.

Tantum proficies, quantum tibi ipſi vim intuleris. . . . . . .

Duo ſpecialiter ad magnam emendationem juvant. Videlicet ſubtrahere ſe violenter ad quod natura vitioſe inclinatur, & frequenter inſtare pro bono, quo amplius. Eſto vigilans, & diligens in Dei ſervitio, & cogita frequenter, ad quid veniſti, & cur ſæculum reliquiſti; nonne ut Deo viveres, & ſpiritualis homo fieres? Igitur ad profectum ferveas, quia mercedem laborum cito recipies: nec erit tunc amplius timor, aut dolor in finibus tuis. Modicum nunc laborabis, & magnam quietem, immo perpetuam lætitiam invenies. Spem bonam retinere debes, quod ad palmam pervenies, ſed ſecuritatem capere non oportet, ne torpeas, aut elatus fias; Non eſt totum perditum, quando res accidit in contrarium, nec debes ſic accipere, tanquam ſpes ſit ablata emergendi.

Noli te putare relictum ex toto,

quam-

fueris, & intellexeris, libenter, quod in te eſt, facias, nec propter ariditatem, ſeu anxietatem mentis, quam ſentis, te totaliter negligas.

Lib. 1. Cap. 25. Verſ. 49. Tantum proficies, quantum tibi ipſi vim intuleris. Amen.

... Verſ. 16. Duo ſpecialiter ad magnam emendationem juvant, videlicet: ſubtrahere ſe violenter ad quod natura vitioſè inclinatur, & frequenter inſtare pro bono, quo amplius indiget.

... Verſ. 1. Eſto vigilans, & diligens in Dei ſervitio, & cogita frequenter, ad quid veniſti, & cur ſæculum reliquiſti. (2.) Nonne, ut Deo viveres, & ſpiritualis homo fieres? (3.) Igitur ad profectum ferveas, quia mercedem laborum tuorum in brevi recipies. Nec erit tunc amplius timor, aut dolor in finibus tuis. ... Verſ. 5. Modicum nunc laborabis, & magnam requiem, imo perpetuam lætitiam invenies. (6.) Spem bonam retinere debes, quod ad palmam pervenies, ſed ſecuritatem capere non oportet, ne torpeas, aut elatus fias.

Lib. 3. Cap. 30. Verſ. 20. Non eſt totum perditum, quando res accidit in contrarium. (21.) Nec debes judicare ſecundum præſens ſentire, nec ſic gravitati alicui undecunque venienti inhærere, & accipere tanquam omnis ſpes ſit ablata emergendi. (22.) Noli te putare relictum ex to-

to,

quamvis ad tempus miſerit tibi Deus aliquam tribulationem, vel ſubtraxerit conſolationem.

Sine dubio magis expedit tibi, & cæteris ſervis Dei, ut interdum ſine ſapore relinquaris, ne forte eleveris in bono ſucceſſu, & tibi ipſi placere velis in eo, quod non es. Magis placet Deo patientia, & humilitas in adverſis, quam conſolatio, & devotio in proſperis. Sine labore non pervenitur ad requiem.

Non eſt dignus Dei contemplatione, qui pro Deo non eſt exercitatus aliqua tribulatione; nam tentationibus probatis cæleſtis promittitur conſolatio.

Datur conſolatio, ut homo fortior ſit ad ſuſtinenda adverſa: ſequitur autem tentatio, ne ſe extollat de dono.

to, quamvis ad tempus tibi miſerim aliquam tribulationem vel etiam optatam ſubtraxerim conſolationem. . . (23.) Et hoc ſine dubio magis expedit tibi, & cæteris ſervis meis. (24.) Ut interdum ſine ſapore relinquaris, ne forte eleveris in bono ſucceſſu, & tibi ipſi placere velis in eo, quod non es.

- - Cap. 57. Verſ. 1. Fili magis placent mihi patientia, & humilitas in adverſis, quam multa conſolatio, & devotio in proſperis.

- - Cap. 19. Verſ. 18. Sine labore non tenditur ad requiem.

Lib. 2. Cap. 9. Verſ. 29. Non enim dignus eſt alta Dei contemplatione, qui pro Deo non eſt exercitatus aliqua tribulatione.

- - Verſ. 31. Nam tentationibus probatis, cæleſtis promittitur conſolatio . . . . (32.) Datur autem conſolatio divina, ut homo fortior ſit ad ſuſtinenda adverſa. (33). Sequitur etiam tentatio, ne ſe elevet de bono.

Pag. 75. terg.

De Excellentia ſpiritualis Conſolationis.

Idem. Excedunt ſpirituales conſolationes omnes mundi delicias, & carnis voluptates. Nam omnes deliciæ mundi, aut turpes ſunt, aut vanæ. Spirituales verò conſolationes ſolæ jucundæ, & honeſtæ, & a Deo puris mentibus infuſæ.

D. Euſ. Amort Mor. Certitudo &c.

- - Cap. 10. Verſ. 4. Excedunt enim ſpirituales conſolationes omnes mundi delicias, & carnis voluptates.

- - Verſ 5. Nam omnes deliciæ mundi aut vanæ ſunt, aut turpes: ſpirituales vero deliciæ ſolæ jucundæ, & honeſtæ, ex virtutibus progeni-

ta,

ta, & a Deo puris mentibus infuſa.

Pag 76.

Commendatio veræ religionis.
Joan. Ger.

O grata, & jucunda Dei ſervitus, qua homo veraciter efficitur liber, & ſanctus. O ſacer ſtatus religioſi famulatus, qui hominem Angelis reddit æqualem, Deo placabilem, Dæmonibus terribilem, & cunctis fidelibus commendabilem. O amplectendum, & ſemper optandum ſervitium, quo ſummum promeretur bonum, & gaudium acquiritur ſine fine manſurum.

Lib. 3. Cap. 10. Verſ. 25. O grata, & jucunda Dei ſervitus, qua homo veraciter efficitur liber, & ſanctus.
(26.) O ſacer ſtatus religioſi famulatus, qui hominem Angelis reddit æqualem, Deo placabilem, Dæmonibus terribilem, & cunctis fidelibus commendabilem.
(27.) O amplectendum, & ſemper optandum ſervitium, quo ſum̄um promeretur bonum, & gaudium acquiritur ſine fine manſurum.

Invenient magnam ſancti Spiritus conſolationem, conſequentur maximam mentis libertatem, qui arctam pro nomine JEſu ingrediuntur viam, & omnem mundi neglexerint curam. Dabit magnam confidentiam feliciter moriendi, perfectus contemptus mundi, fervens deſiderium in virtute proficiendi, amor diſciplinæ, labor pœnitentiæ, promptitudo obedientiæ, abnegatio ſui, & toleratio cujuslibet adverſi pro amore Chriſti.

- - - Verſ. 23. Invenient ſuaviſſimam Spiritus ſancti conſolationem. . .
(24.) Conſequentur magnam mentis libertatem, qui arctam pro nomine tuo ingrediuntur viam, & omnem mundanam neglexerint curam.
Lib. 1. Cap. 33. Verſ. 23. Dabit namque magnam fiduciam feliciter moriendi, perfectus contemptus mundi, fervens deſiderium in virtutibus proficiendi, amor diſciplinæ, labor pœnitentiæ, promptitudo obedientiæ, abnegatio ſui, ſupportatio cujuslibet adverſitatis pro amore Chriſti.

Pag. 77.
De periculo ferworis juvenum & novorum in via Dei.
Johan. Gerſon.

Qui adhuc in via devotionis novi ſunt, & imperiti, niſi conſilio diſcretorum ſe regant, faciliter decipi poſſunt, & elidi.

Lib. 3. Cap. 7. Verſ. 11.

Qui adhuc novi ſunt, & imperiti in via Domini, niſi conſilio diſcretorum ſe regant, faciliter decipi poſſunt, & elidi.

Expliciunt in Codice Joannis Gerſen, & Joannis Gerſon fragmenta, cum aliis Sacræ Scripturæ, & SS. PP. Hieronymi, Auguſtini, Gregorii Papæ, Iſidori, Bedæ, Anſelmi, Bernardi, Thomæ, Bonaventuræ, Archiepiſcopi Florentini, &c. ſub prædictis titulis immixta: & ita expliciunt, ut ne verbum quidem in Codice reperiatur, quod in Spicilegio deductum non fuerit. Ut autem quisque præ oculis habeat contracta, quæ latius in Diſſertatione expoſita fuere, placuit hic ſubnectere ſeptena, quæ ſequuntur Corollaria, & ne ignoret, quæ mihi majoris momenti viſa ſint.

COROLLARIUM I.

Libellum de Imitatione Chriſti, conſtare ex operibus Joannis Gerſen, & Joannis Gerſonis in fruſtulis ſecatis eo modo, quo ex Spicilegio apparet, certum eſſe debet (juxta regulas juris, & Criticæ artis, usque dum probetur hoc falſum eſſe) proindeque Spicilegium totius Libelli ſpecimen eſſe; cum eorundem fragmenta adeo abſorpta, & in libello translata conſpiciantur, ut in animum inducant, opera etiam, ex quibus fuerunt excerpta (quantum libelli moles patiebatur) abſorpta & translata fuiſſe. Idipſum quoque non obſcure innuunt in libello contenta; nam cuique animadvertenti manifeſtum fit, quædam a Magiſtro, ſeu Doctore ſæculari prodiiſſe, alia vero a Monachalis inſtituti viro: ſed ſecernere, quæ unius, alteriusve ſint, illi reſervatum eſt, cui Deus dederit prædicta opera e latebris eruere.

COROLLARIUM II.

Compertum cuique eſt: fragmenta ſub nomine Joannis Gerſen in Spicilegio exhibita, deprompta fuiſſe ex operibus, quæ ſub hoc eodem nomine circumferebantur, & pro manibus Piorum terebantur: ideoque compertum cuique eſſe debet Gerſenis nomen, non fuiſſe ex depravato Gerſonis nomine compactum, non Monachorum figmentum. Hinc elucet, qua afficiantur illi, qui depravationis

& fictionis labe Monachos inficere conati ſunt, licet præ manibus habuerint Codices nomen illud priori manu deſcriptum præſeferentes; & illi, qui non habuerunt, debuiſſent acquieſcere Judiciis Pariſienſibus, ea, quâ par erat ſolemnitate peractis, & prolatis à viris, integritate, doctrina, ac ſimilium rerum peritia fulgentibus. Mirum, quouſque ſtudia partium aliquos arripiant!

COROLLARIUM III.

NEque Joannes Gerſen, nec quiſquam alius, qui Joannis Gerſonis Cancellarii Pariſienſis ætatem præceſſerit, fuit Author Libelli de Imitatione Chriſti: cum Libelli hujuſce Author ſua fecerit, & in Libello tranſtulerit, quæ ſcripſerat prædictus Gerſon. Ea vero de cauſa Amanuenſes Codicibus, Gerſenis, vel Gerſonis nomen appoſuerunt, quia quæ ſcripſerat unus, vel alter, quiſque pro ſuo captu, in exemplaribus tranſcribendis invenerunt; vel etiam prout quiſque, uni vel alteri magis adhærebat. Cum vero certum ſit modo, partem libelli deberi Gerſeni, partem Gerſoni, inde ſequitur exemplaria illa omnia, quæ his carent nominibus exarata, fuiſſe ab Amanuenſibus, qui eorum nomina conſultò ſuppreſſerunt, quod Plagiariorum eſt; quod conſarcinationis modum ignoraverunt.

COROLLARIUM IV.

JOannes Gerſon Cancellarius Pariſienſis, tanta erat doctrina præditus, cum pietate, ac probitate conjuncta, & tanto pollebat ingenii acumine, ut neſas ſit credere, ipſum in alicujus operis formatione indiguiſſe iis, quæ ſcripſerat Gerſen, & multò minus eo modo, quo ex Spicilegio apparet; ac tanta mentis ſterilitate laboraſſe, ut cogeretur ea de verbo ad verbum tranſcribere, quæ jam vulgaverat; mutando etiam non mutanda, corrigendo non corrigenda. Neſas igitur erit credere ipſum Libelli authorem fuiſſe. Accedit, quod ſi Libelli author fuiſſet, proprios tractatus, jam publici juris factos, ſtatim iterum evulgaſſet; ſed ne dignoſcerentur, cum illi Gerſenis Immixtos; quo nihil abſurdius de Gerſone poſſet excogitari; etiamſi nondum Cancellariæ munere decoratus fuiſſet. Adepto vero hoc munere tantis præterea, iiſque graviſſimis erat curis detentus, ut nullatenus credibile reddatur, ipſum potuiſſe, vel ſi potuiſſet voluiſſe temporis momenta his eripere, quæ in conſarcinatione hujuſmodi Centonis, non modicæ molis, & uſui præcipue Religioſorum accommodati, impenderet.

COROLLARIUM V.

THomam Kempiſium non fuiſſe ſimiliter Libelli authorem evincunt: Pietas ejuſdem, ac probitas: methodus ab ipſo in opuſculis ſervata: & judicium Pariſienſe 14[illegible]. Pietas ac probitas pugnant cum impudentia; & [illegible] non ci-

tandi

tandi nomina Joannis Gerſen, & Joannis Gerſonis, & multo magis cum illa apponendi proprium, quoquo modo Thomas Antverpienſi appoſuerit Codici. Methodus ab ipſo in Opuſculis ſervata citandi authores, & indicandi, quæ opuſcula ex aliorum ſententiis in unum coacervatis contexuerit, juxta regulam *ſemel bonus ſemper bonus &c* ſuadet, quod idipſum præſtitiſſet in Libello. Judicium vero Parisienſe excluderet Thomam Kempenſem etiamſi pulſaret tantummodo initium ſeculi decimiquinti, etiamſi in uno tantum ex Codicibus penſitis vim haberet, præcipue cum ex aliis antiquioribus, vel ſaltem ab Autographo exemplati fuerint. Cumque Codices Aronenſis, & Bobienſis nomen Gerſenis præſeferant, certum evadit, eorundem Amanuenſes illud inveniſſe in Authographo; vel ipſos appoſuiſſe, eo quod in Exemplaribus repererint, quæ ſcripſerat Gerſen. Si primum; Authographum non ſcripſit Thomas Kempenſis, cum in ſuo Antverpienſi nomen illud non legatur: ſi alterum, & ſic notam mundo fecerint ex parte, libelli conſarcinationem, ſumma impudentia fuiſſet illa Thomæ, conſcribendi adhuc exemplaria ſuppreſſo hoc nomine, & voluiſſe adhuc mundo conſarcinationis conſcio facto, imponere: quiſque enim tenetur ſcire ea, quæ ſemetipſum tangunt, cum ſint cæteris nota. Singulaque capita oſtendunt Thomam non fuiſſe Libelli Authorem, ſed Tranſcriptorem ipſius etiam conſarcinationis penitus ignarum.

COROLLARIUM VI.

JOannem Gerſonem Priorem Cœleſtinorum Lugduni, & Fratrem Cancellarii Pariſienſis Libelli Authorem fuiſſe cenſendum eſt, quia in ipſo conveniunt ea omnia, quæ in Authore Libelli convenire debent, diſconveniunt veró nulla. Conveniunt in ipſo ætas, & adeptio Tractatuum Gerſonis Cancellarii brevi manu facta, a judicio Pariſienſi volitis; itidem Cancellarii ejuſdem conſenſus præſumptus, ſive expreſſus iis pro libito utendi. Ipſe ſolus abſque ullo impudentiæ, & ingratitudinis periculo poterat, vivente adhuc Cancellario, Libellum non in abſcondito elaboratum, publici juris facere; nomen ejus ſupprimere; imo hoc debuerat, cum eſſet æquivocum cum proprio ſupprimendo (1.) Suppreſſiſſe vero illud Gerſenis dici non poteſt, cum in Autographo potuerint Amanuenſes Codicum Bobienſis, & Aronenſis illud inveniſſe, Monaſtica profeſſio, ex titulis, & ſcopo Libelli ſaltem, ſi non ex alienis Libelli pagellis foras erumpens, ſimiliter eidem convenit. Ac tandem eidem debetur potior poſſe-

(1.) Moreri Dict. Hiſt. Tom. 2. in verbo: *Charlier*: Et à propos de cela, il faut ſe ſouvenir de l' erreur de Poſſevin, de Maraccius & de pluſieurs autres; qui ont Cru que c' eſt Jean Gerſon même, qui étoit Celeſtin & Prieur du Monaſtere de Lyon. Car ce ſentiment convaincu de fauſſeté par une Lettre que le meme Prieur des Celeſtins écrivit l' an 1432. à un Religeux de ſon Ordre nomé Anſelme, dans laquelle il Lui parle de la mort & des Ecrits de Gerſon. Le nom de Jean Comun aux deux freres, a été la cauſe de cette erreur.

poſſeſſio in Præfatione expoſita, licet aliquatenus ab iis ſciolis turbata, qui exemplaribus, *Cancellarii Pariſienſis* verba addidere. Num vero frater fratri in Libello conſarcinando auxiliatricem porrexerit manum, aliorum ſit judicium.

COROLLARIUM VII.

Quem mihi propoſui rectiſſimum controverſiæ dirimendæ finem, aſſecuturum ſpero; Confidens, Partes inter ſeſe diffidentes ex novites a me deductis juſtum deponendi calamos motivum arrepturas, illiusque pacis, & concordiæ ineundæ, quæ non ſine Eccleſiæ emolumento ſuccreſcent. Satis ſit Gerſenſibus, ſuum in libello inveniſſe Gerſenem, omnemque impoſitionis labem in alios vertiſſe. Satis ſit Gerſonianis ſuum ſimiliter in libello inveniſſe Gerſonem, & ipſum ex tot aliis Titulis illuſtrem habere, fratrisque gloriæ non invidentem. Satius ducant Kempiſiani piiſſimum, ac probum, illiusque doctrinæ, quæ ex opuſculis elucet, ſuum habere Thomam Kempenſem, quam Libelli Authorem impudentem, & ingratum, doctrinæque non eminentioris. Monachi vero Cœleſtini non parvi faciant, illum inter ipſorum clauſtra compoſitum fuiſſe Librum, quem totus Chriſtianus orbis, præ cæteris hujusce claſſis ſacris chariſmatibus refertum ſemper agnovit; illumque inter ſuos, non reſpuant piiſſimum coaptare Authorem, qui licet ex alienis fontibus aquas deduxerit ſalientes in vitam æternam, novit tamen commixtionis earundem modum, quo pio fidelium palatui fierent ſapidiores, proindeque penetrantiores intima cordis.

Hæc ſunt, quæ tenuitas mea mihi dictavit, & quæ ſaniori Lectorum judicio perpendenda, ac ſi opus fuerit caſtiganda relinquo, illud Eccleſiaſtici repetens: *Videte, quod non ſoli mihi laboravi, ſed omnibus requirentibus veritatem.*

Hucusque RR.mus Brixianus, cui iterum gratulor de reperto Gerſeno quopiam, eodem ferme anno cum Thoma Kempenſi nato, eodem ferme anno Novitiatum ingreſſo, iisdem ferme tentationibus tempore Novitiatûs afflicto; cui nonnullæ circumſtantiæ de vanitate Scientiarum in primo de Imitatione libro favent. Conteſſeratio tamen ſeptuaginta coævorum teſtium & identitas ſtyli inimitabilis deeſt.

P. S.

Mirabuntur nonnulli, quod non reſpondeam ad Librum, cui Titulus: Disquisitio Juridica &c? Dicam paucis. *Scurrilia Scurris, Juvenilia Coæqualibus, Lepidula Otioſis, Phraſeologias Didaſcalis, Leguleia Rabulis, Tautilia Bubulcis* relinquo. Interea pro Reſponſo ſufficiant duo verba, attamen graviſſima, unum Eminentissimi; Serenissimi alterum. Quibus addo *Leges Imperiales, & Pontificias* De Libellis Famosis, &c.

PRO-

PROHIBITIO

CONSTANTIENSIS & AUGUSTANA

Libelli famoſi.

I.

EMinentiſſimi, & Reverendiſſimi in Chriſto Patris, ac Domini Domini FRANCISCI CONRADI DEI gratiâ, S. R. Eccleſiæ Tit. S. Mariæ de Populo Presbyteri Cardinalis de Rodt, Epiſcopi Conſtantienſis, S. R. I. Principis, Domini Augiæ Majoris, & Oeningæ, Incl yti Ord. S. Joannis Hieroſol. Bajuliviî, & Protectoris, Abbatis Infulati Zikzardenſis In Hungaria, & Præpoſiti Mitrati Eisgarnenſis in Auſtria, nec non Abbatis in Caſtello Barbath Ditionis Cremonenſis, &c. &c. Vice-Vicarius in Spiritualibus Generalis &c.

Venerabili Clero, tam Sæculari, quam Regulari, per Civitatem & Diœceſin Conſtantienſem conſtitutis, ſalutem in Domino, cum harum debita obedientia, & executione.

PRodiit nuper Scriptura quædam ſummè injurioſa, calumnioſa, ac ſcandaloſa, ab Anonymo & larvato Authore, ſub ſpecioſo Titulo: *Diſquiſitio juridica, num Dominus* MICHAEL KUEN, *Prælatus & Abbas Collegii Canon. Reg. S. Auguſt. Congregat. Later. Ulmæ, Author ſit pudendi libelli*, ſub Titulo: *Joannes Canabaco ex Comitibus de Canabaco oriundus &c. &c.* in forma Libelli famoſi, ab omni jure ſub graviſſimis pœnis pro utroque foro, tam in- quàm externo, prohibiti. Nos ex Officio Nobis incumbente ejusmodi maledicum virus ad Perſonarum in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutarum atrocem proſtitutionem, palam, aut furtivè, vergens, ac legentium oculos ad non leve ſcandalum orthodoxos & heterodoxos inter acriter offendens, (a) præſentium tenore omnibus Chriſti Fidelibus, ſingulariter autem Typographis, Bibliopolis, cæterisque Librorum commercium gerentibus, ſeveriſſimè pro Diœceſi noſtra interdicimus, ac prohibemus, ne hanc nefariam Scripturam legant, imprimant, penes ſe retineant, aut venalem exponant, inhærendo Statutis noſtris Synodalibus, Principes, Prælatos, cæterosque Superiores Regulares, cujuscunque demum Ordinis, æquè ac Magiſtratus Sæculares in Domino adhortantes, & invocantes, ne præmentionatam diffamatoriam, ſcabioſam, ac ironicè ſcomaticam Scri-

(a) In Auguſtana prohibitione adduntur hæc verba: *præſertim circa mendaciter, calumnioſè, & ſcandaloſè relatum Examen cujusdam Hoſtiæ.*

Scripturam, quam inter graviter prohibitos libros numerari volumus, in ſuas Diœceſes, Monaſteria, & Bibliothecas invehi, multo minus imprimi, aut venundari ſinant: Transgreſſores autem ad præcavenda publica ſcandala, & alia in contemptum Religionis ſecutura præjudicia, pœnis condignis compeſcant. Datum Conſtantiæ die 3tia Menſis Januarii 1763.

Franciſcus Carolus Antonius
de Razenried
p. t. Vice-Vicar. Generalis.

(L. S.)

II.

Ejuſdem ferme tenoris eſt prohibitio Auguſtana *RR.mi* ac *Ser.mi* D. D. JOSEPHI, &c. &c. *Epiſcopi Auguſtani*, data 3. Maij 1763.

III.

Quàm juſtæ autem ſint ejusmodi prohibitiones, monſtrant *Leges Imperiales & Pontificiæ, de Libellis famoſis*, à me apud *Veithios* editæ, quæ ſeparatim haberi poſſunt.

O. A. M. D. G.

LEGES

LEGES IMPERIALES ET ECCLESIASTICÆ

DE NON EDENDIS, IMPRIMEN-
DIS, DISTRAHENDIS, RETINENDIS,
VEL LEGENDIS

LIBRIS FAMOSIS.

I.
LEGES IMPERIALES.

I.
Conſtitutio Spirenſis. 1570. §. 154. ſeqq.

Wiewohl auch auf etlichen vorigen gehaltenen Reichs-Tägen bey ſchweren Pönen ſtatuiret und gebotten worden, daß die Obrigkeit bey ihren Druckereyen, Buchführeren und ſonſten ernſtliche Verſehung thun ſollen, damit keine Schmäch-Bücher, Gemählde, oder dergleichen (dadurch nichts Guts, ſondern nur Zanck, Aufruhr, Mißtrauen und Zertrennung alles fridlichen Weeſens angeſtifft) öffentlich oder heimlich gemacht, gedruckt, verkaufft oder ſonſten ausgeben: ſo kommen wir doch in gewiſſe Erfahrung, daß ſolchem unſerem und des heiligen Reichs Gebott an vilen Orten nit gelebet, ſ[on]dern zugeſehen werden will, daß hin und wider allerley ſchmachloſe Schm[ähe]-Schriften, Bücher, Karten und Gemählde gedruckt und gemahlet, ohne alles Straffen, zuvorab auf den gemeinen Jahr-Märckten, Meſſen, und in anderen Verſammlungen umgetragen, feil gegeben, verkaufft und ausgebreitet, darunter dann auch niemand, er ſey Obrigkeit, Herr, oder Unterthan, verſchonet werde.

Dieweil dann ſolche vermeſſene ungeſcheute Frechheit des läſterlichen Druckens, Mahlens und Schmächens, um ſo vil mehr zu coercieren, und allenthalben abzuſtellen, haben wir uns mit gemeinen Ständen und den Abgeſandten dahin verglichen: darauf ſetzen, ordnen und wollen wir, daß hinfüro im Römiſchen gantzen Reich Buchdruckereyen an keine andere Oerter, dann in denen Städten, da Churfürſten und Fürſten ihr gewöhnliche Hofhaltung haben, oder da Univerſitates Studiorum gehalten, oder in anſehnlichen Reichs-Städten verſtattet, aber ſonſten alle Winckel-Druckereyen ſtracks abgeſchafft werden ſollen. Zum anderen ſoll kein Buchdrucker zugelaſſen

laſſen werden, der nit zu vorderſt von ſeiner Obrigkeit, da er hauſslich ſitzt, darzu redlich, ehrbar, und allerdings tauglich erkennet, auch daſelbſt mit ſonderen leiblichen Eyd beladen, in ſeinem Drucken, jetzigen und anderen Reichs-Abſchieden ſich gemäß zu verhalten. Zum dritten, ſollen einem jeden alle läſterliche ſchmächliche Bücher, Schrifften, Karten und Gedicht in Druck zu geben oder zu drucken durchaus bey hoher Straff, ſowohl bey Verluſt der Bücher und Druckereyen verbotten ſeyn. Zum vierten, ſoll keiner etwas zu drucken Macht haben, das nicht zuvor von ſeiner Obrigkeit erſehen, und alſo zu drucken ihme erlaubt wäre. Zum fünfften, ſoll derſelbe alsdann auch des Dichters oder Authoris gleichfalls ſeinen Nahmen und Zunahmen, die Stadt und Jahrzahl darzu ſetzen. Da aber deren Ding eines oder mehr unterlaſſen, ſollen nit allein die gedruckte Bücher, Schrifften oder Karten, alsbald von der Obrigkeit confiſcieret, ſonderen auch der Drucker, und bey weme die zu kauffen oder ſonſten auszubreiten, begriffen, an Gut oder ſonſten nach Geſtalt und Vermög gemeiner Recht unnachläſſig geſtrafft werden.

2.

Conſtitutio in Comitiis Auguſtanis. 1530. §. 58.

Nachdem durch die unordentliche Druckerey biß anhero vil Ubles entſtanden; ſetzen, ordnen und wollen wir, daß ein jeder Churfürſt, Fürſt und Stand des Reichs, Geiſtlich und Weltlich, mitler Zeit des künfftigen Concilii in allen Druckereyen, auch bey allen Buchführeren mit ernſtlichen Fleiß Vorſehung thun, daß hinfürter nichts neues und ſonderlich Schmächſchrift, Gemählde oder dergleichen, weder öffentlich, weder heimlich gedruckt oder feil gehabt werden, es ſey dann zuvor durch dieſelb geiſtlich oder weltlich Obrigkeit darzu verordnete, verſtändige Perſohnen beſichtiget, des Druckers Nahmen und Zunahmen, auch die Stadt, darin ſolches gedruckt, mit nemlichen Worten darin geſetzet. Und wo alſo darin Mangel befunden, ſoll derſelbige zu drucken, oder feil zu haben, nit zugelaſſen, was auch ſolcher Schmäch-oder dergleichen Bücher hievor gedruckt, ſoll nit feil gehabt, oder verkauffet werden, und wo der Dichter, Drucker, und Verkäuffer ſolche Ordnung und Gebott überfahren, ſoll er durch die Obrigkeit, darunter er geſeſſen oder betretten, nach Gelegenheit

an Leib und Gut geſtrafft werden. Und wo einige Obrigkeit, ſie wäre, wo ſie woll, hierinn läſſlich befunden wurde, als denn ſoll und mag unſer Kayſerlicher Fiscal gegen derſelben Obrigkeit um die Straff procedieren und fortfahren, welche Straff nach Gelegenheit jeder Obrigkeit und derſelben Fahrläſſigkeit, unſer Kayſerlich Cammer-Gericht zu ſetzen, und zu taxieren Macht haben ſoll.

3.
Conſtitutio in Comitiis Auguſtanis.
1548. Tit. 34.
Ubi ſtatuitur.

1.) UT *antequam libri edantur, diligenter examinentur*, ob ſie der Lehr der Chriſtlichen Kirchen und den Reichs-Tags-Abſchieden gemäß befunden: 2.) *Ut nihil approbetur*, das aufrühriſch und ſchmählich: 3.) Ut Typographi *auctorem librorum*, *locum*, ubi prelo commiſſi ſunt, & *proprium nomen* edentis adjiciant: 4.) *Ut nihil edatur*, ſo der Catholiſchen allgemeinen Lehre der heiligen Chriſtlichen Kirchen ungemäß und widerwärtig, id quod ſine dubio eo tempore, quo adhuc *Catholici* in comitiis per vota majora prævaluerunt, conſtitutum eſt, ſine effectu tamen, quod proteſtantibus defenſio ſuorum dogmatum, qua neceſſario doctrina Romanæ Eccleſiæ impugnari debuit, adimi haud potuerit: 5.) Ut ſi tales libri noxii editi fuerint, contra *Auctorem* ad pœnam procedatur: 6) Ut itidem *contra Magiſtratum*, officio ſuo non ſatisfacientem, per *Fiſcalem Imperialem* procedatur: 7.) Ut libri noxii, jam editi, *ſupprimantur*, nec amplius publicè vendantur.

4.
Conſtitutio Caroli VI. Imperatoris.
1715.

WIr CARL der Sechſte, von GOttes Gnaden erwählter Römiſcher Kayſer, zu allen Zeiten Mehrer des Reichs, in Germanien, zu Hiſpanien, Hungarn, Böheim, Dalmatien, Croatien, und Sclavonien ꝛc. König, Ertz-Hertzog zu Oeſterreich, Hertzog zu Burgund, Steyer, Kärndten, Crain und Würtenberg, Graff zu Tyrol ꝛc. Entbietten allen und

jeden, denen diſer unſer Kayſerlicher Brief vorkommt, und nachfolgender maſſen angehet, unſere Kayſerliche Gnade :c. und fügen denenſelben ſamt und ſonders zu wiſſen, daß obwohlen auf verſchidenen hiebevor gehaltenen Reichs-Tägen, und ſonſten unſere Glorwürdigiſte Vorfahrer am Reich Römiſche Kayſer und Könige, mit deren Churfürſten, Fürſten und Ständen des Heil. Römiſchen Reichs guten zeitigen Rath und Vereinigung, Geſätz und Ordnung, dahin ausgehen laſſen, daß keiner von was für unter denen im Reich zugelaſſenen Glaubens-Bekanntnüſſen er auch ſeyn möge, dem anderen, ſo nit ſeiner Religion iſt, weniger aber die Glauben ſelbſt mit Worten, läſterlichen Bücheren, Schriften, Schmäch-Karten, ſchimpflichen Gedichten, Gemählden, Kupferſtichen, oder anderen dergleichen Erfündungen, boßhaft ohnbeſcheidener Weiſe angreiffen, ſchmächen, oder ſonſt ſpöttiſch anziehen und durchlaſſen, mithin auch niemand einige gegen die Staats-Regierung und Grund-Geſätze des Heil. Römiſchen Reichs angeſehene Lehren aufbringen ſolle; ſo zeiget doch die tägliche Erfahrung, daß diſen ſo offt ergangenen heylſamen Verordnungen und Rechts-Gebotten an verſchidenen Orten nit nachgelebet, vilmehr ſolchen ſchnurgrad entgegen, hin und wider dergleichen ſchmächſüchtige Bücher, Schriften und Gemählde verſchidener Orten im Reich heimlich gemacht, verfertiget, gedruckt, oder von auswerts hero eingeſchleiffet, und ohne allen Scheu, Einſicht oder Beſtraffung, auf öffentlichen Jahr-Märckten, Meſſen und anderen Verſamlungen umgetragen, feil gebotten, ausgeſtreuet, verkaufft, und ausgebreitet, nit minder auch auf öffentlichen Univerſitäten über das Jus Civile & Publicum ſehr ſchädliche des H. Römiſchen Reichs Geſätze und Ordnungen anzapfende verkehrte neuerliche Lehren, Bücher, Theſes und Diſputationes angehebet, und dadurch vile ohnzuläſſig, als tieffſchädliche Neuerungen gegen die teutſche Grundveſte, folglich Unordnungen in dem teutſchen Reich eingeführet werden. Gleichwie wir aber dergleichen Zanck- und ſchmächſüchtige Schreib-Arten und Lehren, ſo wenig dem Chriſten- und Kayſerthum, als der Gerecht- und Ehrbarkeit gemäß, noch auch zu Ausbreitung der Chriſtlichen Lehre, und allerſeitigen Glaubens oder gemein nutzigen Rechts- und Staats-Sachen den geringſten Nutzen und Ehre, wohl aber ein und anderes diſen empfindlichen Schaden haben, daß daraus an ſtatt der ſo hochnöthigen Einigkeit und innerlichen guten Vernehmens, nichts als Zanck, Mißtrauen, Entfernung der Gemüther, Irrwege, auch wohl gar Unfride und Empörungen zu entſtehen pflegen: alſo haben wir unſer darob hegendes Kayſerliches Mißfallen öffentlich zu erkennen zu geben, und die Handhabung derer von unſeren in GOTT ruhenden Vorfahreren wohl

und

und Reichs vätterlich erlaſſenen Kayſerlichen Verordnungen in unſere beſondere Sorgfalt und Obſicht zu nehmen einer Nothdurfft zu ſeyn um ſo mehr befunden, als ſolches Ubel ſich überaus vermehret, und den ohnausbleiblich allgemeinen Schaden ins Werck ſetzet. Wir befehlen, ſetzen, ordnen und ermahnen demnach hiemit alle und jede, inſonderheit die Geiſtliche und Prediger, alle Schrifft- und Rechts-Gelehrte, die Buchdrucker, Verleger, und Buchführer, ohne Unterſcheid deß Glaubens Bekanntniß, ſie ſeyen frembd, oder einheimiſche, bevorab aber die Bücher-Commiſſarios, Krafft diſes nachdrücklich erinnerende, bey Vermeydung hoher Straffe, und unſerer Kayſerlichen und Reichs ſchweren Ungnade, alles und jedes, was hiebevor von Zeit zu Zeiten gegen dem Mißbrauch der Buchdruckereyen, und Herausgebung verbottener Glaubens- und Staats-Sachen angehender Lehren, Bücher und Läſter-Schrifften oder Lehr-Geſätzen verordnet worden, in genauer Obacht zu ziehen, und dasjenige, was darzu auf einige Weiſe Vorſchub geben kan, ſorgſam zu vermeyden und zu verhinderen. Zu dem Ende auch alſofort nach Verleſung diſes alle Winckel-Druckereyen abzuſtellen, und nit zu geſtatten, daß deren einige anders, oder an und aus anderen Orten, als in ſolchen Städten und Orten eingerichtet werden, wo Chur- und Fürſten ihre gewöhnliche Hofhaltungen haben, oder Academien, oder Univerſitates Studiorum, oder wenigſtens anſehnliche unſere und des Reichs oder ſolche Städte ſeynd, wo Obrigkeitliche Obſicht gehalten wird. Dann ferner nit nur keine Buchdrucker zu zulaſſen, die da nit angeſeſſene, redliche und ehrbare Leute ſeynd, und die nach denen allgemeinen Reichs-Satzungen uns und der Obrigkeit des Orts, vermittelſt Aydes und Pflichten verbündlich gemacht haben, ſich in ihren Drucken in allem demjenigen, was die Reichs-Satzungen mit ſich bringen, und ihnen vorhero wohl zu erklären und einzubinden iſt, gemäß zu bezeugen, ſondern auch noch hierüber bey allen und jeden Buchdruckereyen verſtändige und gelehrte Cenſores zu beſtellen, und ſolche ebnermaſſen dahin zu verpflichten, daß ſie ohne deren genaue Durchgehung, Erlaubniß und Genehmhaltung keinen, zumahlen ohne Benennung des Erfinders, Schreibers oder Dichters und des Druckers Nahmen und Zunahmen, wie auch der Stadt und des Jahrs etwas zu drucken und zu verkauffen, vilweniger die Einführung ſolch-ſchädlicher Bücher aus fremden Landen und deren Verſchleuß im Röm. Reich verſtatten, geſtalten wir von nun an alles, was ohne ſolche Form und Feyerlichkeit iſt, für ſträffliche Laſter und Schmäch-Karten, mithin allerdings vernichten und zur Cōfiſcation würcklich in der That aller Orten erklären,

rücken. Da aber gleichwohl von einem oder anderem, vorgedachter Erinnerung ohngeachtet, oder deren ohngehindert dergleichen Laſter, oder andere gegen die Reichs Grund-Geſätze in Glaubens- und Staats-Sachen lauffende Lehren, Schmäch-Schrifften, Bücher, Kupfer und Gemählde gedruckt und ausgegeben wurden, ſolche alſofort ohne einige Nachſicht, durch jedes Orts Obrigkeit oder unſere Kayſerliche Bücher Commiſſarios confiſciret, deren Urheber, Schreiber und Drucker aber ſowohl, als alle diejenige, welche ſie zum Verkauff herum tragen und ausbreiten, oder ſich darzu gebrauchen laſſen, an Gut und Vermögen, auch nach Beſchaffenheit der Sachen und deren Umſtänden an Ehr, Leib, Gut und Blut ohnnachläßig geſtrafft werden ſollen. Dafern nun einige Geiſt- oder weltliche Obrigkeit im Reich, welche die auch immer wäre, oder wie ſie immer Nahmen haben möchte, in Erkundigung ſolcher Dinge nachläſſig handeln, oder die angezeigte oder ſonſt wiſſentliche Ubertrettung nit mit behörigen Nachdruck abſtellen und beſtraffen, oder auch villeicht gar mit denen, ſo darwider handlen, ſich unter der Hand verſehen und Verſchleiff geben wurde: alsdann wollen wir, und behalten uns bevor, nit nur gegen den Urheber, Erfinder, Schreiber, Dichter, Mahler, Kupferſtecher, Drucker, Buchführer, Unterhändler und Verkäuffer, ſondern auch gegen die Geiſt- oder weltliche Lehrer und Prediger, und die nachläßige Obrigkeit ſelbſt ernſtliche Ahntung und Straff, nach Beſindung der Sachen, und deren Umſtänden fürnehmen zu laſſen, allermaſſen wir auch unſeren jetzig und künfftigen Kayſerlichen Reichs Fiſcalen, ſowohl bey unſerem Kayſerlichen Reichs-Hofrath, als Kayſerlichen Cammer-Gericht hierdurch ernſtlich wollen erinert haben, daß ſie gegen alle die oberwehnte Uberfahrer diſer unſer Kayſerlichen Verordnung, ſie ſeyen Geiſt- oder Weltliche, ohne Anſehung der Perſohnen, auf gebührende Straff ohnverzüglich anruffen, und ihren Orts und Amts nach aller Strenge verfahren und handlen ſollen. Wir meynen es ernſtlich. Mit Urkund diß Briefs beſigelt mit unſerem aufgedruckten Kayſerlichen Inſigel, der geben iſt in unſerer Stadt Wien den 18. Julii 1715. unſerer Reiche des Römiſchen im vierten, des Spaniſchen im zwölfften, des Hungariſchen aber und Böheimiſchen im fünfften Jahr.

CARL.

(L.S.) Vt. Fridrich Carl, Graff von Schönborn.
Ad Mandatum Sacræ Cæſareæ Maj. ppriam.
E. F. von Glandorff.

Hunc

Hunc in finem quoque reſcriptum ſimilis tenoris ſub eodem dato ad Duces circulorum dedit, pariterque Camera imperii d. 18. Sept. 1715. per decretum commune reſcriptum Cæſareum publicavit, quæ publicatio etiam in nonnullis ſtatuum territoriis facta eſt. Vid. Antonii Fabri Staats-Canzley. T. XXVI. pag. 728. & ſeqq. Elect. Jur. publ. T. VIII. p. 81. ſeqq. Struvius T. II. Corp. Actor. & Gravam. Religion. p. 90.

5.

Conſtitutio Imperatorum Valentiniani & Valentis.
Anno 365. L. IX. Tit. 36.

De famoſis Libellis.

Si quis *famoſum Libellum* ſive domi, ſive in publico, vel quocunque loco ignarus repererit: aut corrumpat priusquam alter inveniat, aut nulli confiteatur inventum. *Si verò non ſtatim easdem chartulas vel corruperit, vel igni conſumpſerit, ſed vim earum manifeſtaverit: ſciat ſe quaſi auctorem* hujusmodi delicti capitali ſententia ſubjugandum. Sane ſi quis devotionis ſuæ, ac ſalutis publicæ cuſtodiam gerit: nomen ſuum profiteatur, & quæ per famoſum libellum perſequenda putaverit, ore proprio edicat: ita ut absque ulla trepidatione accedat, ſciens quidem quòd ſi adſertionibus ſuis veri fides fuerit opitulata, laudem maximam & præmium à noſtra clementia conſequetur. Sin verò minimè hæc verba oſtenderit, capitali pœna plectetur. Hujusmodi autem libellus alterius opinionem non lædat. PP. XVI. Kal. Mart. Conſtantinop. Valentiniano & Valente A.A. Coſſ.

6.

Conſtitutiones Theodoſii Imperatoris.
L. IX. Tit. 36. Cod. Juſt.

I. *Imp. Conſtantinus A. ad Verinum Vic. Africæ.*

Si quando *famoſi libelli* reperiantur, nullas exinde calumnias patiantur hi, quorum de factis vel nominibus aliquid continebunt, ſed ſcriptio-

ptionis auctor potius requiratur, & repertus cum omni vigore cogatur his de rebus, quas proponendas credidit, comprobare: nec tamen ſupplicio, etiamſi aliquid oſtenderit, ſubtrahatur.

PP. IV. Kal. April. Kartag. Conſtantino A. V. & Licinio Cæſ. Coſſ. [319].

II. *Idem A. ad Helianum Proc. Afric.*

LIcet ſerventur in officio tuo, & Vicarii, exemplaria Libellorum, qui in Africa oblati ſunt, tamen eos, quorum nomina continent, metu abſolutos ſecuritate perfrui ſinas; ſolumque moneas, ut ab omni non ſolum crimine ſed etiam ſuſpicione veriſimili alieni eſſe feſtinent: nam qui accuſandi fiduciam gerit, *oportet comprobare, nec occultare*, quæ ſcierit, quoniam prædicabilis erit ad dicationem publicam merito perventurus. PP. V. Kal. Mart. Carthagine. Conſtantin. A. VI. & Conſtantio Cæſ. Coſſ. [320].

III. *Idem A. ad Januarium Agentem Vicariam Præfecturam.*

UT accuſatoribus patientia præbenda eſt, ſi quem perſequi in judicio volunt, ita *famoſis libellis* fides habenda non eſt, nec ſuper his ad noſtram ſcientiam referendum, cùm eosdem libellos flammis protinus conducat aboleri, quorum auctor nullus exiſtit. PP. Prid. Non. Decemb. Rom. Conſtantino A. VI. & Conſtantio Cæſ. Coſſ. [320].

IV. *Idem A. ad Dionyſium.*

F*Amoſa ſcriptio* libellorum, quæ nomine accuſatoris caret, minime examinanda eſt, ſed penitus abolenda: nam qui accuſationis promotione confidat, libera potius intentione, quàm captioſa atque occulta conſcriptione, alterius debet vitam in judicium devocare. PP. Tyro, XII. Kal. Nov. Januario & Juſto Coſſ. [328].

V. *Imp. Conſtantius A ad Afros.*

L*ibellis*, quos *Famoſos* vocant, ſi fieri poſſit abolendis Inclytus Pater † Noſter providit, & hujusmodi libellos, ne in cognitionem quidem ſuam, ſed publicam juſſit admitti. Non igitur vita cujusquam, non

non dignitas concuſſa his machinis vacillabit: Nam omnes hujuſmodi libellos concremari decernimus Dat. XIV. Kal. Jul. Urſo & Polemio Coſſ. [338].

VI. *Idem A. ad populum.*

NEmo prorſus de *famoſis Libellis*, qui neque apud me, neque in judiciis ullum obtinent locum, calumniam patiatur: Nam & innocens creditur, cui defuit accuſator, cùm non defuerit inimicus. Dat. Prid. Kal. Nov. Med. Arbitione & Lolliano Coſſ. [355].

VII. *Impp. Valentinianus & Valens AA. Edictum.*

F*Amoſorum* infame nomen eſt *Libellorum*. Ac ſi quis vel colligendos vel legendos putaverit, ac non ſtatim chartas igni conſumpſerit, ſciat ſe capitali ſententia ſubjugandum. Sane ſi quis devotionis ſuæ ac ſalutis publicæ cuſtodiam gerit; nomen ſuum profiteatur, & ea, quæ per famoſum proſequenda putavit, ore proprio edicat: ita ùt absque ulla trepidatione accedat, ſciens, quod ſi adſertionibus veri fides fuerit opitulata, laudem maximam ac præmium à Noſtra Clementia conſequetur. Dat. XIV. Kal. Mart. Conſtantinop. Valentiniano & Valente AA. Coſſ. [365].

VIII. *Idem AA. ad Florianum Com.*

JAm pridem adverſus calumnias firmiſſima ſunt præſidia comparata. Nullus igitur calumniam metuat: conteſtatio verò, quæ caput alterius contra juris ordinem pulſat, depreſſa noſtris legibus jaceat; intercidat *Furor famoſorum* (ſæpe ùt conſtituimus) *Libellorum*, &c. Dat. V. Id. Nov. Martianop. Valentiniano & Valente AA. Coſſ.

IX. *Impp. Valentinianus, Theodoſius, & Arcadius AAA. Cynegio PP.*

SI quis *famoſum Libellum* ſive domi ſive in publico, vel quocunque loco ignarus offenderit, aut diſcerpat, prius quam alter inveniat, aut nulli confiteatur inventum; Nemini denique, ſi tam curioſus eſt, refe-

nat, quid legendo cognoverit. *Nam quicunque obtulerit inventum, certum eſt ipſum reum ex lege retinendum, niſi prodiderit auctorem:* nec evaſurum pœnam hujus modi criminibus conſtitutam, ſi proditus fuerit, cuiquam retuliſſe, quod legerit. Dat. XIV. Kal. Febr. Conſtantinop. Honor. NB. P. & Evodio Coſſ. [386].

X. *Imppp. Arcad. Honor. & Theod. AAA. Anthemio P. P. & Patricio.*

UNiverſi, qui *famoſis Libellis* inimicis ſuis velut venenatum quoddam telum injecerint, hi etiam, qui famoſam ſeriem ſcriptionis impudenti agnita lectione non illico diſcerpſerint, vel flammis exuſſerint, vel lectorem cognitum prodiderint, ultorem ſuis cervicibus gladium reformident. Dat. IV. Kal. Maij. Conſtantinop. Arcad. A. VI. & Probo Coſſ. [406].

II. LEGES ECCLESIASTICÆ.

I. Clementis VIII. Inſtructio.

Pro iis, qui libris tum prohibendis, tum expurgandis, tum etiam imprimendis, diligentem, ac fidelem, ut par eſt, operam ſunt daturi.

TITULO *De Correctione Librorum.*

§. 2.

ITem *quæ famæ proximorum* & præſertim Eccleſiaſticorum & Principum detrahunt, boniſque moribus & Chriſtianæ Diſciplinæ ſunt contraria, expungantur. Facetiæ etiam, aut dicteria in perniciem, aut præjudicium famæ & exiſtimationis aliorum jactata repudientur.

TITU-

TITULO
De Impreſſione Librorum.

§. 1.

NUllus Liber in poſterum excudatur, qui non in fronte nomen, cognomen, & patriam præferat auctoris. Quod ſi de auctore non conſtet, aut juſtam aliquam ob cauſam, tacito ejus nomine, Epiſcopo, & Inquiſitori liber edi poſſe videatur, nomen illius omnino deſcribatur, qui librum examinaverit, atque approbaverit.

§. 2.

Regulares, præter Epiſcopi & Inquiſitoris licentiam (de qua Regula decima dictum eſt) meminerint teneri ſe, ſacri Concilii Tridentini Decreto, operis in lucem edendi facultatem à Prælato, cui ſubjacent, obtinere. Utramque autem conceſſionem, quæ appareat, ad principium operis imprimi faciant.

§. 3.

Epiſcopi invigilabunt ſummopere, ut in ſingulorum impreſſione librorum nomen impreſſoris, locus impreſſionis & annus, quo liber impreſſus eſt, in principio ejus, atque in fine adnotetur.

§. 4.

Qui operis alicujus editionem parat, integrum ejus exemplar exhibeat Epiſcopo, vel Inquiſitori, id ubi recognoverint, probaverintque, penes ſe retineant. Quod Romæ quidem in Archivo Magiſtri ſacri Palatii; extra urbem verò in loco idoneo, quem Epiſcopus, aut Inquiſitor elegerit, reſervetur.

Poſtquam autem liber impreſſus erit, non liceat cuiquam venalem in vulgus proponere, aut quoquo modo publicare, antequam is, ad quem hæc cura pertinet, illum cum manuſcripto apud ſe retento diligenter contulerit, licentiamque, ut vendi, publicarique poſſit, conceſſerit.

Idque tum demum faciendum, cum exploratum habebitur Typographum fideliter ſe in ſuo munere geſſiſſe, neque ab exemplari manuſcripto vel minimum diſceſſiſſe.

II.

Conſtitutio Benedicti XIV.

De Examine & Proſcriptione Librorum.

§. 22.

IN ea, quam ſuperius laudavimus, prædeceſſoris noſtri Clementis Papæ VIII. Inſtructione, Tit. de Correct. Lib. §. 2. ſapientiſſime cautum legitur, ut *quæ famæ proximorum, & præſertim Eccleſiaſticorum, & Principum, detrahunt, bonisque moribus, & Chriſtianæ Diſciplinæ ſunt contraria, expungantur*; & paulo poſt: *Facetiæ etiam, aut dicteria, in perniciem, aut præjudicium famæ, & exiſtimationis aliorum jactata, repudientur.* Utinam verò in aſpectum, lucemque hominum libri ejusmodi in hac temporum licentia, & pravitate non efferrentur, in quibus diſſidentes auctores mutuis ſe jurgiis, conviciisque proſcindunt; aliorum opiniones nondum ab Eccleſia damnatas cenſura perſtringunt, adverſarios, eorumque ſcholas, ac cœtus ſugillant, & pro ridiculis ducunt, magno equidem bonorum ſcandalo, hæreticorum verò contemptu, qui digladiantibus inter ſe Catholicis, ſeque mutuo lacerantibus plane triumphant.

§. 23.

Quam ob rem firmum, ratumque ſit omnibus, qui adverſus aliorum ſententias ſcribunt, ac diſputant, id quod graviter ac ſapienter à Ven. Servo Dei prædeceſſore noſtro Innocentio Papa XI. præſcriptum eſt in Decreto edito die ſecunda Martii anni milleſimi ſexcenteſimi ſeptuageſimi noni: *Tandem*, inquit, *ut ab injurioſis contentionibus Doctores, ſeu Scholaſtici, aut alii quicunque in poſterum abſtineant, ut paci & charitati conſulatur, idem Sanctiſſimus in virtute ſanctæ Obedientiæ eis præcipit, ut tam in libris imprimendis, ac manuſcriptis, quam*

in Theſibus ac prædicationibus, caveant ab omni cenſura, & nota, nec non à quibuscunque conviciis contra eas propoſitiones, quæ adhuc inter Catholicos controvertuntur, donec à ſancta Sede recognitæ ſint, & ſuper eis judicium proferatur. Cohibeatur itaque ea Scriptorum licentia, qui, ut ajebat Auguſtinus Lib. 12. Conf. c. 25. num. 34. *Sententiam ſuam amantes, non quia vera eſt, ſed quia ſua eſt,* aliorum opiniones non modo improbant, ſed illiberaliter etiam notant, atque traducunt. Non feratur omnino, privatas ſententias, veluti certa ac definita Eccleſiæ dogmata, à quopiam in libris obtrudi, oppoſitas verò erroris inſimulari; quo turbæ in Eccleſia excitantur, Diſſidia inter Doctores aut ſeruntur aut foventur, & Chriſtianæ charitatis vincula perſæpe abrumpuntur.

O. A. M. D. G.

ERRATA.

Folio	linea	Erratum	Correctum.
5	24	1365	1363.
7	24	1365	1363
8	1	Abbatem	Abbatem Vercellenſem
18	ult.	editioni	editione
55	20	creatæ. *Oſtendit*	creatæ, *oſtendit*
65	4	Argumentum Gerſeniſtæ	Argumentum. Gerſeniſtæ
69	17	Sabaudiæ,	*Adde*; auctiorem, quàm prius anno 1635 adhuc Juvenis vix adumbraverat. Vide Bibliotheque curieuſe &c. par M. David Clement T. VI. pag 72. &c.
ibid.	29	inſertam.	*Adde*. Ejusdem tamen ſolertiæ infatigabili & candori gratias plurimas referant Gerſeniſtæ, quod illis in Archivio ſuæ Canoniæ nuperrimè detexerit mentionem cujusdam *Thomæ Comitis Strepianæ Abbatis Benedictini ad S. Stephanum*, allegati in teſtem in Inſtrumento 1560. An forte hic eſt author L. *de Imit.*?
71	24	ſuſcepta	ſuſpecta
73	24	1717	1617
77	31	1444	1494
78	17	Except. I.	Except III.
79	8	poſſim	paſſim
80	3	tribultis	tribulatis
90	10	cum Auguſtino	ad modum Auguſtini.
à 92 *ad* 104	1	Gerſoniſtæ	Gerſeniſtæ
94	4	Geardi	Gerardi
99	17	diverſis	diviſis
100	2	totius	totius Occidentis
115	9	contiqua	contigua
156	9	junione	juniore.



bergati instituì la Co cui destinò P. Spiritual
inale fatto a què tem ore di Bologna .

I. E. Belling, Ca

[illegible]

RIP T A XV. & XVI.

m. 1521.	VIII. MS: ellenſis. anno 1434.
[2] eſerto p dilet, tis dei gratia ...	8. ... s et abbatis ... ma domina ... A Parte ... affectione occupatione ſubiectione filia credulitate ... ſſimo ij

d. 1760.

[illegible]

...dus. ſic
...cuiſ. c.t.

...rthuſie.
...amitionē

...endulgēciā
...aſſit tandē



liber...
re v...
trina...

Incipit libellus conſolatorius ad inſtruc
cionem devotorum. Cuius primum Capi
tulum eſt de imitacione Xpi et con
temptu omnium vanitatum mundi

Compilator huius opuſculi fuit quidam
Thomas nomine de Kempis et ordine
canonicorum regularium ordinis ſancti
Augustini montis ſancte Agnetis
Traiectenſis etc.

Deo gracias. 1441